FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

DE RERVM DEFINITIONIBVS Liber Vnus.

SERENIS.MO COSMO MEDICI
MAGNO HETRVRIÆ
PRINCIPI
DICATVS.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, M.DC.

Apud Hæredes Franciſci de Franciſcis.

SERENISSIMO

COSMO MEDICI
MAGNO HETRVRIÆ
PRINCIPI,

FRANCISCVS PICCOLOMINEVS
SENENSIS,

feliciſſimam precatur Sublimitatem.

COMPERTVM eſt Egregie PRINCEPS, Populos nonnullos conſueuiſſe Solem adorare occumbentem: alios in medio Cœlo collocatum: at longè rectiùs eos feciſſe puto, qui in orientem Solem conuerſi, illum tanquam proximum humani Orbis Deum excoluerunt. Tui enim radij eius ſunt vberiores, fœcundiores, & ſalubriores. Hoc mihi feliciſſimè contigit, qui in occaſu meę ætatis conſtitutus, Te emergentem Principem, tanquam orientem Solem, intueor, ſaluto, veneror, & colo. Ac ſummopere lętor, dum in te vno cuncta, quæ ad eminentiſsimi, omnique ex parte abſolutiſsimi Principis conſtitutionem requiruntur, feliciſſimè conſpirare intueor. Primò enim MEDICEA Familia cunctis humanæ dignitatis radijs ſplendidiſsimè fulget. Mox præclara Aui memoria, cuius nomine honeſtatis tanquam exactiſsimum exemplar, ad ſui imitationem te inuitat, hortatur, & dirigit. Tertiò COSMI nomen, quod Mundi amplitudinem, & ornamentum denotat, vt conformeris cum eo, tibi ſuadet, & oſtendit. His accedit Sereniſsima parentum ſublimitas, de qua non mea tantùm, ſed cunctorum linguæ ſublimiter loquuntur, & animi ingenui omnes, honorificentiſsimè ſentiunt. Solùm de eo ambigunt, num Heroicus FERDINANDVS, vel vndique Regia coniux CHRISTINA LOTHARINGA, quos DEVS pro ſublimium Principum pro-

pagatione eximia prouidentia iunxit, principatum obtineat? Et adhuc lis est sub iudice. At ex ambiguitate conspicuè fulget, vtrumque in suo genere supremam sibi optare sedem. Demum, dum in te conuertor, indoles tua Regia, nil, nisi sublime, & Heroicum pollicetur; & præsertim cum vetustissimo filiorum Regis Persarum more, accuratissimè per viros Sapientia, Prudentia, & Probitate insignes, formeris, & instituaris; adeò vt ex Dei, Naturę, Fortunæ, & Artis felici conspiratione, certi sint tibi deditissimi Populi, te Principem euasurum nulli secundum, cui Gratiæ omnes vberrimo copiæ cornu munera cuncta sint largituræ, quæ apta sunt Principem formare gratum Deo, vtilem Populis, & sibi met salutarem. Et mirum in modum lętatur tua Senarum Vrbs, cum sub vmbra amplissimi FERDINANDI felicissima fruatur tranquillitate, non minori speret (te imperante) fruituram, adeò vt mirum non sit, si tam flagranter te veneratur, & colit. Ego equidem fateor, quòd dum in celebri D. Ioannis Festo, fungens pro patria officio Nuncij, ingrediebar in Regiam aulam, in qua regio comitatu Serenissima Mater refulgebat, eamque imperante te salutabam, arbitrabar me visum videre, & iudicabam me quasi terrestrē Saturnum in Cœlum raptum, & in Choro Cœlestium Deorum & Dearum collocatum. Tunc in te humiliter conuersus, cupiens grati animi mei signum aliquod patefacere, pollicitus fui me citò librum de Rerum definitionibus, tuo nomine insignitum, in lucem editurum. Ecce modò id seruo: & librum vna cum eius auctore tuæ Amplitudini dico, trado, & commendo. Et iure profectò, nam capiti Populorum capita rerum aptissimè congruunt. Senis, Anno CIϽ IϽ IC. Mense Nouembri.

INDEX

INDEX CAPITVM PRINCIPALIVM.

Digressio de attinentibus ad definitionem.	fol. 1	Instrumentum,	fol. 58. b
		Instrumenta Logica,	fol 59. b
Deus,	fol. 11 a	Priuatio,	fol 62. a
Mens,	fol. 14. a	Creatio,	fol. 63. b
Intelligibile,	fol. 17. a	Casus,	fol. 64 b
Idea,	fol. 18. b	Fortuna,	
Anima,	fol 21. a	Sors,	
Natura,	fol. 24 a	Frustra,	fol. 65. b
Fatum,	fol 25 b	Mensura,	fol 66. a
Prouidentia,	fol 27. b	Aeternitas, & Aeuum.	fol 67. a
Philosophia,	fol. 28 b	Tempus,	fol 68 b
Bonum,	fol. 30. b	Annus,	fol. 70. a
Malum,	fol. 33. a	Tempora Anni,	fol 71. a
Lux,	fol. 34. b	Mensis,	fol 72. a
Tenebra,	fol. 36. b	Dies,	fol 72. a
Motus,	fol. 37. b	Hebdomadas,	fol. 72. b
Quies, & Immobilitas,	fol. 40. a	Hora,	fol. 73. a
Generatio,	fol. 41 b	Olympias,	fol. 73. b
Interitus,		Aetas,	fol. 73. b
Latio,	fol. 43. a	Numina superiora homine,	f. 75. a
Alteratio,	fol. 44. a	Angelus,	fol. 75. a
Accretio,	fol. 45. a	Daemon,	fol. 76. a
Diminutio,		Homo,	fol 79. b
Actus,	fol. 46. a	Pygmaeus,	fol. 81. a
Potentia,	fol. 47. a	Vita,	fol. 82. a
Actio,	fol 49. b	Mors,	fol. 83. b
Passio,		Animal,	fol 83. b
Principium,	fol. 49. b	Fames,	fol. 84. b
Causa,	fol. 50. b	Sitis,	
Elementum,	fol. 52. a	Alimentum,	fol. 86 a
Materia,	fol. 53. a	Magia,	fol 88. b
Forma,	fol 54. b	Mundus,	fol. 89. b
Finis,	fol. 56. a	Cœlum,	fol. 91. a
Efficiens,	fol. 57. b	Quinta essentia,	fol 92. b

 Po-

Index Capitum principalium.

Porus, fol.94.a
Vniuoca, equiuoca &c. fol.95.a
Sonus, Vox, Oratio, Nomen, Verbum, Echo, fol 97.a
Rarum, & densum, fol.101
Necessarium, fol.102 b
Contingens, Possibile, Impossibile, fol.103.a
Monstrum, fol.105.a
Imitatio, fol.107.a
Opinio, fol.108.a
Perspicuum, & Opacum, f.109.a
Medium, fol.110.b
Influxus, fol.112.a
Inspiratio, Furor, Ecstasis, Diuinatio, Raptus diuinus, fol.113.a
Amor, fol.115.b
Amicitia, fol.118.a
Odium, Lis, & Inimicitia, f.119.a
Sensibile, fol.120 b
Semen, Fructus, Conceptus, fol.123.a
Pulchritudo, fol.126.a
Gratia, fol.128.a
Virtus, fol.129.a
Vitium, fol.131.b
Omne, Omnia, Totum, Vniuersum, fol.133.b
Perfectum, fol.135.b
Meteorologica cuncta, fol.137.a
Numerus, fol.140.a
Harmonia, fol.140.b
Sol, fol.143.a
Differentia positionis, fol.145.b
Logica, fol.147.b
Vniuersale, fol.149.b
Prædicamentum, fol.153.b
Substantia, fol.155.a
Quantitas, fol.158.a
Qualitas, fol.160.a
Relatio, fol.163.a
Locus, fol.164.b
Vacuum, fol.167.a
Infinitum, fol.168.b
Habere, fol.171.a
Appetitus, fol.172.a
Resistentia, fol.178.b
Graue, & Leue, fol.180.b
De Vehiculis Animorum, f.185.b
Habitus, & Dispositio, fol.188.b
Diuitiæ, Paupertas, fol.191.a
Sententiæ, & Exempla, fol.194.a

FINIS.

INDEX

INDEX
DIFFINITIONVM, DISTINCTIONVM, AC PRAECIPVARVM QVAESTIONVM,

quæ in hoc opere continentur.

AB VNO, & AD VNVM, quotuplex? fol.96.a
Quæ nam dicuntur ab vno, & ad vnum? fol.95.b
Quæ dicuntur ab vno & ad vnũ, an sint analoga? fol.96.a
Num ab vno fiat natura vna? ibid.
Quomodo distinctè noscatur id, quod est ab vno? ibid.
Quid sit ab vno? fol.96.b
Quomodo quæ sunt ab vno definienda? ibid.
Quomodo generi ab vno competant differentiæ? ibid.
De quo agitur, dum agitur de eo, quod est ab vno? ibid.
Commune ab vno est posterius. ibid.
ACCIDENS pro vniuersali sumptũ, quid? fol.150.b
Accidentium definitiones. fol.5.a
Accidentium definitio quotuplex. fol.3.b
ACCRETIO quotuplex? fol.45.a
Quid ea sit? ibid.
An sit motus maximè mixtus. fol.45.b
Accretionis termini. ibid.
ACTIO quotupliciter vsurpatur? fol.49.a
Quid ea sit? ibid.
Origo actionis & passionis. fol.49.b.
Actio an prodeat ab æquale? fol.104.b
Actio duplex. fol.179.a.& 182.b
Num ratio actionis præest rationi resistentiæ? fol.179.b
Resistẽtia quomodo distinguatur ab actione? ibid.
Num vnumquodque quantum agit, tantum resistat? ibid.
Num grauitas & leuitas agant? fol.182.b
An actio antecedẽs & sequens sint eædem? fol.190.b
ACTVS quotuplex? fol.46.a
Quot actus definiendi? ibid.
Quid sit Actus? fol.46.b
Actus & potẽtia quomodo opponãtur? ibid.
Actus an sit idem cum suo fundamẽto? ibid.
Quomodo Actus & Potentia sint eiusdem generis? fol.48.b
Actus primus quot modis dicitur? fol.22.b
Actus secundus quid? f.22.b. an vertat actum primum? ibid.
Actus cur sumatur pro genere Animæ potius, quàm forma? fol.22.b
Actus variorum varij. fol.22.b
Actus & potẽtia an sint communiora motu? fol.49.b
AEQVIVOCVM quotuplex? fol.95.b
Quid sit? fol.95.a
An detur medium inter vniuocũ & æquiuocum. fol.95.b
AERIS quot, & quæ regiones? fol.138.b
AESTVS quid? fol.139.a
AETAS quotupliciter? fol.73.b
Quid ipsa sit? ibid.
Aeuum & Aetas quomodo se habeant ad inuicem? fol.74.a
Diuisio ætatum quæ? ibid.
Quatuor ætates quibus correspondeant? fol.74.b
An detur ætas consistentis? ibid.
Mundi ætates quæ? ibid.
AETERNITAS & AETERNVM vt differant? fol.67.a
Aeternitas quid? fol.67.b
Aeternitas ab Aeuo an secernatur ex mente Theologorum? fol.68.a
Deus an sit ipsa æternitas? ibid.
AEVVM & AETERNVM quid denotent? fol.67.a
Aeuum quotuplex? fol.67.b. & 68.a
Aeuum quid? ibid.
beant? fol.74.a
Aeuum & ætas quomodo ad inuicem se habeant? fol. 74.a
AFFABILITAS quid? fol.131.a
ALIMENTVM quotuplex? fol.86.a

Quid

INDEX.

Quid sit? ibid.
Quid primò nutritur? ibid.
Quot prodeunt ex alimento? ibid.
Alimenti quinam sensus? fol. 85. b. & fol. 87 b.
Alimenti quænam officia? fol. 86. a
Quænam officia animæ nutrientis? fol. 86. b
An viuentia nutriantur vsque in finem? ibid.
Alimenti quęnam conditiones? ibid.
Metalla an nutrire valeant? fol. 87. a
An odor nutriat? ibid.
Alimentum vt distinguitur à Leniente, Medicamento, & Veneno? fol. 87. b
ALTERATIO quotuplex? fol. 44. a
Quid sit alteratio? ibid.
Vbinam est? fol. 44. b
Animi perturbationes an sint alterationes? ibid.
Disciplina an inter alterationes numeretur? ibid.
AMICITIA quotuplex? fol. 118.
Quid? ibid.
Societas quid? ibid.
Quænam sunt causæ definitionis amicitię? fol. 118. b
In quo locum habeat amicitia. ibid.
An amicitia locum habeat in felice? fol. 119. a
Quid sit potentius odium, an amicitia, fol. 119. b
AMOR quotuplex? 115. b
Quot amoris gradus? ibid.
Quid sit? fol. 116 a
An appetitus sit genus amoris? ibid.
Quinam pater amoris? ibid.
Quænam mater amoris? ibid.
Quis nam amoris finis? fol. 117. a
Pro absolutione amoris quot conspirant? ibid.
Cur de amore opposita verè nũciare valeamus? ibid.
Quænam sint amoris vires? ibid.
Quomodo amor potest dici medius & postremus? fol. 117. b
Cur inter affines, & cognatos odium & amor maximè vigeat? fol. 119. b
Vter origine prior amor, vel Odium? fol. 120. a
An pugnet dari summum amorẽ, nil odij & litis intus includentem. ibid.
An amor sit nexus vniuersi? fol. 151. b
Num omnis appetitus sequatur amorem? fol. 173 b
De amore vide plura infra in dictione appetitus.
ANALOGVM quotuplex & analogia?
Analoga an sint, quæ dicuntur ab vno & ad vnum? fol. 96. a
ANGELVS quid significet? fol. 75. a
Angelorum quot principales gradus? ibid.
Angelus quid? fol. 75 b
An angeli sint puri? fol. 76. a
ANIMAL nomen quot modis vsurpetur? fol. 21. a
Animæ facultates quot? fol. 21. a
Anima quid sit? fol. 21. b
Anima & Mens an in idem veniant? fol. 22. a
Anima an valeat exactè definiri? fol. 22. a
Cur dicta ab Aristotele Entelechia? ibid.
An sit actus & potentia? ibid.
Anima an possit attrahi ad statuam per cœli considerationes? fol. 22. b
Anima an sit perfectio cuiuslibet corporis? fol. 23. a
Animæ definitio à nõnullis tradita reijcitur. fol. 23. b
De anima quid senserit Pythagoras? ibid.
Animam definituri quot inspexerunt? f. 22. a
Anima quomodo se habeat ad Fatum? fol. 27. a
Animæ definitio an competat menti? fol. 23. b
An rectè putarint veteres animas nec esse corpus, nec sine corpore? fol. 188. a
Annus magnus animorum quantus? fol. 187. b
Corpus an sit vehiculum animæ? fol. 188. a
De vehiculis animorum vide infrà vbi agio de vehiculis. fol. 185. b. per totum.
Anima an suscipiat magis & minus? fol. 157. a
ANIMAL vnde dicitur? fol. 83. b
Quotuplex? ibid.
Animalium gradus quot? ibid.
Animal magnum & paruum quod nam? fol. 84. a
Animal quid sit? ibid.
Animal an sit nomen vniuocum? ibid.
Animalium nexus cum vniuerso. fol. 152. b
Animal vniuersale quid? ibid.
Animal animati corporis an quelibet pars debeat esse organica? fol. 23. a
Quot sint animantium genera? fol. 187. a
ANNALES Dij qui? fol. 77. a
ANNVS quotuplex? fol. 70. a
Quid sit? ibid.
De principio anni. ibid.
Quot tempora anni? fol. 71. a & folio 71. b
Quid tempus anni? fol. 71. a
An sint quatuor apud omnes anni tempora? fol. 71. b
Quænam principia quatuor temporum? fol. 71. b
ANTIPERISTASIS quid? fol. 139. a
APPETITVS quotuplex? fol. 172. a
Quid? ibid.

Appetitus pro quibus dicitur paratus? fol. 172.b
Quot requiruntur pro appetitu? ibid.
An appetamus quæ possidemus? ibid.
An aliquis possit appetere se? fol.173.a
Num appetitus omnis sequatur cognitionem? ibid.
De Appetitu quot fuere opiniones veterum? ibid.
Num qui felix est, appetat quidpiam? fol. 173.b
Num omnis appetitus sequatur amorem? ibid.
Num omnia sint apta appeti? fol. 174.a
Num appetens præstet appetibili? ibid.
Num omne appetibile perficiat? ibid.
In appetitu producendo quid est quod moueat vt efficiens? fol.174.b
An detur appetitus impossibilium? ibid. & fol.176.a
Quomodo Homo à Brutis in appetendo differat? fol. 174.b
Appetitus sensitiuus hominis, quotupliciter consideratur? fol.175.a
Quid est id, quod in vniuerso magis & plura appetat? ibid.
Num Deo competant omnes gradus appetitionis? ibid.
An detur appetitio appetitionis? fol. 175.b
Num uis appetens cognoscat? ibid.
Pugnæ variæ inter appetitiones? fol. 176.a
Vtra potentior appetitio quæ sequitur cognitionem, an quæ cognitione careat? fol. 176.b
Num omnis appetitus sit bonus? fol. 177.a
Num appetitus in tota specie sit frustra? ibid.
An natura nos reddat pronos ad malum? ibid.
An aliquid iudicari possit bonum & nō appeti? fol. 177.b
ARITHMETICA quid? fol. 29.a
ARTIFICIOSA quomodo definiuntur? fol. 5.b
ASTRONOMIA quid? fol. 29.b

B

BONVM quotuplex? fol. 30.b
Bonorum genera quot? fol. 31.a
Variæ bonorum circumscriptiones. ibid.
Proprium vnicuique bonum. ibid.
Boni quot conditiones? fol. 32.a
Bonorum ordo qui? fol. 32.b
Homo, solùm cur per virtutem moralem absolutè denominatur bonus. ibid.
Bonum an possit iudicari, & non appeti? fol. 177.b
Bonum omne quomodo dematur, dempto fine? fol. 57.a
An pugnet dari summum malum, nil boni in se includens? fol. 120.a
BREVILOQVIO quinam vsi sunt? fol. 3.b

C

CABALA quid? fol. 98.b
CALIGO quid? fol. 139.a
CALOR quotuplex? fol. 161.b
Calor quid? fol. 160.b
CASVS quotuplex? fol. 64.b
Quid sit? fol. 65.a
Casui & fortunę communia quot? & quot differentia? ibid.
CATENA aurea cuncta connectens quæ? fol. 35.b
CAVSA quotuplex? fol. 50.b
Quid ea sit? ibidem.
Quid apud Platonem causa? ibid.
Ordo inuentionis causarum. ibid.
Causæ cur quatuor? ibid.
Causa secunda vt distinguitur ab instrumēto? fol. 51.a
Inter causas quis ordo? ibid.
An apud veteres principium sit materia, an causa? ibid.
Inter causas an sit finis à Stoicis collocatus? fol. 56.b
Priuatio quomodo redigatur ad causam? fol. 63.a
Causæ efficientis propria ratio, quæ? fol. 58.a
Causa cur non sit instrumentum? fol. 59.a
CHAOS leg. infra Locus.
CHOREA quid? fol. 141.b
CIVILIS scientia quid? fol. 29.b
COELVM quotupliciter vsurpatur? fol. 91.a
Quid sit? ibid.
Cur ipsum solum simplicium corporum sit præditum figura? fol. 91.b
Ordo attinentium ad cęlum. ibid.
Cur cęlum moueatur in orbem. ibid.
Cur moueatur duplici motu? fol. 92.a
Quomodo sit elementum? ibid.
Quomodo cęlum sit Aether? ibid.
Qui primi seiunxerunt naturā cęli à natura mortalium? ibid.
An in cęlo pugnantia pugnent? ibid.
Cęlum quomodo sit vna essentia & multiplex? fol. 92.a
An vniuersum cęlum sit lucidum? fol. 92.b
Cęli accidentia quæ? fol. 54.b
Cęli densitas. fol. 102.a
COLOR quid? fol. 109.b
De eo plura lege infra Perspicuum.

Colot an sequatur temperamentum? fol. 162.a
Cur variatum substantiæ formarum varij videantur colores comites? ibid.
COMETES quid? fol.61.a
CONCENTVS quid? fol. 142.b
CONCEPTVS non separatus quid? fol. 123.a
Conceptus separatus quid? ibid.
Conceptus vnde prodeat? fol. 123.b
CONSONANTIA quid? & quotuplex? lege infra in dictione Harmonia.
CONTINOENS leg. infra Possibile.
CONTRADICTIO quomodo careat, & non careat medio? fol.42.b
CORVSCATIO quid? fol. 139.b
CREATIO quotupliciter vsurpatur? fol. 63.b
Quid ea sit? ibid.
Genus creationis. ibid.
Philosophi an creationis fuerint ignari? ibid.
An Plato creationem nouerit? fol. 64.a
Quomodo Academici æternam æmanationem approbarint? ibid.

D

DAEMON quid significet? fol.76.a.& folio 77.b
Quid sit? fol.76.b
Dæmones peregrini qui? fol.77.a
Dæmones terrestres qui? ibid.
Discrimen inter Deum & Dæmonem. fol. 77.b
Genus dæmonum quotuplex? ibid.& fol. 78.a
Dæmon cur dicatur Natura? fol.78.a
Dæmones mali an dentur apud Platonem fol.77.b
An dæmones cadant sub sensum? fol.78.a
An Aristoteles putarit dari dæmones? ibid.
DEFINITIO à quibusnam consideratur? fol.6.a
Quid sit? fol.61.a
Cur indagata? fol.7.b
Cur sit principium demonstrationis? ibid.
Vti est iuncta cum demonstratione? fol.6. & fol.5.a
Quomodo consideratur à Logico, & quomodo à cæteris? fol.6.b
Quænam vtilitas definitionis? fol. 1.b
Quomodo sit vna? fol.7.a
Quatuor gradus vnitatis definitionis, ibid.
An sit tradenda per metaphoram? fol. 7.b
Vnius rei vnica esse debet. fol.9.a
Cur non est enumeratio? fol.9.a
In definitione nil redundans. fol.8.b
Definitio affirmatiua, vniuersalis. fol. 9.b
Per negationem triplex: per affirmationem multiplex. fol.3.a
Definitionum quot genera? fol.3.a. & fol. 6.a
Definitionis nomina varia. fol.3.b
Definitio accidentium quotuplex? fol.3 b
Definitiones quis primus excogitare cœpit? fol.2.a
Num eas inuenire valeamus? fol.2.b
Quibus rationibus à veterib. euertebantur? fol.2.b
Cur à veteribus neglectæ? fol.2.a
Definitio secundum formam quotuplex? fol.4.b
Tradita per externa cur dicatur per formam? fol.4.b
Definitio principiorum. fol.3.a
Definitionis partes quomodo dicantur vel formæ, vel materiæ? fol.7.a
Definitionem ingredientia quomodo cõmunia sint definito? fol.7.b
Quomodo causæ externæ non ingrediantur definitionem? fol.8.b
Definiri an cuncta valeant? fol.4. b
Definibile duplex. fol.9.b
DEMONSTRATIO vt differt à definitione? fol.1.b.& fol.5.a
Demonstrationis principium cur sit definitio? fol.7.b
DENOMINATIVA quænam dicuntur? fol.95.b
DENSVM. l.infra Rarum.
DEPRAVATIO quid? fol. 132.a
DEI nomen quot modis vsurpatur? fol. 1.a
A Deo cur ordiendum? ibid.
Deus quid sit? fol. 11.a
Deus an sit ipsa æternitas? fol.68.a
Deus quot modis definitur? fol. 11.b
Deus num sit ens? & Mens? fol. 12.a
Dei cognitionis gradus quot? fol.13.a
Septem communia ex Deo per vniuersum effusa, quæ? fol. 13.a
Enitendum eleuari ad Deum cur? fol.13.b
De Deo problemata nonnulla. ibid.
Deus quomodo sit causa mali? fol.34.a
Dei voluntas, quid? fol. 172.b
Dij quotuplices? fol.77.b.
Deorũ cultus quomodo sit magiæ? fol.89.a
DEXTRVM & sinistrum. l. infra Differentiæ positionis.
DIABOLVS quid? fol.75.b
Plura de eo. l. supra Dæmon.
DIALECTICA quotuplex. fol.148.b
Quid? fol.14 .a
Quomodo Dialectica sit apex scientiarũ? fol 148.b
Dialecticis rationibus vbi vtamur? fol. 149.b

Diale-

Dialecticæ encomium. ibid.
Dialectica quomodo sit pars Philosophiæ? fol. 30.a
Dialecticus quomodo definiat. fol. 6.b
DIES quotuplex? fol. 72.a
Quid sit? ibid.
DIFFERENTIA pro vniuersali sumpta, quid? fol. 150.b
An aliud sit esse alterum, & differre? fol. 151.a
Differentia postrema an sit totum definitũ? fol. 8.a
DIFFERENTIAE positiones quot nominibus appellentur? fol. 145.b
Quotupliciter vsurpentur? ibid.
Quid sint? ibid.
Quibus rebus competant? fol. 146.a
Differentiarum positionis oppositiones cur tres? ibid.
Quot sint differentiæ positionis? ibid.
Cui nam primò competant differentiæ positionis? ibid.
An omni corpori competant tres oppositiones differentiarum? fol. 146.b
Quot modis ipsę competant corporibus inanimis? ibid.
Quomodo inter se distinguantur? ibid.
Sursum & deorsum quomodo competant mundo? fol. 147.a
An ad Sursum & deorsum cęterę positionis differentiæ redigantur? ibid.
DIMINVTIO quid? fol. 132.a
Diminutio cum definitur, cur non appareat finis? fol. 45.b
Plura de diminutione l. sup. Accretio.
DISCIPLINA an sit alteratio? fol. 44.b
DISPOSITIO lege infra Habitus.
DISTINCTIO an sit præferenda definitioni? fol. 1.b
DIVERSIVOCA quænam dicuntur? fol. 95.b
DIVINATIO quotuplex? fol. 113.b
Quid sit? fol. 114.a
Diuinandi quot modi? fol. 113.a
Artes diuinatrices an negligendæ? fol. 115.a
Cur Vates cęci? ibid.
Diuinatio apud Theologos quæ? fol. 115.b
DIVISIO quid? fol. 61.a
DIVITIAE & Paupertas quotupliciter? fol. 191.a
Quid? fol. 191.b
Quid intersit inter diuitias & mensuram diuitiarum? ibid.
Cur solus homo diues & solus Pauper? ibid.
Diuitiæ an competant corpori vel animo? ibid.
Cur mensura diuitiarũ dicitur Numus? fol. 192.a
Cur Pluto deus diuitiarum. ibid.
Cur Pluto cæcus & claudus fingatur? ibid.
Cur diuitię dicantur bona fortunæ? ibid.
An detur terminus diuitiarum? ibid.
Qui sint termini diuitiarum? fol. 192.b
Num diuitiæ sint bonæ? ibid.

E

ECHO. lege infra Sonus.
ECLIPSIM veram cur Sol non patiatur? fol. 144.a
Cur de Solis & Lunæ dũtaxat eclypsi mentio fiat? fol. 145.a
An alijs planetis pręter Solem & Lunam eclypsis competat? ibid.
ECSTASIS quomodo se habeat ad Inspirationem, & diuinationem? fol. 113.b
Quid ea sit? fol. 114.a
EFFICIENS quotuplex? fol. 57.b
Quid sit? fol. 58.a
Causæ efficientis propria ratio quæ? ibid.
Efficiens ad quot referatur? ibid.
Efficientium quot gradus? ibid.
ELEMENTVM quotuplex? fol. 52.a
Quid sit? ibid.
Elementum solùm dicitur de internis. fol. 52.b
In ratione elementi quot includantur? ibid.
Materia an sit magis elementum, quàm forma? ibid.
Elementorum formæ an sint grauitas & leuitas? fol. 181.b
Elemento stellarum quomodo spiritalis calor seminis proportione respondeat? fol. 124.a
Elementorum motus rectus an sit secundum naturam? fol. 43.b
ELOCVTIO l. infra Vox.
ENDELECHIA, seu Entelechia quid? fol. 46.b
ENS quomodo nosci possit? fol. 96.a
Ad entis constitutionem, quot requirantur? fol.
Ens vniuersè an fiat? fol. 42.b
Quomodo ens dicatur de Actu? fol. 46.b
Entium quot gradus? fol. 64.a
ENTHYMEMA quid? fol. 61.a
EXEMPLVM quid? fol. 61.a
EXEMPLAR quot modis? fol. 18.b. lege. Idea.
EXHALATIO quid? fol. 138.a
EXISTENTIA quot sunt gradus existentiæ? fol. 157.a

F

FACVLTAS alicui quot modis competit? fol. 141.a

FA-

FAMES & Sitis quotuplex? fol. 84. b
Quid sit vtraque? ibid.
Quot conspirant pro fame? fol. 85. a
Quot appetitus in fame? ibid.
Cui parti animalis primò competat fames & sitis? ibid.
An idem simul expetat contraria? ibid.
An fames sit appetitus sicci? ibid.
Qualis sit appetitus famis? fol. 85. b
Cur sitis sit molestior fame? fol. 88. a
Cur prius comedimus? ibid.
Cur aues adunci rostri non bibunt? ibid.
FATVM an sit idem fundamento quod natura? fol. 25. b. & fol. 26. b
Quotuplex sit? ibid.
Cur Parcæ cum Fato nectantur? ibid.
Quid sit Fatum? fol. 26. a
De fato quot fuere opiniones? fol. 26. b
An quæ fato fiunt, sint absolutè necessaria? fol. 26. b
Ad quod genus causæ Fatum redigatur? fol. 27. a
Fato quænam subiecta? ibid.
Ad Fatum quomodo Anima se habeat? folio 27. a
FAVNI dij qui? fol. 77. b
FERITAS quid? fol. 132. a
FERAE an percipiant harmoniam. folio 143. a
An feræ noscant particulares substantias? fol. 132. a
FINIS quotuplex? fol. 56. a
Quid? fol. 56. b
An inter causas numeretur à stoicis? ibid.
An inter causas obtineat principatum? ibid.
Quomodo sint vera, quæ de ipso pugnare videntur? ibid.
Quomodo fine dempto dematur omne bonum? fol. 57. a
quomodo finis sit principium? ibid.
quid præstet, num principium, vel medium, vel finis? 111. b
FLVMEN quid? fol. 139. a
FLVXVS ac Refluxus quid? fol. 139. a
FOEMINA num valeat dici imperfecta? fol. 137. a
Fœmina an sit distinctæ speciei, vel eiusdem cum Mare? ibid.
FOETVS quid? fol. 123. a
FONS quid? fol. 139. a
FORMA quot nominibus appelletur? fol. 54 b
Formarum quot gradus? ibid.
Formarum substantiæ quot gradus? ibid. & fol. 157. a
Formæ quæ sunt Accidentia quot? ibid.
Formæ, quæ sunt qualitates quot? ibid.
Forma quid? fol. 55. a
Forma pro esse absoluto an sit causa. ibid.
Forma an sit magis elemẽtum quam materia? fol. 52. b
quæ est propria ratio formæ? fol 55. a
Forma relata ad materiam, & ad compositum. fol. 55 b
Forma cur dicitur quid erat esse? ibid.
Cur dicitur Ratio? ibid.
An forma sit totum id, quod compositum est? ibid.
Forma formans, & assistens. ibid.
Forma quomodo priuationis nomen quandoque induitur? fol. 62. b
Formæ & priuationis oppositio quomodo maximè substantiæ competat? fol. 63 a
Forma an sit principale principium indiuidui? fol. 151. a
Forma an rectiùs dicatur esse in materia, quam in subiecto? fol. 156. a
Forma an sit magis substantia, quàm Materia & compositum? ibid.
Forma materiata quotuplex? fol. 157. a
Formæ an recipiant magis & minus? ibid.
Forma totius an detur? fol. 134. b
FORMATRIX vis quid? fol. 123. a
quomodo ea operatur? fol. 124. b
FORTITVDO quid? fol. 131. a
FORTVNA quotuplex? fol. 64. b
Quid ea sit? fol. 65. a
Fortunæ & casui communia quot? & quot differentia? ibid.
Fortunæ bonum quid? fol. 31. b
FOSSILE quid? fol. 139. b
FRIGVS quid? fol. 160. b
FRVCTVS quid? fol. 123. a
FRVSTRA quotupliciter? fol. 65. b
Quid sit frustrà? ibid.
Frustrà cur magis competat homini, quàm cęteris? ibid.
FVLMEN quid? fol. 139. b
FVMVS quid? fol. 138. a
FVROR quotuplex? fol. 113. a
Quid sit? folio 113. b
quot sunt diuini furores? fol. 113. a
Opinio Platonis de furore quæ? fol. 115. a
Furor poeticus quid? fol. 113. b. & 115. a
Controuersia inter Platonem & Aristotelem de furore poetico. fol. 115. a

G

GENERATIO quotuplex. fol. 41. b
quid ea sit ex mente ferè omnium philosophorum? ibid.
An ea sit continua? fol. 42. a
An detur generatio simpliciter. fol. 42. b
GENITVRA quid? fol. 123. a
Controuersia inter medicos & Peripateticos de genitura. fol. 123. b

INDEX

Genius quid? fol.77.a
Genus quotuplex? fol.150.a
Quid? ibid.
Genus quomodo totum & pars? fol.135.b
Geometria quid? fol.29.a
Glacies quid? fol.138.b
Grando quid? fol.138.b
Gratia quotupliciter? fol.128.a
Quid? fol.128.b
Quomodo se habeat ad pulchritudinem? ibid.
An gratia sit affectio? ibid.
Gratia cum relatione nectitur. fol.129.a
Gratiæ quot? ibid.
Gravitas & Leuitas quotupliciter? folio 180.b.& 183.a
Quid vtraque? ibid.
An veteres putarint esse absolutè graue & leue? fol.181.a
An grauitas comitetur materiam? ibid.
Graue & leue an sint affectiones corporis Physici? fol.181.b
Per quot Aristoteles definiuit Graue & leue? ibid.
Grauitas & leuitas an sint formæ elementorum? ibid.
Grauitas & leuitas an sit qualitates primę? ibidem.
An detur mixtum grauius Terra? fol.182.a
An Grauitas & leuitas sint qualitates sequentes primas? ibid.
Num Grauitas & leuitas agant? fol.182.b
Grauitas & leuitas quomodo percipiatur sensu tactus? ibid.
Num corpus per motum reddatur grauius? fol.183.a
Num residentia in loco grauitant? ibid.
Leuitate & grauitate quotupliciter contingit? ibid.
Grauitas quomodo terræ contingat? ibidem.
Num lapis, propinquior cētro, sit grauior? fol.183.b
Graue & leue quomodo sint affectiones Quanti? fol.159.a
Num grauitas & leuitas sequantur densitatem & raritatem? fol.183.b
Num ignis densior sit grauior? ibid.
Num Vter inflatus sit grauior? fol.184.
An graue & leue moueatur? fol.184.b
Quomodo grauitas & leuitas sint affectiones Quanti? ibid.
Quomodo inuicem opponantur graue & leue. fol.185.a
Gustus quotuplex? fol.87.b
An sit sensus alimenti? folio 85.b. & folio 87.b

H

Habere quotupliciter? fol.171.a
Quid? ibid.
An aliud ab homine propriè dicatur habere? fol.171.b
An homo propriè habeat animam? ibid.
Plantæ an habeant propriè folio? ibid.
Habitus & Dispositio quotuplex? folio 188.b
quid? fol.189.a
Formæ omnes an dicantur habitus? ibidem.
In attinentibus ad habitum & dispositionē quis ordo consideratur? ibid.
Quot modis habitus producatur? ibidem.
Habitus quomodo altera natura? ibidem.
Habitus an sit principium operandi? folio 189.b
Quibus competit habitus? ibid.
Habitus ad quodnam prædicamentum redigatur? ibid.
De habitibus animi quot opiniones philosophorum? fol.190.a
Num præcurrat operatio, vel habitus? ibidem.
An definitio naturæ competat habitibus animi? fol.190.b
Habitus & Priuatio an sint prædita medio? fol.112.a
Halitus quotuplex? fol.137.a
Quid? fol.138.a
Halo quid? fol.139.b
Harmonia quid denotet? fol.141.b
Quotuplex? ibid.
Quid? folio 142.a
quotuplex Harmonia cęlestis? ibid.
quot gradus humanæ consonantiæ & dissonantiæ? fol.142.b
Harmonia quot sensibus percipiatur? fol. 143.a
An harmonia sit sensibile commune? ibidem.
Num harmonia percipiatur a Brutis? ibidem.
Hebdomadas quotupliciter vsurpetur? fol. 72.b
quid ea sit? ibid.
Heros qui? fol.77.b
Heroica virtus quid? fol.131.a
Hierarchia quid? & quot? folio 75.b
Homo quotuplex? fol.79.b
quid? fol.80.a
An ratio soli homini competat? fol. 78.b & 80.b
Homo quomodo sit a simili? fol. 80.b

b Homo

Homo præsertim cur sit mundus paruus? fol.90.a
Quænam ex hominis mente prodeunt? folio 5.b
Hominis viuentis quotuplex conditio? folio 118.b
Humanæ actiones quomodo definiuntur? fol.5.b
Honoris appetitio moderata quid? folio 131.a
Hora quotupliciter sumitur?fol.73.a
Quid sit?ibid.
Hvmor quid? fol.160.b

I

Ideae nomen quot modis vsurpetur? fol. 18.b
Ideæ definitiones.fol.20.a
Idea ad quot referatur? ibid.
Idearum inuentor quis? ibid.
Ideæ an concedi debeant? fol.20.b
Idearum quot munera? fol 20.b
Ignorantia docta quænam? folio primo,a
Imber quid? fol.139.b
Imitatio quotupliciter? fol.107.a
Quot imitationis gradus?ibid.
Quid sit? fol.107.b
Vera imitatio cum quo iuncta? ibid.
Imitatio ad Visum & Auditum pertinens quæ? ibid.
Cur valeamus imitari varia? ibid.
Esse spiritale an sit imitatio? ibid.
Immobilitas quotuplex? fol.40.a
Quid ea sit? ibid.
Imperfectionem quot indicant? folio 12.b
Impossibile quotuplex? fol.303.b
Quid sit? fol.104.a
Quomodo opponatur Necessario? folio 103.a
Inane vide infra Vacuum.
Incubi qui?fol.77.a
Individuum: lege infra Singulare.
Inductio quid. fol.61.a
Infinitum quotupliciter? folio 168.b.& folio 169.b
Quid sit? fol.169.a
quomodo Infinitum & Finitum sint affectiones quanti? ibid.
Infinitum an ignotum?fol.169.b
Num Infinito competat ratio? ibid.
Infinitum quomodo careat ordine? folio 170.a
Num infinito possit aliquid addi? ibidem.
An detur infinitum actu? ibid.
An Infinitum possit pertransiri? fol.170.b
An Infinitum moueri possit? ibid.
Num Infinitum omne ex materia prodeat fol.171.a
Infinitum an sit propriè totum? folio 135.a
Influxus quotuplex? fol.112.a
Quid sit? fol.112.b
Distinctio Influxus a motu.ibid.
Inspiratio an propriè influxus. ibid.
Inimicitia quid? lege infra Odium.
Inspiratio quotuplex? fol.113.a
Quid sit? fol.114.a
Vt differt a tentatione? fol.115.a
Inspiratio an propriè influxus? folio 112.b
Philosophi an inania proferant de Inspiratione? fol.114.a
quot opiniones variæ de Inspiratione? fol. 114.b
quid de Inspiratione senserit Aristoteles? ibid.
Instrumentum quot modis vsurpetur? fol. 58.b
quid sit Instrumentum? ibid.
Instrumenta cur concaua sint?ibid.
De instrumento quot explicanda? folio 59.a
Instrumenti conditiones quæ? ibid.
Cur instrumentum non sit causa? ibidem.
Ad quod genus causæ instrumentum redigatur? ibid.
Instrumentum ad quot referatur? ibidem.
Disciplinarum instrumentum quotuplex? fol.56.b
Instrumentum logicum quotuplex? folio 60.b
Instrumentum logicum quid?fol.61.a
Intelligentia quid? fol.140.b
Intelligibile quotuplex? fol.17.a
Intelligibile quid sit? fol 17.b
quot sunt, quæ intelligunt? fol.15.b
Intelligibili num præstet Mens. folio 17.b
Num omne intelligibile sit aptum intelligere. fol.18.a
An omnia intelligant? fol.15.b
Iris quid? fol.139.b
Ivstitia quid? fol.131.a

L

Labor Homini vtilis. fol.1.a
Lacvs quid? fol.139.a
Lares qui? fol 77 a
Larvae quæ? fol.77.a
Latio quotuplex? fol.43.a
quid sit? ibid.

i. Circum

Circum latio an teneat principatum inter genera motuum? fol.43.b
Cur latio simplex circumscribatur per medium? ibid.
Motus simplex quid? fol.43.a
Quodnam genus motuum præstantius? fol.43.b
Pulsio quid? fol.43.a
Tractio quid? fol.43.a
Vectio quid? fol.43.a
Leve lege supra Grauitas.
Liberalitas quid? fol.131.a
Lis quid? lege supra Odium.
Lis an sit vtilis? fol.120.a
Literarum varietas. fol.99.a
Locus quotuplex? fol.164.b
Quid? fol.165.a
Quænam sint competentia loco? ibid.
Quomodo locus, dictus de superficie ambientis, dicatur immobilis? fol.165.b
An omne corpus in Vniuerso subsistens sit in loco? ibid.
Num locus antecedat corpori? fol. 166.a
Quænam sint differentiæ loci? ibid.
Locus an sit quantitas? fol.159.a
Locus & Locatum quomodo sibi respondeant? fol.166.a
Quot modis aliquid fit in loco? ibid.
Vbi an sit in prædicamento quantitatis? fol.166 b
Quomodo locus dicatur affectio corporis physici? ibid.
An dicendum sit Inane esse locum? folio 167.b
quid Chaos denotet? & quot de Chao opiniones fuerint? ibid.
An in Vniuerso reperiatur Inane? folio 156.a
De loco vide plura infra in dictione Vacuum.
Logica quotuplex? fol. 147.a
Quid? fol.148.a
An sit scientia? fol.148.b
Quomodo redigitur ad artem? fol.149.a
quid accipiendum pro genere Logicæ? ibidem.
Definitio tradita de logica probatur. ibidem.
quot sint disciplinæ Logicæ, & quænam ipsarum principatum teneat? folio 149.b
Logicus quomodo cõsiderat definitiones? fol.6.b
Lumen quid sit? fol.35.a.& b
Lumen actus variorum? fol.35.b
quot rerum gradus respondeant gradibus luminis? ibid.
An lumen educatur ex potentia materiæ? folio 36. a
Lumen an fuerit prius tenebris? folio 37. a
Lumen an sit? fol.35.b
An sit corpus? ibid.
An moto lucido mutetur lumen? ibid.
Lux quotuplex? fol.34 b
Lucis quot gradus? ibid.
quot sint cum Luce, subordinata? ibidem.
quid sit Lux? fol.35.a

M.

Magia quotuplex? fol.88.a
Quid sit? fol.89.a
An ea sit præstantia sapientia? ibid.
quomodo Magia sit cultus Deorum? ibidem.
Magi insigniores. ibid.
Magnanimitas quid? fol.131.a
Magnificentia quid? fol.131.a
Magnum & Paruum quotuplex? folio 159.a
Malum quotuplex? fol.33.a
Malum quid? fol.33.b
Malorum gradus quot? ibid.
An detur penitus malum? ibid.
Malum an infinitum? fol.33.b
Malum ex se an sit ens? fol.34.a
Mali causa quomodo sit Deus? ibid.
Malum summum quodnam? fol.133.a
Manna quid? fol.139.a
Mansvetvdo quid? fol.131.a
Mare quid? fol.139.a
Mathematica quid? fol.29.a
Mathematicus quomodo definit. fol.6.b
Materia quotuplex? fol.53.a
Materia prima quotuplex? ibid.
Materiæ gradus quot? ibid.
Materia quid sit ex sententia veterum? folio 53.b
quænam sunt viæ, per quas progredimur in cognitionem materiæ? ibid.
Ratio, per quam Materia causa est. fol.54.a
Apud veteres principium sit Materia, an causa? fol.51.a
Materia an sit magis elementum, quàm forma? fol.52.b
An dicatur causa formæ creatæ? fol.54.b
quomodo sint vera de materia quæ pugnare videntur? ibid.
In prima materia quot gradus priuationũ consideratur? fol.62.a
An sit magis substantia materia, quàm forma? fol.156.a
Materiæ quot gradus? fol.23.a
Materia prima an mala? fol.34.

INDEX

MEDIVM quotuplex? folio 110. a. & fol. 111.a
Quid? fol.111.a
Medium quomodo est unicum, & multiplex? ibid.
Idem an possit esse medium & extremum? ibid.
An infinito competat medium? folio 111.b
Quid præstet, num principium, vel mediũ, vel finis? ibid.
Num omnia contraria sint medio prędita? Ibid.
An Priuatio & Habitus sint prædita medio? fol.112.a
An Transitus fit per omnia media? ibidem.
MEL RORIDVM quid? fol.139.a
MENS an valeat exactè definiri? folio 13. b
Mentis variæ descriptiones. ibid.
Mens quot modis vsurpetur? fol. 12. a. & fol.14 a
Mens an sit aliquid absolutum? folio 15.a
Mens cur dicatur participata? fol.16.a
Quot videntur dicta pugnantia de Mente? fol.16.b
Mens & anima an idem veniant? folio 22. a
Mentis humanæ obiectum quid? fol. 17.b
Num Mens præstet intelligibili? ibid.
MENSIS quotuplex? fol. 72.a
Quid sit? ibid.
MENSVRA quotuplex? fol.66.a
Mensurabile quotuplex? ibid.
Mensura quid? fol.66.b
Mensurarum principium quodnam? ibidem.
Quomodo scientia & sensus mensuræ? folio 67.a
Solus Deus quomodo est supra mensuras? ibid.
Mora quot mensuris mensuretur? folio 68. a
MENSRVVM quid? fol.123.a
METALLVM quid? fol.139.b
Metalla an nutriant? fol. 87.a
METAPHYSICA quid? fol.19.a
Metaphysicus in omni genere causæ eleuatur ad primum. fol. 6.a
METAPHORA quænam? fol.95.b
Metaphoræ an ponendæ in Definitione, fol.7.b
METEORA quid significent? fol. 137.a
Meteorum quid? fol.138.a
Ad quot capita rediguntur meteora? folio 137.a
Meteora incensa quæ? fol.138.b
Meteorologica lactea quæ? ibid.
Meteorologicæ imagines quæ? ibid.
METHODVS quotuplex? folio 59. & folio 60.a
Quid sit? fol. 61.a
Ratiocinatio an sit conditio necessaria Methodi? fol.61 b.
MINERA quid? fol.139.b
MOLES quomodo sit definita? fol.45.b
MONSTRVM quotuplex? fol. 105.a
Quid? fol.105.b
Natura gignens monstrum an deserat, & seruet leges? ibid.
Cur Feræ dicantur monstra naturæ? ibidem.
An gignantur monstra ex partibus animalium distinctæ speciei? fol.106.a
An in Plantis plura, quàm in animalibus gignantur monstra? ibid.
An fęmina sit monstrum? ibid.
An miracula sint monstra? ibid.
An Pygmæi sint monstra? fol.106.b
An species tota dici possit monstrum? ibidem.
An per ægritudinem gignantur monstra? ibid.
An in Cęlo fiant monstra? ibid.
An monstra fiant casu? ibid.
MORA quot mensuris mensuretur? folio 68. a
MORS quid sit? fol.83 b
Mors animæ absolutæ an sit postrema? folio 83.a
Quomodo mors competat plantis? folio 83. b
MOTVS quotupliciter vsurpatur? folio 37. b
Quid sit motus ex Pythagora, Platone, & Aristotele? fol. 38.a
Motus pro fluxu quid est? fol.38.b.
Motus an sit generatio quædam & interitus? ibid.
Quomodo sit & non sit in omni prædicamento? fol.39.a
Motus an sit genus? ibid.
Quot sint genera motus? ibid.
An motus fiat? fol.39.b
Motui an antecedat status? fol.40.b
Motus quomodo explicet clariùs naturam ibidem.
Motus super naturam an detur? folio 43.b
Motus totius quisnam? fol.91.b
Num corpus per motum reddatur grauius? fol. 183.a
Motus an sit naturæ opus præstantius generatione similiter fol. 184.b

Motus

Motus rectus elementorum an sit secundũ naturam? fol.43.b
MVLTIVOCA quænam dicuntur? folio 95.b
MVNDVS quotupliciter vsurpatur? folio 89.b
Mundi diuisiones quot? ibid.
Mundus quid? fol.90.a
Mundus paruus cur præsertim homo? ibidem.
Cur non dicantur plantæ? fol.90.b
Mundus mundorum qui? ibid.
perfectio Mundi quæ? ibid.
Mundus an maximè diligatur à Deo? ibidem.
Mundus an sit vnus? ibid.
Mundus paruus quinam? fol.84.a
Plantæ cur non dicantur mundi parui? folio 90.b
MVSICA quid? fol.29.a
Musica cur vtenda? fol.142.b
De musica vide plura supra in dictione Harmonia.

N

NATVRA quid? fol 24.b
Quæ sint eius conditiones? fol. 24.a. & fol.25.a
Eius variæ significationes. ibid.
Eius distinctiones. ibid.
Cur dicatur vita? fol.24.b
Per Naturam quid Veteres intellexerint? fol.25.a
Veteres an rectè definiuerint naturam? ibid.
An sit Fatum & Natura fundamento idem? fol.25.b.& 26.b
Natura an nos reddat pronos ad malum? fol.177.a
Natura cur dicatur Dæmon? fol. 78. a. & fol.114.b
Quodnam est præstantissimum opus naturæ? fol.184.b
An definitio naturæ competat habitibus animi? fol.190.b
NEBVLA quid? fol.139.a
NECESSARIVM quotupliciter vsurpetur? fol. 102.b & fol.104.b
quid sit? ibid.
Necessarium an sit vniuocum? fol.103.a
Necessario quomodo opponatur Impossibile & illud Contingens, quod potest esse & non esse? ibid.
An idem relatum ad varia possit esse necessarium & Contingens? fol.104.b
Necessarij cuncta seruant conditionẽ quandam? fol.105.a
NIMBI quid? fol.138.b
NIX quid? fol.138.b
NOMEN quotuplex? fol.97.a
Quid sit? fol.97.b
An omne nomen possit dici verbum? ibid.
Nomen an denotet naturam? fol.98.a
Quomodo partes nominum seorsum nil significent? ibid
Quid primo significent nomina compositorum? ibid.
Qui nominum primi conditores? fol.98.b
Num rerum nomina sint ad libitum? ibid.
De virtute nominum. fol.99.a
Num vir sapiens tenetur de nominibus esse solicitus? fol 100.a
NVMEN quotupliciter? fol.75.a
Quot gradus numinum? ibid.
NVMERVS quotuplex? fol.140.a
quid? fol.140.b
Numerorum quot gradus? fol.140.a
Quis fuit numeri inuentor? fol.140.b
Num, anima rationali non existente, reperiri possit numerus? ibid.
An vlla virtus competat numero? folio 141.a
quomodo interrogationibus & dubitationibus valeamus per numeros respondere? ibid.
Cur Deus gaudeat numero impari? f. 141.b
quomodo Deus cuncta producat certis & definitis numeris? ibid.
quomodo figuræ & numeri sint principia rerum? ibid.
NVTRITIO lege supra Alimentum.

O.

OCVLVS quotuplex? fol.34.b
ODOR an nutriat. fol.87.a
ODIVM quotuplex? fol.119.a
quid? fol.119.b
Quid sit Lis? ibid.
quid sit Inimicitia? ibid.
In quibusnam lis, odium, siue inimicitia, & pugna reperiatur? ibid.
quid sit potentius odium an Amicitia? ibidem.
Cur inter affines & cognatos odium, & Amor maximè vigeat? fol.120.a
Cur magis indignamur aduersus eos, quibus opem tulimus, quam aduersus alios? ibid.
Vter origine prior Amor vel Odium? ibidem.
An pugnet dari summum Amorem, nil odij & litis intus includentem? fol.120.a
OLYMPIAS quid? fol.73.b
OMNE quotupliciter? fol.133.b
Cuinam competit? ibid.
Omne quid? fol.134.b

OPACVM lege infra. Perspicuum.
OPINIO quot upliciter? fol. 108.a
Quid sit? ibid.
Quomodo opinio distinguatur à scientia? fol. 108.b
Sententia Platonis de opinione. ibid.
OPPOSITA quot includant? fol. 10.b
ORATIO quotuplex? fol. 97.a
Quid sit? fol. 97.b
Oratio an sit quantitas? fol. 159.a
ORDO quid? fol. 61.a
Ordo parum artis includit. fol. 61.b
Num semper origine potterius sit prius dignitate? fol. 184.a
ORGANVM quid? fol. 23.a
Plura de eo lege supra Instrumentum.
OVVM quotuplex? fol. 123.b
Quid? ibid.
Quam virtutem habeant oua subuentaneæ? fol. 125.b

P

PALVS quid? fol. 139.a
PANES dij qui? fol. 77.b
PARCAE, cur cum Fato nectantur. fol. 25.b
Cur dicantur parcæ? fol. 26.a
PARELIVM quid? fol. 129.b
PARS quotuplex? fol 135.a
Quid? fol. 134.b
An totum sit idem cū suis partibus. ibid.
quot proportiones? fol. 135.a
Quæ propriè dicitur pars? ibid.
Genus quomodo totum & pars? fol. 135.b
Num infinito competat ratio? fol. 169.b
PARVVM lege supra Magnum.
PAVPERTAS lege supra Diuitiæ.
PENATES Dij qui? fol. 47.a
PERFECTVM quotuplex? fol. 135.b
Quid? fol. 136.a
Perfectum vnde consurgit? ibid.
An perfectū recipiat magis & minus? ibid.
Num perfectio locum habeat in vitio. folio 136.b
In quibus est posita perfectio? ibid.
Perfectum an sit natura prius imperfecto? ibid.
An detur plusquam perfectum? ibid.
An Perficiens semper ei dignitate præstet, quod perficitur? fol. 137.a
Perfectum de quo dicitur? fol. 134.a
PERICARPIVM quid? fol. 123.b
PERSPECTIVA quid? fol. 29.b
PERSPICVVM & Opacum quotupliciter? fol. 109.a
Quomodo perspicuitas sit & non sit qualitas secunda? ibid. & fol. 110.a
Quid ea sit? ibid.
Opacitas quid? fol. 109.b
Quæ Lucida, quę Perspicua, & quę Opaca? ibid.
Vtilitates perspicui & opaci quæ? ibid.
An omnia mixta includant aliquid perspicui? ibid & fol. 110.a
Quomodo idem coloratum & perspicuum? folio 110.a
Opacum an detur? ibid.
Quænam est causa perspicuitatis? folio 110.b
PERTVRBATIONES animi, an sint alterationes? fol. 44.b
PHANTASIA cur dicatur Mens? fol. 15.a
PHILOSOPHIA quotuplex? fol. 28.b
An exactè definiri queat? ibid.
Materia philosophiæ quænam? fol. 29.b
Philosophia an sit vniuoca? ibid.
Quomodo dialectica sit pars philosophiæ? fol. 30.a
PHYSICA quid? fol. 29.a
Physicus quomodo definit? fol. 6.b
PLANETARVM ordo quis? fol. 144.a
Quis nam planetarum præstantior? ibid.
Cæteris Planetis præter Solem & Lunam an competat eclypsis? fol. 145.a
PLANTAE cur non parui mundi dicantur? fol. 90.b
Plantis quomodo competat mors? fol. 53.b
An in plantis plura quam in animalibus gignantur monstra? fol. 90.b
PLVVIA quid? fol. 138 b
PORVS quotupliciter vsurpatur? folio 94.a
quid sit Porus? fol 94.b
Pori an semper ijdem? ibid.
Pori solum viuentibus competunt. ibid.
POSSIBILE siue contingens quotuplex? fol. 103.b. & 104.b
quid? fol. 104.a
Contingentium quot capita? fol. 103.b
Cur Possibile sex modis describatur? folio 104.a
An Idem relatum ad varia possit esse necessarium & contingens? fol. 104 b
quomodo in æternis esse & posse non distinguantur? ibid.
Contingentia vnde oriatur? fol. 105.a
POTENTIA quotuplex? fol. 47.a
quid ea sit? fol. 47.b
Ad quot referatur? ibid.
An distinguatur à suo fundamento? ibid.
quomodo opponatur Actui? fol. 46 b
An agat in aliud, vel patiatur ab alio? folio 47.b
Potentia & Actus quomodo sint eiusdem generis? fol. 48.b
Potentia & actus an sint communiora motu? fol. 49.b
PRAEDICAMENTVM quotuplex? folio 153.

153.b.& folio 154.a
Quid? fol.154.a
Quot sint? fol.153.b
Ratio numeri prædicamentorum. ibid.
An omnia prædicamenta sint composita? ibid.
Cur Aristoteles quatuor exactè tractauit? ibid.
Ad quem pertineat Prædicamentum. folio 154.a
Cur Prædicamenta debeant esse vniuoca? ibid.& fol. 166.b
Quænam propriè sint in prædicamentis? ibid.
Quot modis aliquid ad prædicamentum redigatur? fol.154.b
An quod non est in aliquo prædicamentorum, non sit in rerum natura? ibid.
Quot sint prædicamenta ex sententia Platonis ac reliquorum philosophorum? folio 155.a
Spiritalia an sint propriè in prædicamento? fol.190.a
PRAEDICATVM primum quotuplex? folio 149.b
Prædicati distinctio.fol.9.a
PRAESTER quid? fol.139.b
PRAESTITES quid? fol.77.a
PRINCIPIVM quotuplex? folio 49.b
An detur principium rei tantum? ibid.
Quid sit principium? fol.50.a
An quotuplex est principium, totuplex sit Prius? ibid.
Principium apud veteres materia, an causa sit? fol.51.a
Quomodo finis sit principium? fol.57.a
Quid præstet num principium, vel medium vel finis? fol. 111.b
Principiorum definitio. fol.3.a
PRIVATIO quotuplex? fol.62.a
Quid ea sit? fol. 62.b
Priuatio denotat & malum & bonum. folio 62.a
Quot gradus priuationum considerantur in prima Materia. ibid.
An priuatio à negatione seiungatur? folio 62.b
Priuatio quomodo sit forma? ibid.
An detur priuatio priuationis? ibid.
Quomodo à priuatione ad habitum detur regressus? ibid.
Priuationis & formæ oppositio quomodo competat maximè substantiæ? folio 63.a
Priuatio quomodo redigatur ad causam? ibid.
Priuatio & Habitus an sint prædita medio? fol.112.a
Priuatio an iudicetur exactè ab externis sensibus? fol.37.a
Priuatio an sit principium per se ortus? fol. 42.b
PROCELLA quid? fol.139.a
PROPORTIO quotuplex? fol.135.a
Vide plura supra in dictione Pars.
Proportio commutata quænam? fol. 95.b
PROPRIVM pro vniuersali sumptum, quid? fol.150.b
PROVIDENTIA quotuplex? folio 27.b
Quid? fol.28.a
Requisita pro Prouidentia quæ? ibid.
Per quot causas definiatur? ibid.
PRVDENTIA quid? fol.130.b
PRVINA quid? fol 138.b
PSECADES quid? fol.13 .b
PVLCHRITVDO quotupliciter? fol. 126.b
Quid ipsa sit? fol.126.b.
Sententia Academicorum de pulchritudine. fol.127.a
Pulchri quomodo Idea? ibid.
Quid est, quod pulchrorum principatum obtineat? ibid.
Similitudo pulchritudinis & voluptatis folio 127.b
Num omne pulchrum bonum? controuersia Aristotelis cum Platone. ibid.
Gratia pulchritudini iuncta quid? folio 128.b
Gratia quomodo se habeat ad pulchritudinem? ibid.
Hominis breuis staturæ, an pulchri? folio 129.a
PYGMAEVS quotuplex? fol.81.a
Quid sit? ibid.
An dentur pygmæi? fol.81.b
An pygmæi sint monstra? fol. 105.b

Q

QVALITAS quotuplex? fol.160.a
Quid? fol.160.b
Qualitas spiritalis quotuplex? fol.161.a
Quot differentia inter qualitates materiatas & spiritales? ibid.
Cur qualitates primæ quatuor? fol.161.b
Qualitates tangibiles quænam? ibid.
Sonus an sit secunda qualitas? ibid.
Quot opiniones de qualitatibus occult. fol 161.a
Quænam qualitates secundæ sequuntur temperamentum? ibid.
Qualitatum quæ præstantiores primæ, vel secundæ? folio 184.a
QVANTITAS quotuplex? folio 158.a
Quid? fol.158.b
Quantitati quę sunt subordinata? ibid.
Quantitas an sit genus vniuocum quantitatis continuæ & discretæ? ibid.
Quænam sunt affectiones quæ competunt quanto?

quanto? folio 159.a
Quomodo graue & leue numerentur ab Aristotele inter affectiones Quanti? ibidem
Locus, oratio, & Tempus quomodo quantitates? ibid.
Graue & leue quomodo affectiones Quanti? ibid. fol. 184.b
Cur Quantitas excludatur ab efficientib. fol. 159.b
Finitum & infinitum quomodo affectiones Quanti? fol. 169.a
QVIES quid? fol. 40.a
quomodo est affinior rebus mortalibus? fol. 40.b
De Quiete vide Plura in dictione Status.
Status an antecedat motui? fol. 40.b
Quænam in vniuerso verè stant? ibid.
An detur mansio exactissima? fol. 41.a
De statu vide plura supra in dictione quies.
Quiescens quotuplex? fol. 40.a
An detur quiescens penitus? fol. 41.a
QVINTA Essentia quid significet? folio 92. b
quot opiniones de ea? ibid.
quid ipsa sit? fol. 93.a
quomodo explodantur opiniones nonnullorum philosophorum de quinta essentia? ibid.
quo loci sententia Aristotelis est explicata de quinta essentia? fol. 93.b
An per sublimationem elici possit quinta essentia? ibid.

R

RADIVS quid? fol. 35.a
Radius an possit deferri per medium inane? fol. 36.a
RAPTVS diuinus lege supra Ecstasis.
RARVM & Densum quotuplex? folio 101. a
Quid sit? ibid.
Ad quod Prædicamentum redigitur? fol. 101. b
An vtrumque principia sint omnium passionum? ibid.
An vtrumque qualitates vel quantitates sint? ibid.
Mathematica an sint rara & densa? folio 102. a
Densitas & Raritas cęli? ibid.
Num Raritatem & densitatem, comitetur grauitas, & leuitas? fol. 183.b
RATIO an soli homini competat? folio 80. b
Rationis varia munera. fol. 81.a
RELATIO quotuplex? fol. 162.b
Quid? fol. 163.a
Quot includantur in Relatione? ibid. & fol. 10.b
An relatio sit distincta a suo fundamento? ibidem.
Scientia relatorum quomodo vna? folio 163. b
quomodo vnum relatorum debeat definiri per alterum? ibid. & fol. 10.a
Relata esse simul naturam, an sit verum de omnibus? ibid.
Quomodo relata sint posteriora his, quæ sunt per se? ibid.
An detur medium inter relata? fol. 164.a
An partes secundum substantiarum dicantur ad Aliquid? ibid.
An verum sit quædam esse ad Aliquid ratione generis, non ratione propria? ibidem.
RESISTENTIA quotuplex? fol. 178.b
Quid? fol. 179.a
Resistentia num sit actio, vel passio? ibidem.
An resistentia communior sit reactione? fol. 179.b
Resistētia quomodo distinguatur ab actione? ibid.
Num ratio actionis præest rationi resistentiæ? ibid.
Num vnumquodque quantum agit, tantū resistit? ibid.
an concedi debeat resistentia interna? ibidem.
Quot sunt quæ dicuntur resistere? folio 180. a
RHYTHMVS quid? fol. 142.a
RIVVS quid? fol. 139.a
ROS quid? fol. 138.b

S

SALSEDO quid? fol. 139.a
SAPIENTIA quid? fol. 130.b
SCIENTIA quid? fol. 130.b
Scientia cur rara sit in hominibus? folio primo, a
SEMEN quotuplex? fol. 123.a
Quid? ibid.
Semini quot sunt subordinata? ibid.
Quomodo soluenda controuersia apparens in Aristotele de semine? folio 124.a
Quomodo spiritalis calor seminis proportione respondeat elemento stellarum? ibidem.
an semen sit organicum? ibid.
Vis seminaria quid? fol. 123.a
Quomodo vis seminaria operatur? folio 124. b
an semen si tanimatum? ibid.

Quo-

Quomodo per semen membra formentur? fol. 125.a
An semen decidat ex omni parte corporis? fol. 125.b
Vtrum prius semen, vel viuens? ibidem.
SENSIBILE quotuplex? fol. 120.b
Quid? ibid.
Quomodo soluitur pugna in Aristotele de Sensibile? fol. 121.a
Quomodo communia sensibilia sentiuntur? ibid.
Quot sint communia sensibilia? folio 121. b
An sensus decipiantur? ibid.
Priuatio quomodo sentiatur? fol. 122.a
An Feræ noscant particulares substantias? ibidem.
Sensibilia ex accidenti quomodo noscantur ab homine? ibid.
Quid dignitate præstet, num sensus, vel potius sensibile? fol. 122.b
SENSVS lege supra Sensibile.
Sensus externi an exactè iudicent priuationes? fol. 37.a
SENTENTIA quotuplex? fol. 194.a
Quid? fol. 194.b
Sententia vt differt ab Enthymemate? folio 194.a
Quomodo vtimur sententijs? fol. 194.b
A quo sententiæ proferri debeant? ibidem.
Quænam sunt sententiæ illustriores, & efficaciores? ibidem.
Quænam sententiarum vtilitas? ibid.
Sententiæ heroicæ pro despicienda morte quæ? fol. 195.a
Sententiæ cum oppositione prolatæ quæ? fol. 195.b
Sententiæ pro amplectenda virtute & vitando vitio, quæ? ibid.
SERMO compendiosus vtilis, & quinam eo vsi sint? fol. 1.a. & b
SICCITAS quid? fol. 160.b
SINGVLARE quotuplex? fol. 151.a
Quid est? ibid.
Quodnam est principale principium indiuidui? ibid.
SITIS lege supra Fames.
SOCIETAS quid? lege supra Amicitia.
SOL quotuplex? fol. 143.a
Quid? fol. 143.b
Sol cur dicatur Apollo? ibid.
Sol an sit in medio planetarum? ibid.
Sol cur non verè eclypsetur? fol. 144.a
Quæ considerantur in Sole? ibid.
Sol cur videatur reuolui? ibid.
De monte Solis quot opiniones? folio 144.b
Quomodo Sol sit æternus mundi oculus? ibidem.
Cur mentio tantum fiat de eclypsi Solis & Lunæ? fol. 145.a
SOMNIA cur matutina præstent? folio 115.a
SONVS quotuplex? fol. 97.a
Quid ipse sit? fol. 97.b
Echo quid? ibid.
Quomodo Echo fit? fol. 100.a
Sonus an per aquam etiam deferatur? fol. 100.b
Sonus an sit spiritalis? ibid.
An idem à varijs audiatur? ibid.
An in igne sonus possit produci? ibidem.
Sonus an sit secunda qualitas? folio 161.b
SORS quotuplex? fol. 64.b
Quid ea sit? fol 65.a
SPECIES pro vniuersali sumpta quid? fol. 150.b
SPLENDOR quid? fol. 35.a
STAGNVM quid? fol. 139.a
STELLARVM elemento quomodo proportione respōdeat calor spiritalis seminis? fol. 124.a
STEREOMETRIA quid? fol. 29.a
STVDIORVM ordo & recta ratio quæ? folio 2. a
SVBIECTVM quotuplex? fol. 9.a
SVBSTANTIA quotupliciter? folio 155. a
Quotuplex? ibid.
Quid? fol. 155.b
Quot sunt conditiones substantiæ? ibidem.
Quæ sit magis substantia forma, vel materia, vel Compositum? fol. 156.a
Num substantia intendatur, & remittatur? fol. 156.b
An substantiæ competat contrarium? fol. 157.b
Quomodo substantia, cum non sit in subiecto, & in eo maximè sit? ibid.
Cur variarū substantiæ formarum varij colores videantur comites? fol. 162.a
An partes secundarum substantiarum dicantur ad aliquid? fol. 164.a
SVRSVM & Deorsum an sint differentiæ positionis? fol. 145.a
quomodo competant mundo ex sententia Platonis & Aristotelis? fol. 147.a
An ad sursum & deorsum cęteræ differentiæ positionis redigantur? ibid.
Sursum & Deorsum an à veteribus concessa? fol. 181.a
SYLLOGISMVS quotuplex? fol. 60.b
Syllogismus quid? fol. 61.a

T

Temperantia quid? fol. 131.a
Vt differt Temperatus a continente? fol. 177.b
Tempus quotupliciter? fol. 68.b
An posit esse multiplex? fol. 68.a
Tempus cur potius aeri tribuatur, quàm cęteris elementis? fol. 68.b
Ferę quomodo noscant tempus? ibid. & fol. 69.b
Tempus quid sit? fol. 69.a
An tempus iure per motum diffiniatur? folio 69.b
An tempus sit numerus numerans? ibidem.
Tempus an sit quantitas? fol. 159.b
Tempus significare & consignificare quid? fol. 98.a
Tenebrae quotuplices? fol. 36.b
Cur nam opponantur? ibid.
De tenebris quot opiniones? ibid.
An eę dentur re uera? ibid.
An eę sint intra terram? fol. 37.a
An eę sint extra mundum? ibid.
An tenebrę fuerint priores lumine? ibidem.
Tenebrę quid? fol. 35. a. & folio 36.b
Terraemotvs quid? fol. 139.b
Tonitrvvm quid? fol. 139.b
Torrens quid? fol. 139.a
Totvm quotuplex? fol. 134.a
Cuinam opponitur? ibid.
Totum quid? fol. 134.b
An totum sit idem cum suis partibus? ibidem.
An detur forma totius? ibid.
quomodo dimidium sit plus toto? folio 135.a
Infinitum an sit propriè totum? ibidem.
Genus quomodo totum & pars? folio 135.b
Tvrbo quid? fol. 136.b

V

Vacvvm siue Inane quotupliciter vsurpetur? fol. 167.a
quid sit Vacuum? ibid.
Quot opiniones fuere de Vacuo? ibidem.
An interuallum aliquod reperiatur seiunctum à dimensione corporum? folio 167.b
An dicendum sit Inane esse locum? ibidem.
Inane quid denotet? ibid.
Quid Chaos, & quot de eo fuere opiniones? ibid.
An in Vniuerso reperiatur Inane? folio 168.a
An Vacuum dicatur consimilis naturę, & conditionis? ibid.
Vehicvlvm quotupliciter? fol. 185.b
quid? ibid.
Quot sint conditiones Aetherei vehiculi? fol. 186.a
an Aristoteles teiecerit vehicula animorum ętherea? fol. 186.b
Quot sint genera vehiculorum? folio 187.a
Quomodo de vehiculo aereo academici & Peripatetici inter se dissentiant? fol. 187.b
Ventvs quid? fol. 139.b
Verbvm quotuplex? fol. 97.a
Quid sit? fol. 97.b
An omne verbum posit dici nomen? ibidem.
Verbum an denotet actionem? folio 98.a
quomodo detur verbum infinitum? ibidem.
Veritas quid? fol. 131.a
Via lactea quotuplex, & quid? folio 138.b
Virga meteorologica quid? fol. 139.b
Virtvs quotupliciter? fol. 129.b
Quid? fol. 130.a
quot modis virtutes rebus tribuantur? ibid.
Virtutes infra rationem quę? folio 131.a
quę propriè virtus? fol. 131.b
an detur virtus materię? ibid.
quodnam est genus in definitione Virtutis? ibid.
an detur vna virtus omnes alias virtutes includens? ibid. & fol. 132.b
Cur virtus non perdat alteram, sed eam perficiat? ibid.
quomodo vni virtuti medię duo opponantur viria? fol. 133.a
Cur virtus rationis non sit in medio collocata vt virtus moralis? ibid.
Vita & Viuens quotuplex? folio 82.a
Viuentium quot gradus? fol. 82.b
Vitę quot gradus? ibid.
Quid sit vita? Quid Viuens? ibidem.
Vis vitalis quę? fol. 83.a
an detur vita animę & corporis? ibidem.
an viuentia nutriantur vsque in finem? folio 86.b

Vitivm

INDEX

VITIVM quotuplex? fol.131.b
Quid? fol.132.a.& 133.b
Num positum sit vitium in deprauata selectione, vel in opere. fol.132.b
Quomodo vitium dici potest vnum, multiplex, & infinitum? ibid.
Num dari queat vitium totum includens omnia vitia? ibid.
Cur virtus nõ perdit, sed perficit alteram: vitium verò seipsum perdit? ibid.
Quomodo vni virtuti mediæ duo opponãtur vitia? fol. 133.a
Cur vitijs in principio obsistendum? fol. 133.a
Quis est solus a vitio solutus? fol.133.b
Cur vitium naturæ ordinem euertat? ibidem.
VIVENS. lege infra VITA.
VMBRA quid? fol.35.a
VNIVERSALE quotuplex? fol.149.b
Quid? fol,150.a
De genere generalissimo plura. fol.150.a
Vniuersalia cur quinque? ibid.
Aequiuocum an rectè dicatur vniuersale? fol.151.a
Vniuersale ante rem quotuplex? folio 151.b
Vniuersale in re an sit ens rationis, vel potius verè & absolutè Ens. ibid.
An vniuersale gignatur, & pereat? ibid.
An absolutè valeat incipere? fol. 152.a
Num vniuersale præstet singularibus. folio 153.a
VNIVERSVM quotuplex? fol. 134.a
Quid? fol.134.b
VNIVOCVM quid? fol.95.a
An detur medium inter vniuocum & æquiuocum? fol.95.b
VOLVNTAS, an sit impossibilium? folio 174.b
Quot sunt differentiæ voluntatis à selectione? fol.178.a
VOX quotupliciter diuiditur? fol.95.a
Quid sit? fol.97.b
Elocutio quotuplex? fol.95.a
An soli homini competat? ibid.
Quid ea sit? fol.97.b
Cur elocutionum materia sit triplex? fol. 104.a
VRBANITAS quid? fol.131.a

F I N I S.

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS.

DE RERVM DEFINITIONIBVS. Liber Vnus.

PROEMIVM.

HVMANA conditio, in hoc tenebrarum ambitu, adeò cũ ignorantia est iuncta, eiusq; caligine circumfusa, ut sapientiæ splẽdor, vel in paucis fulgeat, vel apprimè tenebricosus appareat. Et iure optimo profectò, pauci enim per Naturã perspicaci ingenio sunt præditi, & qui eo valent; vel à sensuum appetitionibus, tanquàm à perniciosa Circe, à via Virtutis, quæ Regia est, abducuntur; uel fortunam adeò habẽt aduersam, ut necessarijs careant; vel labores ferre, aut non ualẽt, aut nolũt, sine quibus nil pręclarum homini assequi datũ est; uel demùm ob proprij æui breuitatem, longissimos studiorum cursus absoluere nequeunt, adeò ut iure optimo potiùs mirari debeamus, quòd non omnes insipiãt, quàm quòd pauci sapere uideantur. Hinc Ari. in 2. de Anima enunciauit, nobis magis propriam esse ignorantiam, quàm scientiam, ex quo etiam docta Socratis ignorãtia manauit, dicẽtis hoc unum scio, quod nihil scio. Quæ scientia in dubium quoque ab alijs fuit reuocata, affirmantibus se huius quoque esse ignaros, an nihil scirẽt. Propterea ut aliqua ex parte cõmuni impotentiæ succurramus, memoriæq; labili feramus opem, nitendum pro facultate est, longa in breuia, multa in pauca, cõfusa in cõspicua, cõposita, & ex principijs orta, in simplicia, & prima capita redigere. Ita enim Deum (ut nobis licet) emulabimur, qui uniuersam rerum multitudinẽ, coniunctim, & simplicissimè in se inclusam, sine ullo tempore distinctissimè intuetur; adeò ut simul, & summè unus, & summè omnia, sapientum consensione iudicetur. Hoc considerãtes Lacedæmones Laconicè, hoc est multa paucis perstringendo, loquebantur, & sententias quasdam, tanquàm summas rerum enũciabant,

Scientia rara est.

Labor homini utilis

Docta ignorantia.

Vtilis est sermo compendiosus.

Lacedæmones.

Pythagoras. *Stoici.* ciabant,id ipsum seruarunt Pythagoræi,quorum carmina iure dicuntur aurea, cum seorsum à redundantia uerborum,preciosa,& salubria documenta includant.Stoici quoque eos imitati breuiloquio sunt usi, cosmographorum more, qui latissimas Regiones,quas toto uitæ cursu peragrare nobis non liceret, in eã redigunt formam,ut unico intuitu eas inspicere ualeamus,eãdẽ ratione & uia *Hippocrates.* præclarè Hippocrates,compendiosis Aphorismis,sanitati corporum suppetias tulit. Hoc cum pro omni scientia, & Arte mirum in modum sit utile, pro inspectrice Philosophia,ob eius amplitudinem,& obscuritatẽ summoperè est necessarium. Dum autem modum quærimus,formasq; consideramus;quibus id *Vtilitas Definitionum.* aptè assequi liceat,modum illum longè cæteris pręstare iudico,qui in principalium capitum definitionibus est positus,ea namq; Methodo rerum initia Menti offerimus,multa in pauca perstringimus,composita in simplicia resoluimus, effecta redigimus in suas causas,redundantia resecamus, & ea breuibus in lucẽ edita,ex quibus exacta cunctorum cognitio deducitur. Definitio enim eius est cõditionis,ut breuissimè uniuersam rei essentiam patefaciat,& quoniam ex essentia,& natura rerum prodeunt affectiones, ideò per eam affectionum quoq; notitiam consequimur,simulq; quid res sit,& qualis, & propter quid sit,telis di*Arist.* stinctè cognoscimus.:deò Aristoteles in procemio de Anima cõt. 11.enũciauit, inaniter & dialecticè traditas esse eas definitiones,per quas rei definitæ affectiones non cognoscuntur.Propterea definitio adeò cum demõstratione est iũcta, ut uel Principium eius sit,uel conclusio,uel uniuersa demonstratio, sola partiũ *Mathematica.* positione distincta,& Mathematicæ,quæ scientiarum certissimæ iudicantur,cũcta quæ ostendunt, demùm in definitiones resoluunt, vt legitur in secundo Phys.68.His accedit,quòd appræhensio earum definitionũ,quæ sunt principia demonstrationum,ad habitum intelligentiæ pertinet,cũ sit cognitio Principiorum,qui habitus,est melior habitu sciẽtiæ,ut legitur in primo Posteriorum, nã illum parit,ac facultate includit,iure igitur qui in disciplina inspectrice uersantur,cuius finis est rerum cognitio, de rerum definitionibus tenetur esse soliciti, munere quarum cuncta noscuntur,& sine quibus, nil scire nobis datum est. Vt enim in disciplinis,quarum finis est opus,uel actio,congruenter cuncta redigũtur in capita,dum leges,& rectè operandi rationes in pauca perstringuntur, ita in philosophia cuius finis est ueritas,id aptissimè efficitur per definitiones. Pro*Speusipp.*ptereà cõmendandus est Speusippus qui breuibus amplecti cupiens vniuersam Platonis sui affinis,& præceptoris doctrinam,librum construxit Platonicarũ definitionum. Cauendum tamen iudico,dum id facimus, ne ob uocũ multiplices significationes decipiamur, neque adeò breuitati studeamus, vt id nobis congruat, Breuis esse laboro, obscurus fio. Propterea operęprętium iudico, primò *Distinctiones prefe rendę.* distinctiones rerum definiendarum, nominumq; principaliores significationes proponere,mox rerum definitionibus traditis,annotationes quasdam luci*Addendę annotationes.* das,& distinctas addere,occurrentiaq; dubia diluere,vt attinentia ad definitiones clariora reddantur. His itaq; de causis consilium meũ est principalium re*Consilium auctoris.* rũ ex quibus Vniuersum constat,potiores definitiones connectere,partim ex illustrium Philosophorum libris selectas,partim à me excogitatas, & formatas, quibus tanquàm lumen aliquod,annotationes nonnullas superaddam. Et quoniam humana cognitio magna ex parte est potiùs opinio, quàm scientia, & opinionum varietas contẽplationes reddit uberiores,& splendidiores, quod opera Plato.& Aristot.patefecerunt,quorum libri variarum opinionum, quasi florum insertione sunt referti,ideò ego definitiones sæpè referam ne dum ex Peripateticorum Principijs deductas, uerùm insuper ex Academicorum, Stoicorumq; fontibus haustas,vt quid de attinentibus ad Vniuersi constitutionem,potiores

tiores

tiores Philosophi senserint, reddatur conspicuum, Opus profectò ut summopere vtile, & sublime, ita apprimè arduum, vt autem eius vtilitas reddatur conspicuis, operepretium est considerare, magnam vim esse positam in studiorum ordine, forma, & constitutione, & studiosos iuuenes summoperè teneri esse solicitos de recto, & vtili studendi genere, ne Chaos constituant, & in Labyrintho perdantur. Rectum autem studendi genus in hoc præsertim esse positum experientia, & ratione lucidè noui, nimirum vt legendo, audiendo, meditandoq; nitamur cuncta scitu, notatu, memoria've digna inprima & propria capita redigere, ex quibus reliqua pendent, ortumq; ducunt, & ex quorum notitia refulget cognitio cæterorum. Hoc autem seruabimus ea Methodo progrediendo, qua in hoc libro ego progredi conatus sum, adeò vt vnumquodq; caput fit tanquam Thesaurus attinentium ad illud. Propterea quicumque cupiunt suorum studiorum fructum colligere, tenentur in vno, pluribusve subordinatis libris, pro hoc paratis, primò capita à me definita distribuere, mox alia addere, quæ varia lectio eis offeret, & cũcta semper ad propria capita redigere, adeò vt mox de re aliqua, quouis modo verba facturi, inspiciẽdo caput proprium, cuncta ad eam pertinentia se illis offerant. Ea erunt tãquam materia, quibus ordo & dispositio, tanquam forma erit addenda. Memoria nostra labilis est, ideò ne fructus laborum pereãt, sed nobis ad libitum pro vario vsu inseruiant, accuratè condenda, auxilioq; calami seruanda sunt. Rectam hanc studiorum formã indicauit Aristoteles, quamuis subobscurè, in primo libro Topicorum, nec alia fuisse puto Atacta, siue inordinata, quæ inter opera Aristotelis referuntur. Nitar ego studiosis iuuenibus iter parare, Methodumq; patefacere, & agam quod valebo. Dum autem signum mihi propositum non attingam; occasionem saltem præbebo sublimioribus ingenijs id cumulatius efficiendi, ad solam Dei Gloriam, & honorem.

Ordo in studio seruandus.

Recta studiorum ratio.

Arist. auctor rectæ rationis studiorum.

DE ATTINENTIBVS AD DEFINITIONIS NOTITIAM. Cap. I.

VT ad rerum definitionem paratiores accedamus, deq; illis rectiùs valeamus iudicium tradere, primò definitionis conditiones, & regulæ tanquam leges sunt præscribendæ, lex enim est recta ratio, qua rectum ab obliquo secernere valemus. Primò autem considerandum occurrit, num definitio dari, & formari queat, vel ne Vetustiores Philosophi rerum definitiones non inquirebant, easq; penitùs negligebant, vt ait Philosophus in primo Metaphysicæ, cap. 5. cuius negligentię duplex potest assignari ratio. Prima est, quia definitio est oratio formam explicans: ex sententia autẽ veterum materia erat vniuersa essentia, & natura, formæ autem omnes iudicabantur affectiones, & accidentia, & propterea definitio formam explicans, & rem vnam ab altera secernens negligebatur. Altera ratio est, quia formas fluere, & continenter variari inspiciebant, rei autem fluentis, nec scientia, nec definitio esse potest. Democritus primus fuit, qui definitiones excogitare cepit, vt legitur in primo de partibus Animalium, cap. 1. Mox Pythagoras, & post eum Socrates exactiùs definitiones indagârunt. hi namq; primi nouerunt, ne dum materiam non esse vniuersam essentiam, verùm nec præsertim, sed id tribuerunt formæ, & per id euerterunt rationem, & fundamentum primum. vt autem vitarent secundum, essentiales rerum numeros, & ideas excogitârunt, quæ essent rerum essentiæ, adeò ut definitiones, numeros, & ideas explicarent, quæ cum sint à materia mortalium secreta, varietati non sunt obnoxiæ, quarum

Cur Vetustiores neglexere definitiones.

Democritus.
Pythagoras.
Socrates.

idearum mox formæ corporum iudicabantur vmbræ, imitationes, & participa-
tiones. Verùm quia definitio non formam abiunctam, sed materiatã, & iunctam
Aristot. singularibus explicat, ideò Aristot. sentiens cum illis formas esse essentias, & natu
ras rerum, ab eis recessit, renuens essentiales numeros, & ideas, quæ vniuersalia
ante multa nuncupantur, & vniuersalia in multis, hoc est, in rebus singulis appro-
bauit, & considerauit. Singularia enim, quamuis numero varientur, seruantur ta-
men specie; & quamuis singularia definita, & signata pereant, sumpta tamen in-
definitè seruantur, quia continenter noua reficiuntur, mutantur secundùm quan
tum, seruantur secundùm quale, hoc est secundùm communem essentiam, ut le-
gitur in quarto Metaphisicæ, ac ita cadunt sub scientiam, & definiri possunt. Nã
Alexand. vt in primo Naturalium. 9. rectè ait Alexander, definitiones sunt singularium se-
cundum communia, & communium existentium in singularibus, non itaq; ina-
Num va- niter inquiruntur rerum definitiones. At hoc in dubium uerti potest, cum den-
leamus in tur rerum definitiones, num illæ à nobis inueniri, & nosci possint? nam fuit quo-
uenire de rundam opinio, & ut ait Philoponus Speusippi, eas fugere humanum captum,
finitiones. quam opinionem etiam refert Aristoteles in secundo posteriorum. Nitebantur
Ratio cuer autem præsertim hoc fundamento, nam quicumque rei alicuius cupit definitio-
tentiũ defi nem tradere, tenetur noscere omnia, at nemo ualet cuncta noscere, nemo itaque
nitionem. ualet definire. Minor satis constat, maior ostenditur, quoniam hæc præcipua est
definitionis conditio, ut rem definitam à cæteris omnibus secernat, nemo autem
differentiam inter plura noscit, nisi eorum habeat notitiam, ut in secundo de
Anima docet Aristoteles. Hæc opinio à Philopono, & alijs uiris doctis tribuitur
Dubitat. Speusippo at miror, cum ipse librum construxerit Platonicarum definitionum,
cuius etiam Diogenes Laertius mentionem facit in uita Speusippi, nisi dicamus
Librum illum esse alterius Speusippi, nimirum illius Alexandrini medici, cuius
etiam Diogenes mentionem facit: uerum hoc approbandum non uidetur, quia
liber ille definitionum tribuitur Speusippo auditori, & affini Platonis. Propterea
Solutio. dicamus rationem illam ab eo fuisse formatam, uel tanquam argutam & appa-
rentem, non autem cogentem, uel ut denotaret obscuram & arduam definitio-
num inuentionem, & iure hoc dicere ualemus, cum posteriorũ Academicorum
sententia fuerit nos de quauis re, pro utraq; parte probabiliter posse disserere, &
propterea nobis opinionem competere, non scientiam, ac ita patet rationem
Speusippi consentaneam reddi sententiæ Academicorum, & per eam ostẽdi non
Sententia exactas, sed probabiles formari definitiones. Nos autem pro Aristotele scientiam
Aristot. approbante rationem illam soluere ualemus. Primò dicentes eam patefacere so-
lam difficultatem, non autem quod nullo pacto definitiones inuenire, & forma-
re ualeamus. Secundò unà cum Aristotele in secundo post. addendum est, non
esse necessarium definientem omnia scire, ueluti definiturus hominem, cogno-
scens per eius conditiones illum esse substantiam, nõ est necesse ut cætera omnia
prædicamenta noscat, similiter noscens per eius opera quod est sentiens, non est
necesse ut cęterorum non sentientium notitiam habeat, ea enim sunt prædicata
absoluta, quæ ex se, & sine relatione ad aliud sunt nata cognosci. His addo, quòd
aliud est comparare duo, eaq; noscere ut uaria, & distincta, quod competit sensui
communi, noscenti differentias distinctorum sensibilium, & noscere distinctè ali-
quid quod est hoc, & non oppositum, quod competit definienti. Pro primo est
necesse distinctè noscere utrumq;, at non pro altero, nam sat est distinctè noscere
quod est hoc, oppositum sat est noscere per communia, confusè, & per negatio-
Dubitat. nem. At statim ex data solutione altera emergit satis pulchra dubitatio, quæ est, si
pro unius indaganda, & formanda definitione, non est necesse cũcta noscere, sed
ea solùm quæ sunt illius generis, saltem pro indagandis, & formandis rerum om-

nium definitionibus, id conspicuè erit necessarium, & ob id temerè, & inaniter videbor ego id negocium assumere, cum sit supra vires humani ingenij. At ego non adeò sum audax vt cæteris me præferam, conscius enim sum imbecillitatis mei ingenij, nec polliceor me omnium exactas daturum definitiones, sed communium quorūdam, & capitum principalium, neque etiam profiteor me earum omnium auctorem, plurimas enim ex libris virorum sapientum deprompsi, & ea etiam quorum referam definitiones, non audeo me omnia distinctè noscere profiteri, & præsertim quia plurimæ potiùs sunt descriptiones, quàm exactæ definitiones, & si aliquis potiores inueniet, gratiæ ei erunt referendæ.

QVOTVPLEX, ET QVID SIT DEFINITIO. Cap. II.

NONNVLLI viri docti, quinque statuerunt Definitionis latè sumptæ genera. Vnum explicans essentiam ex internis causis constitutum, ut ira est accensio sanguinis, circa præcordia. Alterū explicans externas causas, & propter quid, vt ira est appetitus vindictæ. Tertium cum dinumeratione partium, vt Ars Medēdi dicitur scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum. Quartum, quòd traditur per alterum ad id relatum, ut Pater est filij Pater. Quintum est descriptio per accidentia. Ego tamen, vt distinctiùs capita singula refulgeant, ita dicendum puto. Definitio, vel solùm explicat quid denotat nomen, vel quid sit res: si primùm, ea dicitur notatio, & nominis explicatio, quæ est duplex, uel transumptio, & est explicatio uocis ignotioris per notiorem, ut fari est loqui, uel est nominis interpretatio, ut lapis lędens pedes: si autem explicat quid sit res, uel id facit per negationem, uel per affirmationem; si per negationem, inde prodeunt definitiones per negationem traditæ, quibus præsertim definiuntur extrema, quod fit tribus modis, uel cum excessu, ut suprema, quod denotat præstantiam, ut de Deo dicimus, quòd non est cęlū, sed aliquid eminentius, uel cum depressione, quod denotat imperfectionem, ut de Materia dicimus, quòd non est quid, nec quale, nec quantum, sed aliquid infra, quòd detrahitur, dū additur, sed omnia hęc potestate, uel fine utrisque, ut accidens definitur per negationem cæterorum uniuersalium. At si definitio traditur cum affirmatione, uel est cum relatione, uel absoluta: si cum relatione, uel est cum relatione simplici, uelut unum relatorum definitur per alterum, uel est per similitudinem plurium relationum, & dicitur definitio Analogica, de qua inquit Arist. in primo Phys. 69. Materiam nosci per Analogiam depromptā ex rebus Artificiosis: ita etiā definitur Deus dicendo perinde ad reliqua se habere, ac centrum Circuli ad Lineas inde ad circunferentiam deductas. Ad hoc caput rediguntur etiam definitiones traditæ per Metaphoram, ut quòd homo sit Plata euersa, nam Metaphora ex Analogia depromitur, Prima enim est ratio. Hanc sequitur Analogia. Tertia est commutata proportio. Quarta est Metaphora. At ex aduerso si definitio traditur per absoluta, uel est per accidentia propria, & dicitur Circumscriptio, uel per principia rei definitæ, & causas, & hæc est triplex, uel enim constat ex principijs internis, uel externis, uel ex utrisq;. Prima explicat quid res sit, & propriè dicitur definitio. Altera propter quid, & rectiùs dicitur causa definitionis, ut docet Aristoteles in octauo Metaphysicę. Tertia explicat utrumq;. prima est conclusio demonstrationis, secunda est principium, tertia est demonstratio tota. Principia frequenter definiuntur per effecta, ut Natura per motum, at quia id cuius est opus, est gratia operis, ut dicitur in secundo de

Quid; genera Definitionum. *Sententia propria.* *Triplex Definitio per negationem.* *Definitio cum affirmatione.* *Analogia* *Definitio Principiorum.*

cœlo cont. 17. ideò ea definitio modo quodam redigitur ad eam, quæ est per causas externas. Hæc esse censeo prima capita latè sumptarum definitionum, nos tamen potissimam, tanquam cęterarum regulam inspicere, & explicare tenemur, ad quam in tradendis definitionibus debemus niti pro facultate eleuari. Definitionis varia sunt nomina, nam in primo posteriorum dicitur Terminus, tum quia rem intra suos terminos ita claudit, vt nil includat alieni, nilq; proprij excludat, tum insuper quia id quod definitur in simplex genus, & differentias, tanquam in postremos terminos resoluitur, & ob id etiam. Resolutio nuncupatur, tum demùm quia ex ea constituuntur termini Demonstrationum. Insuper nuncupatur Proprium, vt patet ex primo Topicorum, & ex secundo posteriorum, & iure, nam id est proprium, quod ad essentiam pertinet, & cõpetit omni, soli, & semper & reciprocatur cum definito. Insuper dicitur forma, essentia & id quod res est, ob rem, quæ per eam explicatur, per eam enim absoluitur quæstio quid est, & cum nuncupetur essentia, etiam dicitur numerus, quia rerum essentiæ sunt tanquam numeri, vt dicitur in 8. Metaphysicæ, cont. 10. propriè tamen ab Aristotele describitur, quòd sit λόγος ὁ τοῦ τί ἦν εἶναι, hoc est ratio ipsius quid erat esse, Inquit aūt erat, vel vtens tempore vno pro altero, vt in primo Topic. ait Alexander, quasi dicat quod est oratio explicans quid est ipsum esse, siue essentia res, ac ita id esse, non est redundans, vt obijciebant Antisthenes, & Stoicorum nonnulli, referente eodem Alexandro, vel ait erat, considerans simul erat, & esse, pro denotanda conseruatione essentiæ rei definitæ, nam æternum id semper est, quod erat. Insuper cum definitio dicatur λόγος, quæ vox cùm orationem, tùm rationem denotat, ea considerata pro vocibus, rem denotantibus, oratio est. At considerata pro re denotata, est ratio, & forma, nam forma est, quæ per definitionem explicatur, quæ forma est ratio, primò quòd res sit id quod est, secundò est ratio affectionum sequentium formam, sic quærere cur homo sit animal rationis particeps, nil aliud est quærere, nisi cur homo sit homo, vt legitur in 8. Metaphysicæ 16.

Nomina varia Definitionis.

DE DIVISIONE DEFINITIONVM PER causas externas, & internas. Cap. III.

DIVIDITVR frequenter Definitio apud Aristotelem, in constitutam ex causis externis, & constitutam ex internis. Insuper in explicantem formam, vel materiam, siue in explicantem quid, vel propter quid vt iam dixi. Et animaduertendum, quòd distinctio in explicantem quid, & propter quid, siue in conclusionem Demonstrationis, & principium, præsertim, & propriè vera est de definitionibus affectionum, siue accidentium propriorum, nec non actionum ex eis prodeuntium, vt Iræ, Defluuij foliorum, Eclypsis, & similium, quibus loco exempli frequenter vtitur Aristoteles. Definitionibus autem substantiarum, vel minus propriè competit, vel modo vario, eis enim eatenus competit, quatenus eadem subiecti definitio, relata ad subiectum dicit quid, relata autem ad affectionem eius dicit propter quid, ideò iure Auerroes, in magnis commentarijs secundi Post. enunciauit distinctionem illam propriam esse definitionum accidentium propriorum. Ratio autem huius varietatis multiplex est, & primò vt pertinet ad causas externas ordiendo ab efficiente, affectiones non à simili fiunt, sed prodeunt ex causa æquiuoca, ex eaq; pendente pro esse, & conseruatione, ideò frequenter latet, & per eam vt maximè sunt, ita maximè noscuntur, substântia verò fit à simili, nec ex eo pendet pro conseruatione, ideò inane esset dicere homi-

Definitiones accidẽtium præsertim secantur in explicantem quid, & explicãtẽ propter quid.
Auerr.

hominem ab homine gigni. Secundò ut pertinet ad finem, substantiæ præsertim sunt gratia sui,& magis sunt sibi satis,non autem sic se habet de affectionibus, vt de ira,& similibus,quæ solùm sunt gratia alterius,tanquam fines,ab eis distincti,à quo excitantur.Si tamē definiremus substantiam à simili non productam,vt Licy lcam,& Malum,magis uteremur causa efficiente dicētes gigni ex Cane & Lupo, vel equo,& Asina.Similiter definientes Principia substantiæ, quia conspicuè magis sunt gratia alterius,quàm cōpositum,sæpe id facimus per finem,vt Naturā definimus per motum,Animā per esse Principiū nutriendi, sentiendi, intelligendi,& mouendi,& Materiā per ortū,& interitū.Et quemadmodū duæ relatæ distinctiones rectiùs congruuntur affectionibus,vt etiam eis congruit demonstratio,quę cōflatur ex illis,ita distinctio in explicantē formam,& explicantē materiam rectiùs cōpetit definitioni substantiæ.Cuius ratio est,quia materia propriè est pars substātiæ compositæ,cuius est definitio, accidentia enim solùm exposcunt materiam,in qua recipiuntur, non autem ex qua tanquam ex parte constent, vt dicitur in 8. Metaphysicæ cont. 12. considerandum tamen quòd definitio non ita materiam explicat, vt illam solam patefaciat, nam simul etiam formam includit, dicitur tamen explicare materiam, vt contradistinguitur ab ea, quæ solam formam explicat,vt patet exemplo definitionum domus,quo propè calcem secundi Physic. vtitur Arist. Insuper dum inuicem comparantur definitiones affectionum conflatæ ex internis,& ex externis causis,quarum una est principium demonstrationis,altera conclusio, prima explicat propter quid,altera quid est,prima rectiùs dicitur causa definitionis, altera definitio, vt docet Philosophus sub initio octaui Metaphysicæ, inquiens causa quæ est,vt forma,definitio est:at nō conspicua definitio, nisi ei iuncta sit causa,veluti quid est Eclypsis? Priuatio luminis, si verò addatur,à terra interposita,ea erit definitio cum causa. Ex his elicio,quòd dum quęrimus, quid sit aliquid,quęrimus definitionem ex internis,quęrentes uero propter quid, quærimus conflatum ex externis. Hinc iure Auer. in secundo Post 38.inquit medium demonstrationis debere esse distinctum ab essentia rei, quę ostenditur. Tandem veritatem nobis patefecit Philosophus in secundo Poster. capit. 10. inquiens, differt dicere propter quid tonat, & quid est tonitruum, explicaturi propter quid dicimus quia extinguitur ignis in Nubibus, explicaturi verò quid, dicimus quòd est sonus extinctionis ignis in Nubibus, nam sonus est eius forma. At oritur dubitatio, nam Aristot. conspicuè secum pugnare uidetur, sub initio enim secundi Poste. oppositum profert inquiens. In omnibus his manifestum est, quod idem est quid est, & propter quid, vt quid est Eclypsis? Priuatio Luminis in Luna à terræ interpositione. Propter quid Eclypsatur Luna? ob defectum Luminis per Terræ interpositionem. Quid est consonantia? Ratio sonorum in acuto, & graui. Propter quid consonat acutum cum graui? quia rationem includunt numerorum, conspicuè Aristot. affirmat idem esse quærere quid, & propter quid. Prætermissis varijs, quæ à nonnullis dicuntur, breuibus respondens, & ex ipsomet Aristot. solutionem eliciens dico. Primò duplicem posse fieri comparationem, vnam inter definitionem totam, & definitum,alteram inter partes definitionis ad inuicem: per primam comparationē dicimus idem esse quærere de definito quid, & propter quid, tùm quia per integram definitionem satisfacimus vtriq; quęstioni,tùm insuper quia referendo definitionem ad definitum, idem est quid,& propter quid, quatenus non ob aliud homo est homo, nisi quia est animal rationale, vt elicitur ex 7.Metaph.59. & ex 10.Metaph. cont.16. At dum partes definitionis referuntur ad inuicem,tunc distinguuntur,vt iam patuit.Primam comparationem facit Arist. sub initio secūdi Posteriorum.Alteram verò in progressu eius libri,& in 8. Metaph. Ex his elicio

Controuersia in Aristotele.

Solutio.

in his

in his quæ solùm per interna definiuntur, vt dictum est de substãtijs, maximè verum esse, quod idem sit quærere quid, & propter quid, nam quãuis gratia Exempli, homo prœditus sit causa efficiente, & fine, tamen non ob aliud est Animal rationale, nisi quia est homo. Et quærenti quid est homo? dicimus quod est Animal rationale: similiter quærenti propter quid? respõdemus quia est animal rationale. Et vice uersa quęrenti, cur est animal rationale? respõdemus quia est homo, adeò vt quãuis homo sit prœditus causa efficiente & fine, non tamen est prœditus causa media, ob quam sit animal rationale. Insuper considerandum est, quòd cum frequenter fiat mentio de definitione secũdum formam: per huiusmodi definitionẽ tria intelligere ualemus. Nonnunquam denotatur definitio explicans formam, quæ est altera pars compositi. Nonnunquam denotatur definitio tradita per communia, & probabilia, quales sunt definitiones Dialecticæ, quæ in procemio de Anima dicuntur inanes. Tertiò, nonnumquam denotatur definitio per causas externas, vt in procemio de Anima 16. Quæ definitio ob tres causas dicitur secundum formam. Prima est quia ea definitio quæ relata ad affectionẽ est per causas externas eius: relata ad subiectum est per formam, cum ex ea prodeat affectio. Altera est, quia vt per formam necessariò infertur id cuius est forma, ut dicitur in 2. Post. ita per definionem explicantem vel finem, vel efficientem conseruantem, cui competat vt sit simul cum effectu, necessariò infertur id cuius est causa, sic etiam finis qui est actus, & forma quædam, dicitur causa materię, & non vice uersa, vt patet ex 2. Phys. 91. Tertia ratio est, quia causæ externæ sunt actus, & formæ quædam non includentes materiã, ideò definitio ex illis conflata, comparata cum altera includente materiam, dicitur per formam. Definitiones tamen Dialecticę in procemio de anima dicũtur formales, quatenus sunt per communia, & probabilia Demũ cõsiderandum est, quod iure definitio per causas externas ab Arist. in 2. Post. dicitur sine medio: definitiò uerò ex internis dicitur prœdita medio, & conclusio demõstrationis. Ratio est, quia causæ externæ absolutè sunt causæ, & nõ pendẽt ex internis, sed internæ ex illis, & ob id etiam externæ absolutè nuncupantur causæ: internę uerò non absolutè causæ, sed con causæ potius dicuntur, quod nomen eis tribuitur, ne dum quia sunt simul, & componunt rem effectam, uerùm præsertim, quia externis subijciuntur, & diriguntur ab eis ad constituendum compositum, vt etiam sæpè instrumenta nuncupantur concausæ.

Definitio secundum formã triplex est.

Definitio per externa cur dicatur per formam.

QVORVM SINT, ET EX QVIBVS CONstantur definitiones. Cap. IIII.

Cuncta ualent modo aliquo Definiri.

DVM latè Definitionis nomen vsurpatur, nil in vniuerso reperitur, quod modo aliquo definiri non possit. At si de propriè sumpta definitione loquimur, ita dicendum puto. Eorũ, quæ ad vniuersi cõstitutionem conspirant, quædam locantur supra definibilia, quædam infra. Alia in serie definibilium, supra definibilia refulgent simplicia, & prima principia, quæ rectiùs dicuntur Principia definibilium, quàm propriè definibilia, vt Deus, separatæ Mentes, actus, potentia materia, forma, & similia, rectiùs tamen forma dicitur supra definibile, & definitionem, quàm materia, nam materia ab Aristotele in calce secundi Physic. dicitur vehiculum definitionis, cum propriè definitio sit forma; infra definitionem ea sunt posita, quibus adumbratè solùm, & diminutè definitio competit, nec sunt principia, definitionis aliorum. Et quia rectum est regula, & mensura sui, & obliqui, ideò ordiar ab illis, quę exactè definiri sunt apta. Et comparatis substantijs cũ accidẽtibus, substantia exactiùs definitioni subijcitur. Ratio est, quia definitio est essentia, & id

Supra definibilia.

Infra definitionem.

Propriè definibilia.

Substãtia.

& id quòd res est, hoc autem propriè est munus substantiæ, nam accidentis esse est alteri inhærere. Insuper substantia est sibi satis pro esse, ac ob id est sibi satis pro exacta definitione, nec eget accidente, per quod definiatur, vt accidens eget substantia. Secundò comparatis substantijs simplicibus cum compositis, Definitio magis propriè competit compositis. Ratio est, quia definitio constituitur ex simplicibus, & est resolutio compositi in ea, vt dicitur in procemio Phys. cont 5. Tertiò, comparatis primis substantijs cum secundis, hoc est singularibus cum vniuersalibus, nō singularium est Definitio, sed vniuersalium. Ratio est, quia singularia nil firmi includunt, sed continenter uariantur, est tamen definitio animalium non secretorum, ueluti Idearum, vt putant Academici, sed existentium in singularibus indefinitè sumptis, vt censent Peripatetici. Hinc rectè Alexander in primo Natur. q. ait, Definitionem esse singularium secundùm communia, & communium existentium in singularibus. Quartò comparata specie vltima cum superioribus vniuersalibus. Definitio præsertim competit speciebus postremis. Ratio prima est, quia sunt substantiæ postrema perfectione præditæ. Altera est, quia vt legitur in secundo poster. in eis minus latet æquiuocatio, quàm in superioribus generibus. Tertia, quia magis sunt compositæ, & ob id magis aptæ resolui, ideò inquit Aristot. in 8. Metaph. cont. 9. Quare substantiæ contingit esse definitionem, vt compositæ, siue sensibilis, siue intelligibilis, primorum autem ex quibus hoc non est & c. Ex his patet postremarum specierum substantiæ, propriè, & præsertim esse difinitiones. Ex his progrediendo ad accidentia, ea vel sunt secundùm se, vel ex accidenti. Secundùm se quidem sunt affectiones propriæ, quæ constituunt secundum modum dicendi per se, quibus propriæ, & præsertim competit ea definitio; quæ est tota demonstratio, solo partium ordine distincta, & quæ diuiditur in definitionem per externa, & per interna. Dicuntur tamen definitiones ex additione, quia eas ingreditur substantia subiecta, quæ est distincti prædicamenti, insuper dicuntur distingui à demonstratione solo situ, & ordine partium, quod accidit primò, quia demonstratio includit formā Syllogisticam, non autem definitio, secundò, quia in demonstratione præaccipitur definitio per externa, tanquam principium, & mediùm demonstrationis, & infertur altera; definientes autem præaccipimus causas internas, & postponimus externas, ut ita dicitur accensio sanguinis circa præcordia, ob appetitum vindictæ, & Eclypsis Lunæ, dicitur priuatio. Luminis Lunæ ob terræ interpositionem. Transeundo tertiò ad accidentia quæ dicuntur ex accidenti, eam vel fiunt casu, uel ex instituto naturæ; si fiunt casu, vel considerantur pro rebus casu factis, quarum causæ sunt incertæ, & indefinitæ, nec fiunt semper, nec frequenter, ita earum nec scientia est, nec definitio, ut enim res se habent ad esse, ita ad cognitionem, & cum pro esse sint indefinitæ, & incertæ, ita certa cognitione sunt destitutæ. Vel considerantur vt sunt Natura, & conditio vna communis multis, communiq; nomine vel casus, vel fortunæ denotata, ac ita eorum est definitio, & scientia, vt patet ex secundo Physicorum, & definiri debent non secus, ac causæ per se, per ea quorum sunt causæ, vt patet ex definitionibus casus, & fortunæ, addendo semper rationem propriam, per quam tales causæ esse dicuntur. Ex aduerso autem considerando accidentia quæ fiunt secundum ordinem, & institutū Naturæ, quales sunt qualitates primæ, & prodeuntes ex illis, his tria competunt. Primo, vt sint accidentia alteri inhærentia, & quatenus talia explicantur per id cui accidunt. Secundò, vt sint species aliquæ proprij prædicamenti, ac ita explicanda sunt per genus proximum, & differentias ea constituentes. Tertiò, vt pendent ex causis suis externis, ac ita definiuntur per eas nimirum per causam efficientem, vt qualitates secundæ, quòd pendēt ex connexione, siue temperamento primarū, similiter

Cōposita.

Secunda.

Specifica.

De accidētiū definitionibus.

similiter per finem, vt Arist. in secundo de ortu, & interitu definit calorem per congregare similia, & secernere dissimilia, nã id cuius est opus, est gratia operis, vt legitur in secundo de cælo. Per primam considerationem explicatur materia ac cidentium, per secundam forma, per tertiam efficiens, & finis. Progrediendo demùm ad ea quæ non ex natura, sed ex hominis mente prodeunt, ea quidẽ triplicia sunt, nimirùm secundæ notiones, Artificiosa, & ea quæ per Prudentiam fiunt, humanæq; actiones nuncupantur. Si loquimur de secundis notionibus, illæ considerantur tripliciter. Primò vt sunt, ac ita considerantur à Metaphysico tanquam recessus ab eo, quod verè est. Secundò ut producuntur, qua consideratione considerantur à Physico, ut in tertio de Anima, dum post cont. 20. explicantur tres humani animi operationes. Tertiò, vt sunt instrumenta explicandi notiones primas, sic considerantur à Logico, & ob varios considerandi modos, vario modo definiuntur. Logicus eas definit præsertim per formam, materiam, & finem; per formam quidem, quia secundæ notiones sunt modo quodam formæ, quæ per definitionem explicantur, ut genus dicitur vniuersale, & Demonstratio dicitur Syllogismus; per materiam autem non quidem in qua recipiũtur, qua lis est Anima, sed ex qua constant, vt Demõstratio dicitur constare ex primis, veris, immediatis, prioribus, notiorib. & causis: vel per materiã circa quã versantur, ut definitio, & demonstratio in necessarijs versari dicuntur. Definitur etiam per finem, vt Demonstratio dicitur Syllogismus pariens sciẽtiam. Loquendo de Artificiosis, quia magna ex parte sunt imitationes operum naturæ, vt domus statua, & similia, ideò vt Physica, ita Artificiosa, per materiam, & formam definiuntur, vt docet Arist. in calce secundi Physic. nec non in procemio de Anima cont. 16. Distinctiorq; in eorum definitionibus fit mentio materiæ, quàm in definitionibus eorum, quæ natura constant. Et ratio prima est, quia eorum materia apprimè est varia, nec est vna communis omnium, vt Physicorum. Altera ratio est, quia arte constantia nil substantiæ includunt præter subiectũ, quod est materia, & pars eorum, & ob varietatem materiæ frequenter varijs facultatibus sunt prædita, Præterea cum Artificiosa non sint gratia sui, sed in vsum hominis dirigantur, per huiusmodi vsum, & finem definiri debent: hic proprius considerandi modus Artificis, ex fine petitur, vt nos docuit Philosophus in secundo Phy. 26. & in cõt. 91. enunciauit, quòd qui finis est, & id cuius gratia, & qui est principium, à ratione petitur, vt in ijs quæ Arte constant &c. Insuper pro definiendis Artificiosis, nõ sine ratione etiam de efficiente potest fieri mentio, cum enim Artificiosa non ita, vt Physica fiant à simili, sed ab habitu mentis, qui per solam repræsentationem, & causam est similis, ideò de illo habitu, & recta efficiendi ratione congruenter fit mentio, nisi adeò pateat, vt tanquam conspicua dimittatur, sic vestes dicimus ab arte sutoria factas, & domum ab arte ædificandi. Demùm si loquimur de attinentibus ad prudentiam, & humanas actiones, quæ à ciuili considerantur, putandum est Philosophum ciuilem plurium rerum definitiones recipere à Physico, vt etiam se habet de arte medendi; & siquid proprio habitu definit, id facere potest per omne genus causæ, præsertim tamen ea, in quibus versatur, considerat, tanquam habitus mentis, veluti virtutes, vel tanquam corrigenda per huiusmodi habitus, vt animi perturbationes, vel prodeũtia ex illis, vt munerum functiones, quorum omnium noscit, & considerat omne genus causæ, & ob id, per omne genus valet definire. Logicus minimè considerat instrumenta Logica tanquam habitus mentis, & Arist. ea definiens in Logica, nunquam pro genere eorum sumpsit habitum, propterea errant nonnulli recentiores, dum instrumenta Logica per habitum definiunt.

Prudentia ex mente. *Secundæ notiones.* *Artificiosa.* *Actiones humanæ.*

DE-

DEFINITIONES IN VARIIS DISCIplinis modo vario considerari, & tradi. Cap. V.

Definitio vniuersè sumpta à Logico, Metaphysico, & Dialectico cõsideratur.

DEFINITIO potest dupliciter cõsiderari, primò vniuersè, ut Definitio est, siue primæ, siue secundæ notionis. Secundò cùm contractione ad ea, quæ modo vario in distinctis scientijs definiẽda sunt. Primo modo consideratur à Logico, Dialectico, & Metaphysico; à Logico quidem, ut instrumentum Sciendi, partim distinctum à Demonstratione, partim cum ea iunctum, veluti cõsideratur in libris Posteriorum, dùm traduntur regulæ seruandæ in conficiẽdis Definitionibus, manifestatur Methodus seruanda in eis indagandis, explicãtur earum conditiones, comparantur cùm demonstratione, & alia consimilia declarantur. Consideratur secundò à Dialectico, vt constituit distinctum Genus Problematum, & Propositionum, quod fit in Libris Topicorũ, dùm referũtur Loca varia approbandi, & reprobandi definitiones. Tertiò consideratur à Metaphysico, vt est essẽtia, & id quod est res definita, ac ita inquiritur, an forma sit tota essentia rei definitæ? & nũ materia sit pars eius, ut patet ex 7. & 8. Metaphysicę. Dùm verò altera ex parte cõsideratur Definitio cùm cõtractione ad propriũ modũ definiendi distinctarum disciplinarũ, refulgent modi illi quinq; definiẽdi, qui ab Arist. referuntur propè calcem Procœmij de Anima. Datur enim Definitio Metaphysica, Dialectica, Mathematica, Physica, & particularium disciplinarum, ac Artium, ut disciplinæ Ciuilis, Artis medendi, & similium, quæ cùm ob fines varios, tũ ob variũ considerandi modũ uario modo definiunt. Nã Metaphysicus per habitum intelligentiæ, per maximum quod potest, ac ut cõtra distinguitur à Physico, uersatur in rebus à materia secretis, quæ sunt supra definibile easq; circumscribit per communes voces, formã explicantes, & per opera, ut quòd sint simplices actus, sint sui essentia, actio, & similia. Quatenus tamẽ Metaphysicus per habitum scientiæ, uersatur in eo, quod est, quatenus est, quia id quod est, non est commune uniuocũ, sed ab uno, quod non distinctè noscitur, nisi notis contentis sub eo, ita ualet cuncta quæ sunt, quatenus sunt, etiã ad speciem descendendo difinire, ut etiam ualet cunctis imponere congruentia nomina, quæ confusè id ipsum denotant, quod distinctè per definitionẽ explicatur, ut patet ex quarto Mataphysicæ, & ex calce Procœmij libri Physicorum, & definiens prædita omni genere causæ, ea per omne genus ualet definire, per relationem tamen ad essentiam, & id quod est. Et particulares scientiæ frequenter definitiones recipiunt à Metaphysico, ut sub initio sexti Metaphysicæ docet Philosophus, proptereà minùs ueram iudicio quorundam opinionem, putantiũ Metaphysicum solùm definire per formam, & finem, nõ autem per materiã, & causam efficientem; quod longè distare à uerò alibi patefeci, & cõspicuè manifestaui in omni genere causæ per habitum intelligẽtiæ eleuari ad primum: alioquin non esset omni ex parte Sapiens, & loquendo de efficiente, conspicuè Aristot. in secundo Physicor. cont. 71 & 73. affirmat, primum efficiens, quod mouet, & non mouetur, non à Physico, sed à Metaphysico considerari. Similiter materiam in sua prima notione, qua absolutè est prima, nõ Physicus, sed Metaphysicus considerat. Insuper cùm Metaphysicus cõsideret ens, quod diuiditur in substantiam, & accidens, & definiat utrũq;, profectò non definit accidens sine subiecto, & materia: cùm accidentis esse sit alteri inhærere, & moneat Aristotel. in septimo Metaphysicæ id debere per materiam definiri, quod nisi efficeret; negligeret

Quomodo à Logico.

Quomodo à Dialectico.

Quomodo à Metaph.

Quinque modi definiendi.

Metaph.

Metaphy. in omni genere causæ eleuatur ad primũ.

negligeret regulas suas. Demùm, cùm Physicus definitiones suas recipiat frequenter à Metaphysico, & definiat per omne genus causæ, diminutas reciperet eas à Metaphysico, nisi Metaphysicus etiam omne genus causæ cōsideraret; distinguitur tamen à Physico, quia ens distincta ratione considerat. Physicus etiã definit per omne genus causæ, vt docet Aristoteles in secundo Physicorum, id tamen facit seruando relationem ad corpus Physicum, quatenus est Physicum. Mathematicus considerans quantum imaginatione à subiecto & materia sensibili secretum, definiens illud, formam explicat, vt in secundo Physic. 68. docet Philosophus. Addit tamen, dum opus fuerit, materiam Mathematicam, quæ est continuum, & partes. Particulares Artifices magna ex parte per omne genus causæ definiūt, & quemadmodum Physicus plurimas definitiones à Metaphysico recipit, ita particulares Artifices eas recipiunt ex scientia, cui subijciūtur, vt Medicus ex scientia de Natura, Perspectiuus ex Geometria, referendo eas in finem proprium, vt Ars medendi in sanitatem, & Perspectiuus in attinentia ad visum, quas etiam nonnunquam contrahunt per materiam propriam, in qua versantur, ut Astronomus sphæram consideratam à Stereometra, contrahit ad eam Mundi. Dialecticus cum per omnia uagetur, etiam definire ualet omnia, ac id facere potest per omne genus causæ, dũ ea quæ definit, omni genere causæ fuerint prædita, uerùm cum id faciat, causis utitur, non tanquam propriè causis attinentibus ad scientiam, eamq; parientibus, sed quatenus sunt communia quędã, deprompta ex communi consensione, uel omniũ, uel plurium, uel sapientiorũ: magna ex parte tamen definit per communia, & externa, & ideò eius definitiones in procemio de Anima dicuntur secundùm formam, & inanes.

[Margin: Quõ definit Physicus. Quomodo Mathematicus. Quomodo particulares Artifices. Quomodo dialectic.]

QVOMODO DEFINITIO APVD VARIOS *sit varia, & quomodo sit vna.* Cap. VI.

SENTENTIA est Aristotelis sub initio sexti Metaphysicæ, disciplinas sub Metaphysica collocatas, ipsius quid est nullã facere ratione, sed ex hoc partim dilucido per sesum, partim ex suppositione sumpto, &c. indicat his uerbis Philosophus attinẽtia ad absolutã rerũ essentiã, inferiores disciplinas supponere, eaq; accipere ex prima Philosophia, illa uerò quæ earum sunt propria, colligere ex sensu conspicuis, & Methodo compositionis, declarata in secundo Posteriorum. Definitio, ut consideratur à Logico, dicitur constare ex genere, & differentijs, nam Logicus considerat speciem ut conflatam ex genere, & differentijs; & considerat causas explicatas per definitionẽ, ut seruãt modo aliquo conditionem generis, & differentiarũ. Quatenus uerò cõsideratur à Metaphysico, dicitur essentia, quid est, & forma: & partes definitionis dicũtur, uel partes essẽtiæ, uel uehiculum, uel essentia tota: nam ultima differẽtia in 7. Metaphysic. 43. dicitur tota essentia, & diuiditur in explicantem quid, & explicãtẽ causam eius, ut patet ex 8. Metaphysicæ. Insuper ut cõsideratur à Mathematico dicitur forma, ut patet ex secundo Phy. 68. quod ei competit, quia est explicatio Mathematicæ formæ. Considerata quartò à Dialectico dicitur per formã, hoc est per communia, externa, & probabilia. Insuper dicitur Proprium, Propositio, & Problema Dialecticum, ut patet, ex Libro Topicorum. Considerata demùm à Physico, & ab Artificibus particularibus, præsertim diuiditur in explicantẽ formam, & explicantem materiam. Insuper dicitur, uel ex omni, uel non ex omni causa constare: & considerata à Logico dicitur uel Principiũ, uel conclusio, uel

[Margin: Attinẽtia ad essẽtiã pertinent ad Metaphysicum. Definitio, vt consideratur à Logico. Vt considератur à Mathematico. Vt à Dialectico. Vt à particularibus Artificib.]

tota

tota Demonstratio. Præterea considerandum, est quòd quamuis definitio ex varijs prædicatis constet, tamen dicitur vna, primò quia formam vnam, & vnam essentiam explicat, secundò quia Genus & materia sunt potestate, formæ & differentiæ sunt actus, ex quibus secundum se vnum consurgit, ut patet ex octauo Metaphysicę, tertiò quia quæuis varia sępè conspirent cum interna, tum externa pro re definienda, tamen quia cūcta diriguntur in explicationē vnius, dicuntur vnū constituere, omnes tamen hę rationes facultate quadam includūtur in prima. At considerandum, quòd in hac definitionis vnitate, quatuor gradus inueniuntur, Vel enim sola explicatur forma per voces eam denotantes, vt se habet de Mathematicorum definitionibus, nec non separatarum formarum, Vel explicatur compositum per materiam & formam ex quibus conflatur, Vel tertiò explicatur id compositum per causas internas, & externas, quæ tamen sint eiusdem generis, Vel quartò explicatur Accidens, vel concretum vt album, vel abstractum vt albedo, per attinentia ad distincta prędicamenta, nimirùm ad proprium accidentis, quod definitur, & ad prędicamentum substantię, quod est subiectum eius, Et quia ex his solum ex accidenti fit vnum, ideò huiusmodi definitio, minimè omnium vna est. Insuper ex varia consideratione definitionis & partium eius, oritur vt aliquando partes omnes definitionis dicantur formę, nonnunquam partim formæ, partim materiæ, & demùm aliæ formæ, aliæ materiæ, aliæ fines, & aliæ efficientes. Omnes sunt formæ, primò considerando definitiones Mathematicorum, & separatarum formarum, quæ solam explicant formam, secundò considerando huiusmodi partes sub ratione Generis & differentiarū, quæ sunt prędicata vniuersalia deprōpta ex forma, tertiò vt partes omnes explicant essentiam & formam totius, ut patet de ea definitione quæ solum explicat quid. Dicuntur autem partim formæ, partim materiæ, quòd accidit quadruplici consideratione. Prima, dum omnes partes considerantur sub ratione generis, & differentiarum, nam quamuis genus, relatum ad id quod definitur, sumatur ex forma, & dicatur forma communis, vt ait Auer. in secunda Physicæ 29. tamen relatum ad differentias, per quas contrahitur, obtinet conditionem materiæ, ut docuit Porphyrius. Secunda, dum consideratur definitio ut conflata ex internis causis, quæ sunt materia & forma. Tertia consideratione constare dicitur ex materia & forma, dum consideratur ut conflata ex causis externis, & internis; nam definitio per caussas externas, comparata cum altera dicitur per formam, quæ uerò per internas dicitur per materiam, ut dixi in præcedentibus. Quarta, definitio Dialectica dicitur per formam, quatenus est per externam & communia; ea uerò particularium disciplinarum, & præsertim Artium dicitur per materiam, quia est contracta ad propria, & non est sine materia. At demùm quando absolutè, seorsùm, & tanquam inter se distinctæ, considerantur partes definitionum, ex omni genere causæ conflatæ, sic & formam, & materiam, & finem, & causam efficientem includunt, & patefaciunt quid, in quo, à quo & cuius gratia.

Definitio quomodo sit vna.

Quatuor gradus unitatis definitionis.

Quomodo partes definitionis dicantur vel formæ uel materiæ.

DE RERVM DEFINITIONIBVS

REGVLÆ NONNVLLÆ AD definitionem attinentes.

Cap. VII.

Institutũ definientis

INDAGANTVR rerum Definitiones, vt quid res sit exactè pro facultate, & lucidè refulgeat. Circumscriptio autem solùm adumbratam, & confusam parit cognitionem. Explicatio nominis, si fuerit pura notatio, qualis est Transumptio, & Interpretatio nominis, ea quoq; obscuram parit notitiam; at si fuerit exacta, & exquisita, in idem uenit cum exacta definitione: nomen enim id significat, quod per definitionem explicatur; ut legitur in quarto Metaphysicæ context. 11. & tunc exactè noscimus quid significet nomen, dum exactam noscimus definitionem, Cum autem definitionis officium sit patefacere essentiam rei, quia ex essentia prodeunt affectiones: inde oritur vt cuiuslibet demonstrationis Principium próximum, & proprium sit definitio, ut legitur in Proœmio de Anima, nec non in 13. Metaphysicę. Insuper cum definitionis scopus sit distinctè, & lucidè pro facultate definitum explicare, inde uariæ prodeunt conditiones, affectiones, & regulæ ad eam pertinentes.

Cur Definitio sit principium Demonstrationis?

Quarum una est non esse definiendum per Metaphoras, ut legitur in secundo post; Metaphora enim adumbratè, & extrinsecùs rem patefacit: Hinc explodendæ uidentur definitiones uariæ ab Academicis per Metaphoras traditæ, ueluti quòd homo sit Planta euersa, sit ludus Deorum, & similes. Modus explicandi per Metaphoras est Popularis, Rhetoricus, conducens pro opinione, & ornamento, non autem scientiam parit: nam pro scientiæ habitu formando, tenemur pro facultate uti uocibus proprijs, negligendo redundantiam uerborum, & inania ornamenta.

Non est definiendum per Metaphoras.

Hæc tamen regula uera est ut plurimùm, & uera est de illis quæ exactè definiri sunt apta, nec apprimè sint difficilia cognitu. Aliquandò tamen, uel ob difficultatem, uel quia res non est apta exactè definiri, uel ut saltem paremur ad scientiam, etiam in scientijs ualemus uti Metaphoris, ut etiam in scientijs, ob easdem causas utimur rationibus Dialecticis. Sic Aristoteles in primo Physicorum Materiam definit per Metaphoram, dum eam unà cum Platone appellat, Fœminam, & Magnum & Paruum: & in octauo Phys. Animal omne appellat paruum Mundum. Distincta tamen ratione in Rhetoricis, & scientijs utimur Metaphoris; Rhetor illis utitur pro ornamento, & populari suasione; qui uerò scientiam cupit parere, illis utitur, uel ob rei difficultatem, uel quia exactè definiri non est apta, uel ut iuuenes excitet, & paret ad apprehendendam scientiam, ut etiam utitur rationibus dialecticis.

Regula uera, vt plurimùm.

Insuper sententia est Arist. in secundo poster. ingredientia definitionem eo usq; esse assumenda, quousque unumquodq; communius sit definito, totum uerò ei æquetur & cum eo reciprocetur. Indicat his uerbis Phylosophus, quamlibet definitionis partem communiorem esse definito: at oppositum legitur in septimo: Metaphysicæ 43. quo loci inquit Arist. ultimam differentiam esse id totum, quod res est, non autem esse communiorem, sed cum definito reciprocari. Pro-

Quomodo ingredientia definitionẽ, sint communiora definito.

Propterea putandum est sententiam prolatam in secundo post. esse ueram solùm de partibus antecedentibus postremæ differentiæ, eamq; fuisse ab Aristotile prolatam, quia postremæ differentiæ magna ex parte latent, & quod deberet fieri per vnam, fit per plures illam explicantes. Quæ plures seorsùm sumptæ sunt latiores definito: iunctæ tamen ei æquantur, vt patet de rationali, & mortali sumptis pro definiendo homine, dum rationale cum Academicis consideratur tanquam commune homini, & Dæmoni. Præterea vera est ea sententia, & Regula, de partibus solùm seruantibus conditionem partis, non de includentibus conditionem totius, qualis est postrema differentia, de qua Aristoteles in septimo Metaphysicæ 43. dixit esse totum id, quod res est. At ambigere quispiam posset, si differentia postrema est totum id, quod res est, & reciprocatur cum definito; sat erit pro rei definitione postremam differentiam accipere, & cætera prætermittere. Respondeo esse rei, duplex esse, commune, & proprium. Postrema differentia est totum proprium, non commune. Pro exacta notitia Definiti tenemur noscere, ne dum proprium eius, verum etiam commune, & præsertim quia id quod est proprium, non exactè noscitur, nisi noscatur commune; ideo inquit Aristoteles in sexto Topic. capit. 3. Ignorato genere, etiam ignoratur species. Insuper postrema differentia est totum id, quod res est, tanquam forma; at non est materia, quæ etiam noscenda est: Genus autem se habet perindè, ac materia. Hinc definitio necessariò constat saltem ex duabus partibus, nimirùm ex genere proximo, & postrema differentia: si autem adsunt plures, illæ vel circumscribunt genus proximum, dum caret nomine, uel differentiam postremam. Insuper accuratè etiam considerandum est, regulam illam non esse veram de illis definitionibus, quæ constant ex externis, & internis causis, & sunt demonstratio tota: nam ne dum tota, verùm insuper & ambæ partes reciprocantur cum definito, vt patet exemplo definitionum Lunæ: Et iure, nam cum una sit principium demonstrationis, altera conclusio, & ingredientia demonstrationem reciprocentur, vt patet ex primo posteriorum, est necesse fateri, vtramq; definitionem seorsùm sumptam reciprocari. Qua in re vidi nonnullos Logicos allucinari, & temerè refellere definitiones nonnullas ex externis, & internis conflatas, quia etiam partes earum reciprocantur cum definitò. Propterea dicendum est, quòd dum Aristoteles, in secundo posteriorum, eam regulam protulit, definitionem solùm considerauit, quæ explicat quid, & constat ex genere & differentijs, quæ propriè dicitur definitio non autem conflatam ex causis externis & internis.

Dubit.

Solut.

REGVLAE ALIAE AD DEFINITIONEM attinentes. Cap. VIII.

Quomodo causæ externæ non ingrediantur Definitionem.

INQVIT Auerroës in primo Posteriorum, cont. 35. causas externas non ingredi Definitiones, nisi ex accidenti, si accidat efficienti, vt sit simul cum re, non separatum ab ea, vt Terræ obiectio, quæ simul est cum Eclypsi Lunæ, & finis dum differentia propria latuerit. Hæc regula videtur dubia, cum enim definitio diuidatur in conflatam ex causis internis, & conflatam ex externis; profectò definitionem ex externis conflatam, non ex accidenti, sed secundum se ingrediuntur causæ externæ. Soluitur dubitatio per ea, quæ nos docet Aristoteles, sub initio octaui Metaphysicæ, cum enim definitio vna constet ex internis, altera ex externis; Conflata ex internis explicat quid res sit, & propriè dicitur definitio: altera explicat propter quid, & rectiùs dicitur causa definitionis. Sententia Auerrois, intelligi debet de propriè sumpta definitione, non de causa eius, quæ semper est extrà essentiam rei, vt docet in magnis commentarijs secundi Posteriorum, cont. 38. Insuper dicuntur ingredi ex accidenti alia consideratione, quia non ingrediuntur definitionem, vt definitio est, alioquin ingredi deberent definitionem omnem, sed ingrediuntur definitionem, quatenus est definitio talis rei, nimirùm affectionis præditæ externis causis, patefacientibus propter quid. Ambæ solutiones veræ sunt, prima tamen magis ad rem facit. Insuper profertur regula ab Arist. in 7. Metaphysicæ 59. nec non in octauo, ipsius quid est non dari causam, quod etiam indicauit in octauo Physicorum 15. redarguēs Empedoclem, veluti quòd homo sit Animal rationale, non datur alia causa, nō enim ob aliud est Animal rationale, nisi quia est homo. Hinc definitio dicitur principium demonstrationis immediatum: & ratio est, quia prædicatum à subiecto non distinguitur, & ob id nil mediare potest. Ex aduerso ea regula videtur dubia, quia definitio explicans quid, demonstratur per alteram, vt docet Aristoteles in secundo post. & in 8. Metaphysicæ, ea, quæ conflatur ex causis externis, dicitur causa eius, quæ explicat quid, & constat ex internis. Controuersia est satis conspicua; Pro cuius solutione dico; vel loquimur de definitione explicante quid; vel de explicante propter quid: Si de secunda loquimur, ea caret causa, & constituit Principium immediatum, & iure, nam causæ externæ absolutè sunt causæ, nec pendent ex internis; internæ verò non absolutè sunt causæ, sed concausę, & subijciuntur externis: Si verò loquimur de definitione explicante quid, conflata ex internis, duo considerare valemus. Primò, cur prædicatum competat subiecto? Secundò à quo, & cuius gratia? Si primum consideramus, caret causa; nam ira non ob aliud est accensio sanguinis circa præcordia, nisi quia est ira. At si consideramus alterū, & quærimus à quo, & cuius gratia? sic causam habet. Arist. considerans modò vnū, modò alterum, videtur pugnantia enunciasse, cū tamen re vera non pugnent. Prętereà regula est in definitionibus, Nil debere esse redundans, nilq; desiderari, quod ad eas pertineat, & ob id cū definito reciprocari. Fundamentum est, quia definitio est explicatio essentiæ: essentia autē est tanquā numerus, qui in indiuisibili est positus, cui si sola vnitas addatur, vel ab eo donatur, variatur species numeri; ob id etiam dicitur terminus, cuius conditio est, vt nil alieni includat, nilq; excludat, & deferat proprij: Forte etiā terminus dicitur, quia in eam, vt in suos ter-

Dubitat.

Solutio.

Quomodo ipsius quid est, non sit causa?

Dubitat.

Solutio.

In definitione nil redundās.

terminos, definitũ resoluitur. Regula tamen vera est de propriè sumptis definitionibus: at in circũscriptionibus id non semper seruatur; sic etiã quòd dum reci procatur, nil ulterius debeat addi, est verũ de illis definitionibus, quæ solùm explicant quid, vel solùm propter quid, non de complicato ex utrisq;, vt in præcedẽtibus patefeci. Insuper Regula profertur, Vnius rei vnicam debere esse definitionem, quę sæpè approbatur ab Auerroe, ueluti in 1. post. 46. in secundo posteriorum 97. & alibi, & iure, nam cum essentia sit una, & definitio respondeat essentiæ, ea quoq; debet esse vna. Similiter etiam vnius rei vnica est exacta demonstratio, quia causa prima propter quam res est, vnica est. Ea tamen Regula dubitatione non caret; tum quia eiusdem datur definitio una dicens quid, & altera propter quid; tum insuper quia Aristoteles, in procemio de anima ait, Physicum, & Dialecticum eandem rem modo vario definire; tum tertiò, quia Aristoteles in eodem libro, frequenter eandem rem uarijs explicat definitionibus, ut in tertio Physicorum, Motum, in secundo de Anima, Animam; similiter Plato Fortitudinem, Philosophiam, & alia multa. Pro solutione, cum Regula sit, Vnius rei unam esse definitionem, distinguere tenemur primò subiectum, mox prædicatum eius. Subiectum est unius rei, quod intelligi debet, non unius ex accidenti, sed secundum se, adeò ut dicere debeamus, Vnius rei, quatenus una est: potest autem esse una, uel specie, uel genere, uel communi ab uno, & ut ea est una, ita definitio debet esse una; nam uniuocorum una uniuocè; eorum autem, quæ sunt ab uno, debet esse una unitate ab uno. Insuper id, quod definitur, potest esse unum fundamento, multiplex ratione, & consideratione, & quia definitio respondet rationi, & modo considerandi, ideò definibile debet esse unum cum fundamento, tum ratione, & modo considerandi, ueluti ignis ut ignis, & quatenus est elementum distincta est ratio, & definitio, ut dicitur in decimo Metaphysicæ, ut uerò pertinet ad prædicatum, quod est definitionem esse unam, id debet intelligi de exacta definitione, non de partibus, quales sunt definitio explicans quid, & explicans propter quid. Similiter non est uera de circumscriptionibus, quæ cum tradantur per externa, & proprietates, quæ uariæ esse possunt, ualent multiplicari. Colligamus itaq; unius rei uno modo consideratæ, & quatenus una est, unicam esse definitionem integram, & exactam, & esse unam uel specie, uel Genere, uel communi ab uno, ut unum est id, quod definitur. Ex his refulget explicatio regulæ, & solutio aduersarum rationum. Regula alia, ad definitionem pertinens, sæpè profertur, & est, Quòd Definitio non sit enumeratio contentorum sub definito. Ratio regulæ est, quia ea enumeratio: pertinet ad diuisionem, non ad definitionem, à diuisione distinctam: nam definitio est resolutio in priora; enumeratio autem est descensus ad inferiora. Definitio explicat quid, & propter quid; contenta autem sub definito neutrum patefaciunt. Insuper inferiora solùm potestate, non autem actu in suo superiori continentur, ut docuit Porphyrius; ideò in superioris explicatione accipi non debent. At uariæ se offerunt instantiæ, nam Arist. in 2. de Anima, secundã Animæ definitionem cum enumeratione tradit, inquiens eam esse Principium primũ nutriendi, sentiẽdi, mouendi, & intelligendi. Similiter in lib. de interpretatione enũciationem definit cum enumeratione, inquiens quòd est oratio unius de uno, uel unius ab uno, indicans affirmationem, & negationem, quæ sunt species eius. Insuper Geometræ cum enumeratione figuram definiunt, dicentes esse eam, quæ termino, uel terminis clauditur, indicando circulum, & figuras rectilineas, quę sunt species figuræ. Galenus quoq; Artem medendi cum enumeratione definiuit, inquiens esse

Vnius vnica Definitio.

Dubitat.

Solutio.

Distinctio subiecti.

Distinctio prædicati.

Definitio non est enumeratio.

Dubitat.

ſcientiam ſalubrium, inſalubrium,& neutrorum. Pro ſolutione dicendum, Definibilia eſſe duplicia, quædam uniuoca. quorum præſertim eſt definitio; alia ab uno,& ad unum, quorum non tam exacta definitio eſt. Regula illa quod non fiat per enumerationem, uera eſt de uniuocorum definitionibus, non autem eorum, quæ ſunt ab uno, & ad unum. Ratio uarietatis eſt, quia uniuoca uerè ſunt natura una, in contentis omnibus eadem, ab eisq; diſtincta, & proptereà ſine eis diſtinctè poteſt noſci,& definiri: ea uerò, quæ ſunt ab uno, non ſunt natura uerè una, ſed uaria in ſingulis contentis, & proptereà ſine notitia contentorum ſolùm confuſè, non autem diſtinctè noſci poſſunt, ut itaq; ea, quæ ſunt ab uno, diſtinctiùs definiantur & noſcantur, eſt neceſſe, ut id fiat per contenta, & cum eorum enumeratione; huiuſmodi autem erant illa, ex quibus deſumebantur inſtantiæ.

Solutio.

REGVLAE ALIAE AD DEFINITIONEM *attinentes.* *Cap. IX.*

SENTENTIA eſt Ariſtotelis in ſecundo poſt. Definitionem omnem debere eſſe affirmatiuam, & uniuerſalem, quia dici debet de Definito cum affirmatione,& uniuerſaliter. Ratio regulæ eſt conſpicua, nam definitio eſt explicatio eſſentiæ rei, quæ eſſentia competit omni, ſoli,& ſemper,& ob id dicitur propriũ eſſentiale; id autem ne dum competit, uerùm etiam competit omni. Adſunt tamen inſtantiæ uariæ, nonnunquam enim definientes utimur negationibus, & ſignis particularibus, ueluti in ſecundo Phyſic. definitur Natura, quòd ſit principium quoddam motus; Linea definitur, quòd ſit longitudo ſine latitudine, & profunditate; Materia, quòd non ſit quid, nec quale, nec quantum. Augetur dubitatio, quia in primo poſt. ait Philoſophus, quòd definitio non dicit eſſe, uel non eſſe, quia neq; affirmatiua, neq; negatiua dici debet. Inſuper Ariſtoteles in ſexto Topicorum Loco. 33. inquit, Fortaſsè in quibuſdam neceſſarium eſt definiẽtem negatione uti, ut in priuationibus, nam cęcum eſt, quod non habet uiſum, quando natura eſt habere. Pro ſolutione accipiendum eſt, dum traduntur regulæ definitionum, eas ſemper eſſe referendas ad exactam, & exquiſitam definitionem, quæ eſt regula, & menſura omnium: primum enim uniuſcuiuſq; generis, dicitur cæterorum menſura. Inſuper cõſiderandum eſt, quòd aliud eſt definitionem totam uniuerſaliter,& cum affirmatione dici de Definito, & aliud eſt Definitionem non ingredi negationes, nec ſigna particularia. Primùm abſolutè uerum eſt, & enunciatur ab Ariſtotele in ſecundo poſteriorum. Alterum non eſt ſemper uerum, nam quædam definiuntur per negationem, ut Deus, Materia, Accidens,& Priuatio: at quamuis eorum definitiones tradantur cum negatione; uniuerſa tamen definitio, cùm affirmatione dicitur de definito, & negatio ſe tenet ex parte prædicati, vt cęcum eſt, quod non habet uiſum: dum dicimus, quòd non habet viſum, ea negatiò attinet ad prædicatum, quod affirmatur de ſubiecto, adeò vt conſtituatur enunciatio affirmatiua,& ſic ſe habet de reliquis. Inſuper loquendo de ſignis particularibus, eis nunquam vtimur tanquam partibus exactæ difinitionis, ſed ſolùm nonnumquam ea addimus generi, vt indicamus id eſſe contrahendum per differentias, vt ſi diceremus hominem eſſe Animal quoddam, nimirùm rationale. Similiter Natura dicitur Principium quoddam, & cauſa,

Definitio affirmatiua & vniuerſalis. *Dubitat.* *Solutio.*

hoc

hoc est, non omne principium, sed id, quod est internum. Vt verò pertinet ad postremam instantiam, quia definitio non dicit esse vel non esse. Pro huius solutione duo dicenda sunt. Vnùm est definitionem dupliciter considerari, primò seorsùm & secundum se, secundò vt dicitur de definito. Prima consideratione nullo pacto dicit esse vel non esse, sed solùm explicat quid, ut Animal rationale explicat quid sit homo. Pro secunda autem consideratione, vtendum est distinctione, & dicendum cum Arist. in lib. de interpretatione, quòd dicere esse, contingit dupliciter uel secundum se, uel ex accidenti: dum dicimus Homerum esse Poëtam, non secundum se dicimus Homerum esse, sed quòd sit Poëta, ideò non valemus ex eo inferre, quòd Homerus sit, vt eo loci docet Philosophus, similiter se habet de definitione, dum nectitur cum definito, & dicitur de eo, ideò non ualemus inferre definitum esse, ueluti dicentes infinitum est id, in quo semper est aliquid ultra accipere, igitur infinitum est, hoc colligi non potest, quia id esse ex accidenti dicitur de infinito. Sic itaq; omnis definitio vniuersaliter, & cum affirmatione dicitur de definito, & solùm ex accidenti dicit esse, vt prædicatur de eo. Præterea de relatis formatur ea regula, quòd vnum definitur per alterum: & vnum non potest definiri, & distinctè nosci nisi per alterum, ut dicitur in prædicamento relationis, nec non in sexto Top. loco. 20. Ratio regulę est, quia res, ut se habēt ad esse, ita ad cognitionem: relatorū esse est, vt id, quod sunt, sit ad aliud; ideò etiam per illud aliud nosci, & definiri debent alioquin relatio ad illud non elucesceret. Verùm hæc regula dubitatione non caret, nam primò si vera esset, sequerentur ea absurda, ad quæ deducebat Arist. in primo Post. loquens de ostensione reciproca, siue circulari, tunc enim idem explicaretur per idem, ac idem relatum ad idem esset prius eo, & posterius; nec non notius, & ignotius: nam si duplum declarat dimidium, est notius eo, & mox si dimidium declarat duplum, est notius duplo; similiter est prius, & posterius. At insuper si dimidium declarat duplum, & duplum dimidium, à primo ad ultimum, dimidium declarabit dimidium. Præterea cum actus & potentia inuicem referantur; per actum innotescit profectò potentia, at non per potentiam actus, nam actus dicitur initium, & ratio intelligendi, & cognoscendi. Insuper mensura definitur per mensurabile, vt tempus per motū, non autem mensurabile per mensuram, ueluti motus non definitur per tempus. Præterea priuatio definitur per habitum, non autem habitus per priuationem, ut legitur in sexto Topicorum. loco. 68. veluti tenebræ dicunt absentiā luminis in medio apto id recipere, non autem lumeņ definitur per tenebras. *Vnum relatorū definitur p alterum.* *Dubit.*

Pro solutione accipio, primò. Relatorum non exactam esse definitionem, nam exacta definitio est resolutio absolutorum in sua principia, ideò mirum non est, si in eorum definitionibus non refulgent omnia, quæ pro exacta definitione requiruntur. Accipio secundò, Regulam tradi in sexto Top. cap. 3. Definitionē confici debere ex notioribus, quæ sunt duplicia, uel enim sunt notiora naturā, uel nobis tantùm: definitio exacta constat ex notioribus naturā, ea uerò quæ per notiora nobis tantùm traditur, Descriptio quædam est, ut quæ traditur per affectiones, & opera. Accipio tertio, Regulas semper debere intelligi secundum se, & cum reduplicatione, adeò ut relata, quatenus inuicem referuntur, mutuò se declarent. Addo quarto ex sententia Aristot. in quinto Metaphysicæ, Relatorum quædam ita se habere, vt ambo id, quod sunt, alterius esse dicantur, vt pater filij, seruus domini, & vice uersa. Alia verò sic se habere, vt vnum solùm dicatur esse alterius, nō è contrario: & huiusmodi sunt ea, quæ secundum numerum, & potestatem ad inuicem dicuntur, vt patet de mensura, *Solutio.*

intel-

intellectu, sensu, & alijs similibus. Sic mensura est rei mensurabilis mensura Mensurabile autẽ non dicitur esse mensuræ, sed solùm mensura mensurabile. Hęc omnia hoc habent cõmune; vt quatenus inuicem referuntur, vnũ definiatur per alterum, id tamen fit modo vario, quatenus etiam modo vario sunt ad aliquid. Ex his elicitur explicatio regulæ, & Solutio aduersarum rationum. Instabatur primò, quia laberemur in ea absurda, ad quæ deducebat Arist. in primò Post. euertens ostensionem reciprocam. Respondeo id non contingere, primo quia demonstratio debet esse per priora, definitio relatorum per æqualia, non enim est definitio absolutè perfecta. Secundò, quia pro declaratione vnius relatorum nõ accipimus solum alterum, sed aliquid addimus, quod conditionem eius patefacit: in ostensione reciproca nil extrinsecùs additur. Insuper ex eo quod eorum est par ratio, inferre valemus, quòd non magis vnũ conducat pro notitia alterius, quàm vice versa, sed cũ eorum esse in ea mutua relatione sit positũ, ex ea quoq; mutua relatione refulget, quod esse non potest sine vtriusq; cognitione, ut dicitur in sexto Topic. loco.20. Demùm nonnumquam accidit, ut id quod in definitione ponitur, quamuis non ex se, & seorsùm sit notius, tamen inuentum, & iunctum cum nõnullis notioribus, conducit pro alterius elucidatione, vt se habet de materia, quæ quamuis ex se ignota dicatur, tamen iuncta cum aliis conspirat pro explicando composito. Præterea cum relata inuicem opponantur, de oppositis sæpè profertur hæc regula vt eorum eadem sit scientia, habitus, & disciplina, ut patet ex quinto Nicomachiorum, ex primo de partibus Animalium, & ex locis alijs. Quæ Regula dubitatione non caret, nam scientia spiritualiter, & per repræsentationem est ipsum scibile, quia Scientia oppositorum non eadem, sed opposita erit: opposita autem maximè distare dicuntur. Pro solutione, & explicatione Regulæ, considero opposita duo includere, nimirùm genus commune, & differentias oppositas: Ratione communis generis eadem est illorum cognitio; Ratione autem oppositarum differentiarum, per regulam topicam ab oppositis, ex eo quod competit vni, inferimus oppositum competere alteri, ac ita eadem eorum dicitur sciẽtia. Insuper legitur in secundo de Anima, Oppositorum eandem esse cognoscendi facultatem, sic uisus est Lucis & tenebrarum, nec non albedinis, & nigredinis; Auditus, soni & silẽtij; nec non vocis acutę, & grauis, & sic de cęteris. Tertiò dicitur in primo de partibus, Opposita ad eandem scientiam pertinere, & in qua scientia consideratur vnum, etiam consideratur alterum. Quartò legitur in quinto Nicomachiorum, Oppositorum eũdem esse habitum, cum enim eiusdẽ sint rationis etiam eiusdem sunt considerationis. Ex his elicio, Oppositorum eandem esse scientiam; tum quia habent aliquid commune, & per unum noscitur alterum; tum quia eadem facultate noscuntur; tum quia pertinent ad eandem scientiam; tum demum, quia attinent ad eũdem vniuersæ scientiæ habitũ; & iure his relatis modis oppositorum eadem est cognitio, nam opposita vt opposita inuicem referuntur, vt enim simile dicitur simili simile, ita oppositum opposito oppositum, relatorum autem eadem est disciplina. Ex aduerso tamen, dum oppositum consideratur secundum propriam rationem & differentiam, & scientia consideratur, ut est scibile spiritaliter, uera est hæc regula, Oppositorum opposita est propria ratio, definitio, & scientia.

Solutio aduersarum rationum.

Oppositorum eadẽ est sciẽtia.

Dubitat.

Solutio.

DEVS

DEVS.

DIVISIONES.

CVPIENS ea, quæ ad Vniuersum pertinent, in capita redigere, iure optimo à Deo ordiar, cum ita sit caput, vt omnium sit Primum, Vnum, Optimum, & Eminentissimum. Vsurpatur Dei nomen, & per Metaphoram, & propriè. Per Metaphoram quidem; dum formosa, & ea præsertim, ex quibus in nos insignia munera vel redundant, vel redundare speramus, Dei nomine honestamus. Inde prodijt ea sententia, quòd homo est homini Deus, & in eadem significatione eos, quos vehementer colimus, Deos nostros nuncupamus. Dum verò usurpatur propriè, id ad huc fit dupliciter, vel latiùs, uel pressiùs: latiùs quidem dum extenditur ad omne, quod modo aliquo Diuinitatis est particeps, veluti Plato in decimo de Legibus, Animam Mundi, & Cęlorum animos, nuncupauit Deos: & Aristot. in secundo de Cęlo. 17. Cęlum Dei nomine denotauit. Hinc prodière Dij Gentium innumeri, & illi qui à Poetis celebrantur, vt Pan, Venus, & Pallas, quorum genealogiæ varijs fabularum commentis circunferuntur adumbratæ. Pressiùs tamen & maximè propriè Deus dicitur cunctorum princeps, qui non Diuinus est per participationem, sed ipsa Diuinitas, cuius conditio est, vt sit vnus veluti cùm in 8. Physic. tùm in 12. Metaphysicæ approbauit Aristot. in qua significatione, modò de eo est sermo.

Cur à Deo ordiendū?

Deus per Metaphoram.

Deus propriè.

Deus maximè propriè.

DEFINITIONES.

VT variæ de Deo fuerunt veterum sapientum opiniones, ita uariæ circunferuntur descriptiones. Stoici (referente Diog. Laërtio) dixère, Deum esse Animal immortale, rationale, perfectum, beatum, immune ab omni malo, Prouidentia sua Mundum, & ea quæ sunt in Mundo gubernans. Nam Stoici putârunt Deum esse corpus, &, vt ait Alexan. lib. de mixtione, esse spiritum tenuissimum per vniuersum effusum. Mercuius Termaximus Deū per analogiam definiens, dixit esse Circulum, & Sphæram, cuius centrum est vbiq; , circunferentia nullibi. Zeno essentiam Dei dixit esse Cęlum, & Mundum totum. Propterea enunciauit Seneca, Deum esse omne, quod vides, & quod non uides. Chrisippus (referente Diog. Laërt.) nec non Antipater, & Possidonius putârunt essentiam Dei esse aërem Boëtius fixorum Syderum globum. Zoroaster (referente Plutarcho) dixit Deum esse Lucem. Moysi Deum interroganti quòd nam esset nomen eius, respondit Deus, Ego sum qui sum. Proclus in AEgyptiorum historijs refert, Mineruæ Templo inscriptum fuisse. Ego sum, quod fuit, quod est, quodq; futurum est, velum meum nemo unquā reuelabit, quem ego fructum peperi, Sol est. Alcinous hac circumscriptione est usus, Deus est causa Mentis, omnibus præstans, in Mentē semper vt obiectum agens, totiusq; Cęli Mentem ducens, ęternus ineffabilis, seipso perfectus, nullius,

Stoici.

Mercuius Termax.

Zeno.

Seneca.

Chrisipp.

Boëtius.

Zoroaster.

Proclus.

Alcinous.

Academici. nullius egens, semperq; & undiq; absolutè perfectus, Diuinitas, Ratio essentiæ, Veritas, Harmonia, & Bonum. Insuper Academici ita quoq; Deum circumscripserunt. *Plotinus.* Deus est supra ens, & Principium entis, super Mentem & caput eius, supra intelligibile, & principium illius. Plotinus En. 6. lib. 7. cap. 32. dixit, Deum esse nullum entium, & entia cuncta; Infinitum sine magnitudine, & absq; immensa magnitudine; Esse vbiq; & per omnia secula regnare, & cum sit infinitus, Amorem quoq; erga ipsum esse infinitum, ac vniuersæ pulchritudinis esse potestatem, & florem ipsum, pulchrum, efficientem pulchritudinem. *Speusipp.* *Aristot.* Speusippus in libro Platonicarum definitionum dixit, Deus est viuens, immortalis, ex se ad beatitudinem satis, essentia sempiterna, ipsius boni causa. Aristot. in 12. Metaphysicæ 39. dixit, Deum esse Animal optimum, sempiternum, & ipsummet æuum, siue æternitatem; Dixit esse Animal, non quia putauerit esse corpus, conspicuè enim in octauo Physicor. & 12. Metaphysicæ id reiecit: sed Animal esse dixit, uel per Metaphoram, vel considerans Deum unà cum cęlo, eiq; assistentem, largientemq; vitam, pro secundo actu, quatenus ei dat motũ.

Orpheus. Orpheus ita Deus circumscripsit,

Tu habes Mundi terminos vniuersi,
Tibi cura est Principium, & finis.
Per te viuescunt omnia,
Tu Sphæram totam Cythara resonante contemperas.

Boëtius. Et Boëtius in libro de consolatione,

O qui perpetua Mundum ratione gubernas,
Terrarum, Cæliq; sator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, Stabilisq; manens, das cuncta moueri.

Capita circũscriptionum. Verùm vt circumscriptiones singulas per capita in ordinẽ redigamus, considerandum, quòd cum Deus, quia est immensus, primus, & simplicissimus nequeat per finita, priora, & simpliciora definiri, valet tamen per quinque præsertim adumbrari, & circumscribi. *Primũ per attributa absoluta.* Primò per attributa quædam, absolutè ei competentia. Secundò per negationem. Tertiò per Analogiam, & Metaphoram, ex analogia depromptam. Quartò per contradicentia sine contradictione. Et quintò per relationem ad opera, eiusq; munera. Si progredimur per ea, quæ absolutè illi cõpetunt, Deus dicitur Ens, Bonus, Pulcher, Iustus, Sapiens, Omnipotens, Actus primus, Mens prima, Ex se perfectus, & satis, Essentia simplicissima, Ipsum Necesse esse, Ipsum vbiq;, Ipsum Vnum, Id quod solũ ex se est: Suiq; gratia solum est, & sic de similibus. *Secundum per negationem.* Dũ verò secundò circumscribitur per negationem, dicimus Deum non esse corpus, sed supra corpora, non Elementũ, non Cęlum, non Mundum, non Animam, non Angelum, sed supra hæc, & aliquid his eminentius. *Tertium p Analogiã.* Si tertiò Analogia & Metaphora vtimur, dicimus, Deus est alpha, & omega: Est sphæra immobilis, cuius circuli sunt Mens, Anima, & Natura: Est centrum à quo, & ad quod perinde ac lineæ ducuntur, & diriguntur omnia: Est fons boni, Sol inuisibilis, Lux vera, Pelagus immensum in se fluens, Mundus eminentissimus, Incorporeus, originalis, Sphęrus, Amicitiæ, Intelligibilis, Idealis, & simplicissimus. Est Pater omnium, Pastor optimus, Vigilantissimus Pater familias, Via, recta, Vita omnium, Sol Iustitiæ, & sic de similibus. *Aegyptij.* Apud AEgyptios sacerdotes circumscribebatur Deus Figura Accipitris; Insuper Sceptro Regio, denotante Imperium, cuius uertici oculus, & auricula super essent, quia omnia uidet, & audit. *Quartum per contradicentia.* Quartò id facere ualemus per contradicentia seorsùm à contradictione, cum enim Deus præstet condictionibus cunctorum; ea, quæ in alijs contradictionem includunt, in eo,

eminen-

eminenter pro sola communi perfectione seorsùm ab oppositione seruantur. Ideò Auer. disputatione 10. in fol. 3. dubij ait, Deum supra contradicentia esse positum. *Auer.* Hac via progredientes dicimus, Deus est, id quod cum sit Primum, est postremum; cum sit maximum, est minimum; cum sit vbiq; est nullibi; cum sit semper, est nunquam; cum sit omnia, est nihil; cum sit terminus est infinitũ; cum sit expers molis, implet omnia; nam Deus sine vlla dimensione est latissimus, longissimus, & profundissimus; videtur ab omnibus, & à nullo; est primò & postremò cognitus; est omnia sine numero; vbiq; sine loco; immensus sine extensione; omnipotens sine potentia; cum non sit ens, solus est. Insuper est casus, est Fortuna, Fatum, & Natura, & nihil horum. Demùm circumscribitur Deus per relationem ad eius munera, & opera; nam cœli enarrant Gloriam Dei, cętera autem ex eo habent primò vt sint, secundò vt bene sint, tertiò ut seruētur, quartò ut operentur. *V. per relationem ad opera.* Insuper Deus eminentissimè conditionem causæ sibi seruauit, nam omnium est causa, solùm est causa; semper est causa. In hæc conuersi dicere possumus, Deus est Principium omnium & finis; Est Mundi Faber, Mundi uita, Mundi salus; Origo boni, cum sit ipsum bonum; Origo ueri, cum sit ipsum uerum; Origo pulchri, cum sit ipsa met pulchritudo; Origo entis, cum solus ex se sit. Hac consideratione, ut enunciauit Seneca in lib. de beneficijs, & approbatur in calce lib. de Mundo ad Alexandrum, tot sunt Dei nomina, quot Munera. *Seneca. Arist.* Ipse enim est Iupiter, hoc est iuuans Pater, & Princeps Mundi; Est Mercurius impartiens eloquentiam; Saturnus tribuens uim contemplandi; Venus effundens pulchritudinem; Natura, cum sit origo motus, & initium operum Naturæ, Fortuna latenter fortuita dirigens, & sic de cæteris. Ego inter reliquas hanc descriptionem præsertim commendarem, Deus est ex se actus primus, optimus, & simplicissimus, perfectionem uniuersam eminentissimè includens, reliquorumq; auctor primus, & finis Postremus. *Potior circũscriptio.* A D. August. Deus dicitur Principium Naturæ, Veritas Doctrinæ, & Fœlicitas uitæ; Insuper incorporea, incommutabilisq; natura, à quo uita bona & æterna poscenda est. *D. Aug.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, ut ad caput primum circumscriptionum pertinet, in dubium uerti, num Deus debeat dici Ens, & Mens? *Primum quod consideratur.* nam Academici id inficiantur, & Deum dicunt non ens, sed Principium entis, nec Mentem; sed caput eius. Hinc dicitur πρό·ια, hoc est, ante, & supra Mentem, ut considerauit Philosophus in 3. de Anima, minus rectè arguens Aristotelem. *Nũ Deus sit Ens & Mens?* Ex aduerso Theologi, & Peripatetici Deum appellant ens primum, Mentemq; supremam. *Resol.* Lis partim in uerbis, partim in sententia est posita: in uerbis quidem, quia ens est uox concreta deducta ex esse, siue essentia: & propterea uel usurpatur propriè, ac ita denotat collocata sub Deo, quibus modo aliquo compositio competit, quorum Deus est Principium. In qua significatione Academici negârunt Deum esse ens, & in eadem Arist. in 8. Phy. 52. Deum appellauit Principium eorum, quæ sunt; Vel usurpatur latè pro omni, quod in uniuerso reperitur, & contradistinguitur à nihilo, ac ita cùm Theologi, tùm Peripatetici Deum appellant ens primum, & id quod absolutè est. Similiter nomen Mentis usurpatur dupliciter, nimirùm uel pro ea facultate, quę apprehen- *Mens.*

dit

dit aliud à se,ab alioq; perficitur:inqua significatione Deus est supra Mentē, & Mentis caput;vel usurpatur latiùs,pro quauis Virtute quouis modo Intelligente,ac ita Deus est Mens prima,& Mēs Diuina. Altera ex parte lis de re est,quatenus potiores Academici Mentem primam secernunt à Deo, quod nec Theologi,nec Peripatetici faciunt;at de hoc alibi. *Alterum, quod consideratur.* Considero secundò loquendo de circumscriptionibus per negationem, quòd extrema ea sunt, quæ congruenter per negationem circumscribuntur, ut Deus,& prima materia, de his enim maximè negatiua cæterorum uera est. *Cognitio per negationem.* Insuper circumscriptio per negationem exposcit notitiam aliquam eorum, per quorum negationem circumscribimus; alioquin nil nobis patefaceret. Addo etiam, quòd hoc explicandi genus, in Materia indicat imperfectionem, in Deo uerò præstantiam. Ratio est, quia loquendo de materia vltra negationem addimus,quòd sit aliquid inferius, & quod sit potestate: At de Deo loquentes addimus,quòd sit aliquid supra negata, vt Deus non est cęlum, non Angelus,non materiatus, non corpus,sed aliquid supra. *Tertium.* Considero tertiò,quòd dùm pro Deo indagando vtimur negatione, enitendum est per negationem remouere ab eo omnem imperfectionem,vt ad supremam perfectionem eleuemur. Quinque autem præ *Quinq; indicãtia imperfectionem.* sertim ea sunt,quę imperfectionem præseferunt;nimirùm Accidens,quod ex se non est;Pendere ex alio; Materia,cuius propria est potentia;Corporata dimensio,quæ non tota est simul, Et compositio. Quos omnes imperfectionis modos enitendum est per negationem à Deo reijcere. Et inde colligemus, quòd sit substantia,ex alio non pendens,à materia & mole immunis,& simplicissima. *Quartum.* Considero quartò,quòd pro cognitione Dei magis nos eleuat negatio, quàm Analogia. Ratio est, quia per Analogiam Deus redditur similis vilioribus, & propterea potiùs deprimit,quàm eleuet; per negationem verò Deus supra uilia eleuatur, ac ita nobis offertur occasio, ut diuini aliquid concipiamus. Per Analogiam dicimus, Deum esse similem Soli, & Centro;per negationem verò dicimus esse aliquid supra. *Dub.* At pulchra se offert dubitatio, nam si Deus est Pan, est totum, & omne,quomodo ei competent negationes rerum? *Solutio.* Soluitur per iam dicta,nam Deus est omne,& nihil;Omne secundum eminentiam,& seorsùm ab imperfectione; Nihil verò secundum propriam formam,& conditionē contentorum sub eo,& cum eorum imperfectione, & diminutione. *Altera Dub.* At alia adhuc emergit dubitatio.Nā regula Logica est,Ex omnibus negatiuis nil necessariò colligi, quomodo igitur ex sola negatione eliciemus cognitionem Dei? *Solutio.* Respondeo,id fieri non uirtute formæ syllogisticæ,sed uirtute negationis, ut est remotio,& expurgatio quędam. Insuper negatio non primò & proximè rem patefacit, sed secundariò, per consequutionem, & indirectè,ac etiam auxilio affirmationis, quæ additur, dicendo quòd sit aliquid eminentius. *Quintum.* Considero quintò,vt pertinet ad Methodum,quæ dicebatur per contradicentia, quòd ea non verè sunt contradicentia quia non accipiuntur eodem modo,& in eadem significatione, veluti dum dicimus, Deum esse ubiq;, & nullibi;est enim ubiq; per potentiam,& operationem;nullibi verò, vt prædita mole sunt in loco,& sic de cęteris. Nam verè contradicentia sunt eiusdem, de eodem,ad idem,secundum idem,& eodem modo,quæ de nullo penitùs,simul vera esse possunt. *Sextum.* Considero sextò,ut pertinet ad circumscriptiones per opera,quòd opera Dei, ut instituto inseruit,sunt duplicia: uel enim prodeunt ex absoluta eius facultate,quę immensa est,ueluti miracula,& creatio,& hæc patefaciunt absolutam eius potestatem:vel prodeunt ex facultate ordinata,operante per causas secundas,veluti sunt opera Naturæ,quæ non absolutam Dei facultatem, sed distributam per

secundas

ſecundas cauſas patefaciunt,quæ finita eſt. Theologi per prima opera eleuantur; hinc rectè noſcunt omnipotentiam Dei. Philoſophi uerò progredientes per opera Naturæ,quæ finita ſunt,iure immenſa Dei virtutem in dubium vertunt. *Septimũ.* Conſidero ſeptimò, ut vniuersè pertinet ad Dei cognitionem, tres eſſe gradus cognitionis Dei. *Tres gradus cognitionis Dei.* Primus competit nobis uiatoribus. Secundus electis, & Beatis. Tertius eſt proprius Dei. Duo primi ſunt præditi latitudine,& diſtinctione per magis,& minus. Tertius minimè,ſed eſt ipſa met Dei eſſentia,de qua dicitur,quòd ſolus Deus Deũ cognoſcit,quia ſolus ſibi æquatur; de alijs verò legitur,in Domo patris mei manſiones multæ ſunt. In gradu primo locum habet deceptio;in alijs minimè. Cognitio attinens,ad gradum primum eſt prędita compoſitione,diuiſione,& diſcurſu;Attinens ad ſecundum eſt ſimplex;ad Tertium ſimpliciſſima;prima eſt vmbra;altera Lumen;tertia Lux vera. *Octauum.* Conſidero octauò(vt pertinet ad eandem cognitionẽ Dei)quòd Diagoras,& Theodorus,Deos eſſe omninò renuerunt. Prothagoras eos in dubium reuocauit. Democritus,& Epicurus,curam Mundi ab eo ſubſtulerunt,at animo affecto. Nil eſt notius,quàm quòd Deus ſit,Mundumq; regat. Verùm cum conſtet illum eſſe,& Mundus totus tamquam ſpeculum eum patefaciat,quid tamen ſit, nos maximè latet:Hic innumeræ de eo prodière opiniones. *Simonides* Hyero Tyrannus, cum Simonidem interrogaſſet,quid ſit Deus? ipſe deliberandi cauſa ſibi diem vnum expoſtulauit; cum idem poſt diem quæreret,biduum petijt; & poſt biduum dies quatuor;& cum ſemper conſiderandi tempus duplaret, interrogatus cur id faceret? reſpondit,quia quanto diutiùs conſidero,tanto mihi videtur obſcurior. *Plato.* Hinc Plato in Timæo enunciauit, opificem Mundi inuenire difficile eſt, & cum inueneris,patefacere Vulgo eſt impoſſibile. Et in Parmenide affirmat,nos Dei neq; nomen,neq; definitionem,neq; ſcientiam habere, eo quia ſit ſupra limites Intelligentiæ. Id ipſum prius Mercurius termaximus enunciauit:& poſt ipſum Dionyſius Areop.nec non Plotinus. Hinc dicitur Lux inacceſſibilis,Lux quidem ex parte ſui,inuiſibilis verò, & inacceſſibilis ratione imbecillitatis noſtræ Mentis:hinc ait Dionyſius Areopag. Hæc eſt Lux,à qua Lumen omne,& ad quam Luces omnes ſunt caligines; & vbi magis eſt obſcura ibi ſupra modum Lucem includit exuberantem. Ita percipimus id eſſe verum, quòd magis noſcimus Deum amando,quàm legendo, quia amplitudo Dei & eminentia,nequit humanis verbis patefieri, & per affectum magis & intimiùs cum Deo conformamur,quàm per humanam diſciplinam. *Nonum.* Conſidero nonò, vt pateat,cuncta,quæ in uniuerſo reperiuntur, id omne quod habent ex Deo recipere, & per eadem, cum Deo necti,ſeptem præſertim eſſe, quæ cum Deo eminenter & per eſſentiam competant,tanquam riuuli ex fonte;ex eo effundũtur per cætera omnia;& tamquam radij communes,patefaciũt,nil eſſe in Vniuerſo,quod non pendeat ex eo. *Septem cõmunia ex Deo per uniuerſum effuſa.* Ea autem ſunt; Eſſe,Bonum,Verũ,Vnũ, Aeternitas,Immobilitas,& Ordo. *Eſſe.* De ipſo Eſſe dicimus, quòd à primo cunctis tributum eſt,nonnullis clarius,alijs obſcurius; *Bonum.* De Bono dicimus,cum eo quod eſt reciprocari,& cuncta id optare: *Verum.* De Vero ſimiliter enunciatum legitur, cum Ente,& Bono cõnecti,& cum illis reciprocari,cui opponitur vmbra,& deceptiö; *Vnum.* Similiter Vnum cum ente cõuertitur,& idem eſt homo, ens homo,& unus homo,ut legitur ſub initio quarti Metap. *Aeternitas.* Aeternitas,niſi numero, ſaltem ſpecie, eſt opus Dei qui eſt ipſa met Aeternitas,ut fatetur Ariſt.in 2.de cœlo, ex Deo enim res habent,ne dum ut ſint,ſed etiam ut ſeruentur; *Immobilitas.* Immobilitas eminentiſſimè Deo competens effunditur per alia, quatenus ſeruantur ſpecie, & per communia à uarietate ſeruantur immunia; *Ordo.* Demùm de Ordine loquẽdo Deus

per Prouidentiam est eminēs & originalis ordo;Natura autem,relata ad Deū, est ordinata;considerata in se est ordo partieipatus;relata ad sua opera est proxima causa ordinis.Hinc ordo dicitur Forma Mundi. Decimò pro animi nostri recta institutione considero,enitendum nobis esse ad Deū pro facultate eleuari,& cauendum ne recedamus ab eo;nam per accessum consequimur bona, per recessum labimur in opposita mala.Properantes ad Deum eleuamur ad id, quod est omnia,quod ex se est,ad ipsum vnum,ad pacem & amicitiam,ad bonum,ad verum,ad Pulchrum,ad purum & simplicem,ad inmobilem,ad indiuisibilem,ad actum purum,ad sapientiam,ad Lucem veram,ad potentissimum, ad Prouidentiam,ad ordinem,ad libertatem,ad consimilitudinem,ad Patrem, Regem,& custodem,ad æternitatē,ad Diuitias desideria explentes,& demùm ad vitam æternam. Recedentes autē à Deo,cogimur in opposita labi,nimirùm in nihilum,in id quod ex se non est,in perniciosam multitudinem,in litem, in Malum,in Mendacium,in deformitatem,In impuritatem & permixtionem,in mutationem,& inconstantiam,in diuisibilem extensionem,in materiatam potētiam cum priuatione iunctam,in insipientiam, in cęcas tenebras, in impotentiam & ægritudinem,in iniustitiam & vitia, in temerarium casum & fortunā, in Chaum & confusionem,in vilem seruitutem, in deformem dissimilitudinē, in manus Tyrānorum,& inimicorum nostrorum,in vorax tempus, in miserrimam egestatem,& demùm in mortem æternam;Vertamus itaq; terga mortalibus,& nitamur eleuari ad Deum,vt simus in eo, & ille in nobis per omnia secula. Considero demùm,quòd cum omnia sint plena Deo,& varia sint munera eius,Gentiles ad supremum & verum Deum non eleuati, sed proximiora intuentes,varios excogitârunt Deos,cum tamen re vera sit unus. Ideò Seneca in lib.de beneficijs rectè enunciauit, Deus est Natura,est Fatum,est Liber Pater, est Hercules,est Mercurius,& demùm tot sunt Dei appellationes, quot munera.Quæritur,cur nemo sanæ Mentis infiquatus est Deum esse? Ratio potissima est,quia Mens non est sana,nisi per Deum,quare Mens abijciens Deum,abijcit propriam sanitatem. Cur ubi est,totus est? Quia pars,& diuisio imperfectionem denotāt,quæ longè abest à Deo. Cur est ubiq;? Quia est ipsum met ubiq;, adeò ut id ubiq; non sit sine eo. Cur implet omnia? Quia maior est omnibus.

Decimū. Enitēdum eleuari ad Deum.

Vndecimū.

Problemata nonnulla. Primum.

2\. 3. Cur solus creat? Quia solus ex se,& absolutè est. Cur est omnipotens? Quia
4\. solus potentia caret,& absolutissimus est actus. Cur subtracta Dei uirtute, cun-
5\. cta in nihilum transeunt? Quia cuncta ex Dei uirtute habent,ut sint, seruen-
6\. tur,& operentur. Cur Deus maximè diligit Mundum? Quia nil est in Mundo,
7\. quod non sit ipsius Dei. Cur solus Deus est absolutè primus,simplicissimus,om-
8\. 9. nipotens,ipsa æternitas,ipsum bonum,ipsa ueritas, Finis omnium? Quia est
10\. Deus;nam illæ sunt natura,& conditio Dei. Cur sapientes Mundi Deum sub
11\. nube tantùm inspexerunt? Quia erant sapientes Mundi. Cur deserit nonnul-
12\. los homines? Quia illi prius deserunt Deum. Cur de Deo loquentes nesciunt
13\. unde incipiant,& quando desinant? Quia est infinitus. Cur de solo Deo non
14\. 15. ualemus dicere,quòd sit extra se? An,quia solus est omnia, Solusq; infinitus.
16\. Cur solus non ualeat insipere? An,quia solus est ipsamet Sapientia. Cur non
17\. omnia creauit æqualia? An,ut crearet omnia. Cur suum bonum impartitus est
18\. alijs? An,quia est ipsum bonum,cuius conditio est fæcunditas. Cur soli Animi puri uident Deum? An,quia lux per sola perspicua effunditur?

MENS

MENS.
DIVISIONES.

DEo Mens proximè succedit, ideò secundo loco de ea agẽdũ. Vsurpatur Mentis nomen quinq; modis. Primò pro Phantasia quæ est vis imaginãdi, vt apud Ari. in 2. de anim. cõt. 155. in 3. de Anima 20. & 48. Secundò vsurpatur pro eo Animi habitu qui inter quinq; rationis habitus numerat̃, & est cognitio Principiorum, quæ νοῦς dicitur, vt patet ex sexto Nicomachiorũ. Tertiò, pro quouis recto Mẽtis vsu, & officio, in qua significatione Prudentes dicimus Mente prẽditos, Imprudẽtes uerò & delirantes, dicimus amentes, Mentis inopes, Menteq; destitutos, in qua significatione Ari. in 1. de Anim. 24. dixit, Mentem non cõpetere omnibus hominibus, & in 6 de R.P. affirmauit, progressu temporis Mentem in homiue gigni. Quartò usurpatur pro Cęlorum Mentibus, à corpore solutis, sensu nõ egẽtibus: quarum caput est Mens Diuina, & ab Ari. cęlorum motores dicuntur, & numerantur numero orbium. Quintò usurpatur pro ea humanæ animę parte, quæ ex se est rationis compos, de qua proponit agendum Philosophus in 3. de Anima inquiens, De particula autẽ Animæ, qua anima cognoscit, & sapit. Tres primæ significationes instituto nostro non inseruiunt, solùm sermo erit de Mẽte in quarta, & quinta significatione. Insuper ex sententia Academicorum diuiditur Mens in propriè sumptam, cõtradistinctam ab Anima, & Mẽtẽ animariam. Mẽtẽ propriè sumptam diuidunt in non participatã, & participatã; Mẽs non participata est Mens suprema, in se manens, quæ à Potioribus Academicis statuitur distincta à Deo; Mẽtes uerò participatę, sunt Mẽtes sub prima positę, quæ eius sunt participationes, non secùs ac radij sunt participationes Lucis Solis. Ex aduerso Mens animaria est Anima rationis particeps, de qua simplicissimus, Plutarchus, & Priscianus Lydus putant Ari. loqui in 3. de Anima. Quã animariam Mentem mox diuidunt in Mentem in se manẽtẽ, fungentem munere mentis agentis, & Mentem progressam, quam aiunt esse Mentem potestate. Insuper hanc Mentem progressam diuidunt in imperfectam, ut in pueris, & ignaris, & perfectam ut in uiro sapiente. At derelictis Academicis, ex sententia Ari. Mens diuiditur primò in non pendentem ex alia, ut Mens Dei, & pendentem, quales sunt reliquæ omnes. Quæ mox diuiduntur, nam uel sunt Mentes puræ, à corpore & reliquis Animæ gradibus solutæ, ut motores Cęlorum, uel sunt partes humanæ animæ. Et huiusmodi Mens, quæ est animæ particula est duplex, una agens, altera potestate. Insuper Mens potestate uel penitùs est potestate, ut in pueris, uel solo habitu est prędita, ut in sapiente dormiente, uel est prædita habitu & usu eius, ut in sapiẽte cõtemplante. Prætereà Mẽs habitu prædita, uel est decorata habitu contẽplandi, & dicitur inspectrix, siue contẽplatrix, uel habitu agẽdi, nimirũ Prudentia, & dicitur Mens Practica siue agẽs, uel habitu efficiẽdi, nimirùm Arte, & dicitur effectrix. Insuper diuiditur Mẽs ab Ari. sub initio sexti Nicomachiorũ, quia si supra rationẽ Principia inspicit, absolutè dicit̃ Mẽs; si ratiocinãdo progreditur, dicit̃ dianoetica, hoc est, cogitatrix, & ratiocinatrix; & dũ ratiocinando progreditur per causas, & iuncta secundũ essentiam, dicitur ostensiua, & scientialis; dũ verò progreditur per cõmunia, & probabilia, dicitur

Mens pro Phãtasia. Pro habitu. Pro recto vsu. Pro motoribus cœlorum. Pro parte animæ. Mens propriè & Animaria. Non participata, & participata. Mens animaria. In se manens. Progressa. Imperfecta, & perfecta. Mens non pendẽs, & pendens. Soluta à corpore & nõ soluta. Potestate, & Agẽs. Mens habitu.

Mens adepta. absolutè ratiocinatrix,& consultrix. Demùm Mens inspectrix diuiditur, quia vel est exactissimo habitu inspectrice prædita,adeò vt potestatem omnẽ exuerit,& dicitur ab Auer. Mens adepta,quatenus adepta est Mentem agentem,tãquam formam & postremam perfectionem, quam adeptionem putat esse summum hominis bonum. Ab Academicis uerò dicitur Mens animaria progressa, reuersa in seipsam manentem,& cum superiore,& ueriore Mente connexam, quod etiam ab eis iudicatur summum hominis bonum. Vel ex aduerso non est exacto & completo habitu prædita,& absolutè dicitur Mens habitu.

DEFINITIONES.

Mens non ualet exactè definiri. MEns cum sit simplex,& non sit vniuocum aliquid sed ab vno, & ad vnum,solùm valet circumscribi, non autem exquisitè definiri,& id exactiùs fiet descendendo per gradus eius, quàm vnica definitione cunctas amplectendo, vt etiam de Animæ definitionibus dixit Philosophus se habere in 2.de Anima. Dum tamen vniuersè eam definire cupimus,dicere valemus,Mentem esse actum substantialem simplicem,non pendentem ex materia,ad intelligibile relatum. *Mens vniuersè.* Descendendo autem ad gradus,si nomine Mentis denotamus Mentem primam ex veriore sententia à Deo non distinctam, ei competunt descriptiones variæ,in præcedente Cap. Deo tributæ;& præsertim dicitur Actus eminentissimus eminentissimam sapientiam includens,cuius obiectum est ipse met, in quo cuncta eminentissimè intuetur; cuius cognitio est rerum causa; Hinc dicitur sphæra in se reuoluta,Lux Mundi,Sol inuisibilis, Sapientia uera, Idea omnium,suiq; essentia actio. *Mens prima.* Si mox descendimus ad Mentes sub Deo positas, assistentes Cęlorum orbibus,eosq; mouentes,quæ Intelligentiæ secundæ à Peripateticis nuncupantur,dicere possumus,quòd sint Actus ex Deo proximè pendẽtes,eiq; per cognitionem,& uoluntatem iunctæ,proprio Orbi assistentes, illum mouentes, & collocata sub Cęlo,tamquam Dei famuli gubernantes. *Mentes cęlo assistentes.* Hę Cęlorum Mentes nuncupantur Mentes,ut intelligunt;dicuntur separatæ formæ, ut ex materia non pendent;dicuntur Cęlorum animæ,ut Cęlo dãt uitam mouẽdo illud;& ob id ipsum dicũtur motores,& rectores Cęlorũ. *Nomina varia.* Possunt etiã dici Naturæ,quatenus ex sententia Arist.motũ producunt Physicũ, & mouent cũ conditionib. mouentium secundũ naturam;propriè tamen natura Cęli est essentia Cęlestis Orbis,ut est apta moueri in orbem. Si tertiò descendimus ad Mẽtẽ hominis propriã;ea definitur ab Ari.quòd sit particula animæ,qua anima cognoscit & sapit;insuper quòd sit principium quo anima ratiocinatur & existimat, & in primo Nicomachiorũ c.6.eam appellat aciẽ animi,in 2.autem & in 3. de anima,eandem nuncupat aliud animæ Genus,aptũ separari, ut ęternũ à mortali,& partem non mixtam cum corpore,non egentem Organo corporeo immunem à passione,solam diuinã ex partibus animæ,& ob id extrinsecùs accedere, ut legitur in 2.de Gen.Ani.c.3.& actu esse intelligibilem, & ob id esse aptã intelligere, ut legitur in tertio de Anima. *Mens hominis.* Ex his hæc lata eius circumscriptio elici potest,Mens hominis est particula animæ,qua anima intelligit, ex materia nõ pendens,organo non egens,à passione immunis,extrinsecùs adueniens, aptaq; seiungi,ut æternum à mortali; *Mentis humanæ circũscriptio.* Et quoniam in humana Mente duæ considerantur differentiæ,quarum una dicitur Mens agens, Altera potestate; illæ quoque seorsùm per earum officia se offerunt circumscribendæ. *Mẽs agẽs.* Mens agens est differentia humanæ Mentis, munere cuius intelligibilia potestate reddun-

tur

tur intelligibilia actu. Insuper Mens agens est animæ facultas, se habens ad Phantasmata, ut lumen ad colores; ad officium intelligendi ut Ars ad Artificio sa; ad Mentem uerò potestate, ut habitus eius. Eadem dicitur sui essentia actio, quatenus hæc est conditio eius. Mens autem potestate, contradistincta ab agente, est facultas humanæ animæ, apta per cognitionem fieri omnia; cum nil sit actu ante quam intelligat: hinc dicitur similis materiæ primæ, nec non tabellæ inscriptione carenti, & locus specierum intelligibilium. Hæc de humana Mente enunciant sapientiores Peripatetici. Ex sententia autem Academicorum hæc nuper declarata non est absolutè Mens, sed cum additione, nimirùm animaria in tertio gradu collocata; in primo enim residet Mens non participata, cui competunt Ideæ non participatæ; in secundo Mens participata, cui competunt Ideæ participatę; in tertio Mens animaria, cuius propriæ sunt rationes, quę mens animaria in conuiuio dicitur oculus animi, tunc florens dum oculus corporis incipit deflorescere. Mens autem prima; cuius aliæ sunt participationes; est eminentissima entis vnitas, boni proles, intelligibilia includens, eaq; indiuiduo simpliciq; actu intelligens, ac per eadem Mundum producens, & Regens.

Mens potestate.

Academicorum sententia.

Mens Prima.

ANNOTATIONES.

Considero primò, nomen Naturæ, & Animæ denotare conditionem, quæ alterius sit; Natura enim naturalis corporis, & Anima animati esse dicuntur. Nomen verò Mentis denotare conditionem liberiorem, quæ non alterius sit, sed solùm ad intelligibile, vt ad obiectum, referatur: & ideò conditionem denotat eminentiorem, sui dominam, aptam ab alijs seiungi. Ex quo elicio Animam & Naturam debere per id definiri, cuius sunt: Mentem verò nequaquã, sed solùm per obiectum suum. Considero 2. quòd cum Arist. Mentem primã à Deo non secernat, vt eam secernunt Academici, inquit Philop. in 3. de Anima, Arist. aduersari cùm Platoni, tùm decretis Theologorum, qui Deum dicũt Proniam, hoc est, super Mentem collocatum. At decipitur Philop. quia Ari. aduersatur quidem Platoni, at non decretis Theologorum: hi enim Deum, & Diuinam Mentem idem existimant, & quamuis D. Aug. in principio xv. libri de trinitate dicat, Deum esse supra Mentem; eo tamen loci non de Diuina, & supera Mente, sed de humana loquitur, Et dum Theologi Deo tribuunt Proniã, Prouidentiam denotant, & prænotionem rerum, non autem distinctionem à supera Mente. Hanc opinionum varietatem de distinctione Dei à prima mẽte nouit etiam, & retulit Auer. in 5. disp. contra Alg. in sol. 3. dubij. Considero 3. Nomine Mẽtis apud Aris. nonnunquam denotari Phantasiam, vt dixi, cuius rei quatuor possunt assignari rationes. Prima est, quia veteres Phantasiam à Mente non secernebant, hinc iumentis quoq;, & feris eam tribuebant, vt patet ex calce 2. de Anima, & ex primo de Anima 24. Altera ratio est, quia, vt legitur in 2. de Anima, in iumentis, feris, & pueris, Phantasia est dux, & eo fungitur officio, quo Mẽs, in compote Mentis, adeò vt recta ratione ei respondeat. Tertia ratio est, quia vt legitur in 2. Phy. 80. Iumenta & feræ instigante Natura, & conducente Phantasia, ea efficiunt opera, quæ mente facta videntur, & à pluribus sapientibus Mente fieri iudicantur, vt à Porphyrio, Plutarcho, & alijs. Quarta ratio est, quia Phantasia in homine ob nexum cum Mente, redditur rationis particeps, ut patet ex 3. de Anima 57. hinc vt per participationẽ ei cõpetit ratio, ita per participationẽ dici potest Mens. Cõsidero quartò, quòd cũ nomine Mẽtis

Primum. Mens est aliquid absolutum.

Alterum.

Error Philoponi.

Tertium. Cur Phantasia dicatur Mẽs? Ratio prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

aliquando denotetur apprehensio primorum principiorũ, huius ratio esse poteſt,quia ea principiorum apprehensio eſt ſuprema, prima, & origo coeterarum,& eſt maximè propria Mentis, cum ſit ſuprema eleuatio, facultate includens reliquas munerum functiones Mentis, adeò vt opus Principale, & facultas,eodem nomine denotentur, vt euenit de Phantaſia, ſenſu, & alijs multis; Et quoniam facultas parata eſt pro vſu recto,& per illum menſuratur, ideò etiàm Mens nonnunquam pro recto eius vſu vſurpatur. Conſidero quintò, quòd Ariſt. nonnunquam ait non Mentem, ſed hominem intelligere, vt in primo de anima, 65. nonnunquam ait Animam per Mentem intelligere,vt in 3. de anima cont. 1. nonnunquam verò Mentem intelligere,vt in 3.de Anima cont. 4. & alibi, quæ omnia diſtincta conſideratione vera ſunt : :Si loqueremur de Mentibus à corpore ſolutis,abſolutè dicendum eſſet eas intelligere. At loquendo de Mente humana,corpori iuncta, tria conſiderare valeamus. Primò agens totum,ſecundo,partem principalem,Tertiò principalem,& propriã facultatem; Prima conſideratione homo intelligit; Secunda, Anima; Tertia, Mens. Inſuper triplex poteſt fieri comparatio. Prima,inter hominem & animam; Secunda,inter animam & Mentem;Tertia,inter Mentem,& proprium officium eius. Per primam comparationem, Homo intelligit per Animam. Per ſecundam,Anima intelligit per Mentem. Per tertiam, Mens eſt ea, quæ intelligit. Negat Ariſt. in 1. de anima 63. animam intelligere,qua diſputat aduerſus Platonem,dicentem animam ex ſe moueri, ideò Ariſt. inquit cauſa non ex ſe moueri etiam motu ſpiritali,quia non eſt adæquatum intelligens, & non operatur non conſpirante corpore,vel facultate pendente ex corpore. Conſidero ſextò, Mentem hominis ab Ariſtotele in principio tertij de anima dici particulam. Quæritur, cur vtatur diminutiuo, cum ſit pars, & facultas præſtantiſſima? Soluitur primò dicendo morem eſſe græcorum,frequenter vti diminutiuo pro abſoluto, & principali. Addo ſecundò, Ariſt. in 2. de Animà partes omnes animæ nuncupare particulas,tum quia multæ ſunt, tum inſuper quia partes propriæ ſunt corporum, non rei incorporeæ. Addo tertiò, de Mente Ariſt. iure uti diminutiuo, tum quia, paucis competit,ideò dicitur minima tum inſuper quia ex materia non pendet, nec extenditur extenſione corporis, ut materiatæ formæ, ea tamen cum mole ſit minima, facultate eſt maxima,& præſtantiſſima; & de ea id enunciare ualemus, quod enunciauit Plato,quod cum ſit pars,eſt maior toto, cum ſeorsùm à corpore potior ſit, quàm iuncta corpori. Conſidero ſeptimò, Ariſt. de Mente nonnunquam dicere, quòd ſit ſui eſſentia actio,id profert in 12. Met. de motoribus cœlorum & in 3.de anima de Mente hominis agente.Dum loquimur de motoribus cœlorũ; dici poſſunt ſui eſſentia actio,quia dum referuntur ad opus intelligendi, intelligunt per propriam eſſentiam: Dum uerò referuntur ad motum, adeò eorum conditio eſt mouere,ut non ualeant non mouere:propterea legitur in 9. Met. 17. non eſſe timendum, Cęlum quieſcere,quia à motoribus eius abeſt potentia ac ita mouent pro uiribus,ut non tranſeunt ex non mouere ad mouere. Si uerò loquimur de ea humanæ Mentis differentia,quæ dicitur agens,hęc ſui eſſentia eſt actio,dum conſideratur ut contradiſtinguitur ab altera differentia, quæ eſt poteſtate,nam ut conditio unius eſt poteſtas,ita alterius eſt actu. Conſidero 8. Ariſt. in 3.de anima cont.4. tribuere humanæ Menti,ut omnia intelligat; & in cont.8. ait, quòd dum fuerit ſingula facta,ualet intelligere ſe. Ex aduerſo in con. 36. ſub dubio derelinquit,an iuncta corpori,ualeat intelligere ea,quę ſunt ſeiuncta à corpore;Et in 2. de anima inquit, Nobis magis propriam eſſe ignorantiam,

Quintum.

Et Mẽs, et Anima, & homo, intelligit.

Sextum. Cur particula.

Septimũ. Cur ſui eſſentia actio?

Octauum. An omnia intelligat?

rantiam, quo loci ait Themistius: maximum eorum, quæ scimus, esse minimum, dum comparatur cum eo quod ignoramus; Et in secunda: de cęlo loquens de cęlestibus, sæpè se excusat, quia cum longè à nobis distent, longè etiam absunt à nostra cognitione: Hinc attinentia ad fidem sine supera reuelatione non ualemus uiribus Mentis apprehendere; Et in secundò de cęlo ait Auer. nos non posse iudicare, quod Hemisphærium sit præstantius, nū Australe uel septentrionale? Varia dici possunt pro omni parte: nunc breuibus dico, Mentem ut Mentem posse omnia noscere ut sunt intelligibilia, nam infi- *Resolut.* nitum ut infinitum ignotum est, Quatenus uerò nobiscum nectitur, dico eum posse intelligere omnia, uel tāquam proprium obiectum, uel ut collecta sub eo siuè elicita ex eo; & posse intelligere omnia; nisi in uno indiuiduo, saltem in uarijs; nisi distinctè, saltem confusè; nisi secundum propriam formam, saltem per communia. Insuper addo eam posse omnia intelligere ex parte sui, egere tamen pro quorundam notitia supero lumine, ratione repræsentationis eorum, ut congruenter ei represententur, & lucidè ea noscat. Considero nonò, *Nonum.* quòd cum ex sententia Platonis dentur tres gradus Mentis, Non participata, Participata, & Animaria. Mens non participata est suprema, & à simpl. in 3. de anima dicitur eminentissima entis vnitas. Nam Deus est super ens, & caput, ac principium entis; verè entia sunt Ideæ; quæ cum in non participata Mente vnitissimè includantur, & in idem veniāt cum eius essentia, ideò iure dicitur eminentissima entis vnitas. Nam Mens non participata absolutè vna est: Mentes verò participatæ sunt vna ex parte eius, cuius sunt participationes: plures uerò ex parte animarum participantium, Vt Lux Solis est vna, Radij sunt unum & multi, unum aliquid sunt ex parte originis, multi verò, ut per varia perspicua effunduntur, & in varijs recipiuntur. Decimò considero apud *Decimū.* Academicos duplici ratione Mentem dici non participatam, & participatam. *Cur Mens dicatur participata.* Prima est, quia Mens dicitur non participata, quatenus non pendet ex superiore: participata uerò, quia est participatio superioris, & ex superiore pendet. Altera ratio est, quia Mens non participata est libera penitùs, & seorsùm existens: participata uerò consideratur in alio, nimirùm in anima, quæ Mentis redditur particeps. Sic homo ab Academicis dicitur Anima Mentis particeps, corpo- *Undecimum.* re vtens. Vndecimò considerandum est, quòd Mens hominis ad uaria relata, uarijs ab Aristotile denotatur nominibus. Nam considerata absolutè, & secundum propriam conditionem, absolutè dicitur Mens; Relata ad hominem, ea unà cum alijs animæ gradibus, dicitur prima perfectio corporis organici, ac insuper primum principium, per quod homo ratiocinatur, & intelligit. Dum refertur ad animam in primo cont. 3. de anima dicitur particula animæ, qua anima cognoscit, & sapit. Ac insuper dicitur oculus, & acies animi, ut in primo Nicomachiorum cap. 6 à Platone autem dicitur & oculus animi, & Auriga, & Dux. Dum Mens refertur ad officium intelligendi, dicitur Principium, origo, & prima ratio intelligendi. Dum refertur ad eius habitus, dicitur Locus specierum intelligibilium, ut in tertio de anima cont. 6. Dum refertur ad suum obiectum, dicitur nudata eo, & nil actu antequam intelligat, ut in tertiò de anima cont. 5. Dum demùm Mens potestate refertur ad agentem, dicitur differentia animæ apta omnia fieri, ut agens omnia facere, tanquam Ars, Lumen, & Habitus. Duodecimò de humana Mente hoc consideratione dignum occurrit, *Duodecimum.* quòd de ea sine pugna uaria dici possunt, quæ primò intuitu inuicem pugnare *De mente uera sunt uaria, quæ* uidentur, quod ex eius præstantia ortum ducit. Veluti ab Aristotile in tertio de anima & decimo Nicomachiorum cap. 3. dicitur particula postrema & mini-

ma:

uidetur inuicem pugnare. ma:cum ex aduerso sit prima,& maxima;minima mole & quia paucis compē-
tit,& postrema origine in viuentibus; maxima autem facultate, & dignitate pri-
1.contrarietas. ma. Insuper in tertio cont.tertij de anima,dicitur passionis expers, cum tamē
per metaphoram maximè patiatur,tum quia varijs agitatur perturbationibus,
2. Contrarietas. tum insuper quia à cunctorum Phantasmatibus mouetur. Tertiò,est capax &
non capax specierum intelligibilium:capax,quia eas iudicat,ut obiecta;non ca-
3. Contrarietas. pax,quia non recipit vt subiectum. Quartò dicitur intelligere omnia,cum ta-
4.Contrarietas. men eius magis dicatur propria ignorantia,quàm scientia. Quintò, eius na-
tura hęc sola esse dicitur,ut sit omnia potestate, & nihil actu eorum,quæ sunt,
5.Contrarietas. antè quàm intelligatur:cum tamen ex aduerso sit actus purior, & excellentior
omni forma mortali, cum ex materia non pendeat. Sextò, dicitur in tertio de
6. Contrarietas. anima Mens hominis immunis à mixtione cum obiecto, & nudata eo; cum ta-
men ex aduerso eminenter includat conditionem veri intelligibilis; cum verè
7.Contrarietas. intelligibile sit essentia ex materia non pendens. Septimò, dicitur non mixta
cum corpore ei subiecto;& tamen intimiùs est ei iuncta,& cum eo mixta, qua-
8.Contrarietas. tenus sine extensione,& indiuiduè cum eo nectitur: nam ubi est,tota est. Octa-
uò,dicitur in cont.sexto non fieri qualis; causa tamen eminentissimè fiat qualis
9.Contrarietas. per habitus Virtutum,ad rationem attinentium. Nonò,in eodem cont.dicitur
10. Contrarietas. carere organo;& tamen maximè est organica,quatenus omnes facultates orga-
nicæ cum earum organis ei inseruiunt. Decimò, Mens sola dicitur Locus spe-
cierum;cum tamen longè magis Phantasia earum sit Locus, quia eas ut subie-
11.Contrarietas. ctum recipit,& seruat. Vndecimò, Mens dicitur,immortalis;cum tamen ea ob
vitia miseriæ,& dannationi subijciatur,quæ est mors deterrima & æterna. Duo-
12.Contrarietas. decimò;dicitur libera;& tamen est maximè serua,dum uarijs, agitatur perturba-
13.Contrarietas. tionibus,ab eisq; ducitur. Decimotertiò,est proxima Deo, & præstantior qua-
uis forma mortali;cum tamen obruta & fędata vitio longissimè à Deo distet, &
14.Contrarietas. maximè cum eo,quod non est,nectatur, adeò ut simul formosissima & maximè
deformis dici possit. Decimo quartò, Mens ab Aristotile non propriè dicitur
15. Cōtrarietas. formare hominem,ut formę materiatę;cum tamen ex eiusdem sententia maxi-
Decimum tertium. mè hominem formet, quatenus constituit eminentiorem quendam ho-
minis gradum, vt elicitur ex decimo Nicomachiorum cap. 8. De-
mùm, Mens ea est, quæ cum sit omnia, est nihil; omnia qui-
dem potestate, nihil verò actu. Decimo tertiò, conside-
randa occurrunt munera, & beneficia uaria; quæ
ex Mente, rectoq; eius vsu in nos redundant;
& ex aduerso detrimentum, quæ
prodeunt ex deprauato eius usu,
quę cum retulerim in li-
bro de Humana
Mente, silen-
tio prete-
reo.

INTEL-

INTELLIGIBILE.

DIVISIONES.

MENS grecè νοῦς ad νοητὸν, hoc eſt intelligibile vt ad obiectũ refertur; ideò decurſa Mente, de Intelligibili agendũ. Secã tur ab Ariſtotele in tertio de anima, & in primo de partibus animalium ea, quæ ſunt, in ſenſibilia, & intelligibilia: denotans per ſenſibilia corpora cuncta, & pendentia ex illis quę ſub ſenſum cadunt: per intelligibilia verò ea omnia quæ ſunt ſecreta à materia, vt Deus, & cęlorum motores: hæc enim abſoluta ſui conditione ad Mentem pertinent. At quia etiam materiata, Mente apprehenduntur, ideò ſecundò diuidi poſſunt Intelligibilia in ea, quæ ſui eſſentia & abſolutè ſunt talia, & ea quæ ſunt Intelligibilia per participationem. Prima ſunt ſecreta à materia. Altera ſunt materiata, & corporea, quę dicuntur Intelligibilia per participationem, quatenus actum quendam includunt, cum materia & potentia iunctum, aptum mente ſecerni. Et hæc ſubdiuiduntur, quia vel ſunt Intelligibilia ſolùm poteſtate, vt ante abſtractionem, uel actu, vt dum munere Mentis à materia, & conditionibus ſingularibus fuerint ſecreta: Hinc in tertio de anima dicitur, Mentem agentem reddere intelligibilia poteſtate, intelligibilia actu. Tertiò, diuidi poteſt intelligibile, in intelligibile ſecũdũ ſe, & intelligibile ex accidenti. Intelligibile ſecundum ſe eſt actus omnis formalis, vel eo prædituꝫ; Intelligibile ex accidẽte eſt deſtitutum actu forma li, ueluti Prima materia, Priuatio, Infinitum, & id quod non eſt, poteſt tamen imaginatione concipi; de quo non ente refert Philoſophus in libro de interpretatione hoc ſophiſma. Quod eſt intelligibile, eſt; quod non eſt, eſt intelligibile; igitur quod non eſt, eſt. Quartò diuidi poteſt intelligibile quia vſurpatur, uel pro re quæ eſt obiectum Mentis, vel pro notione Mente comprehenſa repræſentante rem: Primum eſt verè intelligibile: Alterum eſt id, per quod Mens illud intelligit. Elicitur diſtinctio ex Auer. primo Metaphyſicæ 45. & ob id Ariſtotile, in tertio de anima dixit, Mentem non fieri lapidem, ſed notionem eius, repræſentantem lapidem: Hæc ex opinione Ariſtotelis. At ſi Academicos ſequimur, Deus eſt ſupra intelligibilia & principium eorum. Verè Intelligibilia ſunt Ideæ Menti inſitæ, quibus in Anima reſpondent rationes, in Natura ſæmina, in Materia umbræ idearum, quæ formæ iudicantur. Ideæ itaq; ſunt verè Intelligibilia, & verè ſcibilia, in quibus verſatur Intelligentia, & Sapientia. Rationes dicuntur cogitabilia, & latè ſcibilia, ad Mentem animariam pertinentia. Fides verſatur circa ſenſibilia, Imaginatiò circa vmbras ſenſibilium, ex fide & imaginatione conſurgit Opinio, ut elicitur ex 5. 6. & 7. de Rep. Platonis.

Ea quæ ſunt, vel ſunt ſenſibilia, uel intelligibilia.

Intelligibile ſecũdo vel ſui conditione: uel ꝑ participationẽ.

Intelligibile ſecundum ſe & ex accidenti.

Intelligibile ꝑ re, & pro notione.

Sententia Academicorum.

DEFINITIONES.

Mens & intelligibile sunt ab uno. Intelligibile uniuersè sumptum. Intelligibile secundum se. Intelligibile absolutè. Potestate. Actu. Sentētia. Platonis.

QVONIAM (vt patuit) Intelligibile est multiplex, & est ab vno, & ad vnum, ut etiam Mens ad quam refertur, ideò dum vniuersè sumitur, satis tenuis definitio ei potest tribui: distinctius autem patet, descendendo ad gradus eius. Intelligibile uniuersè sumptum, est omne, & quod est, & quod non est; dummodo imaginatione concipi possit quatenus per Mentem est aptum apprehendi. Intelligibile secundum se, latè sumptum, est omne actu formali præditum, siue sit forma, siue per eam constituatur. Intelligibile secundum se ab homine, quod Mentem eius mouere valeat, est essentia materiata vt per proprium Phantasma est apta Menti offerri. Intelligibile sui essentia, & absolutè, est forma ex corpore & materia non pendens vt apta vel à se, vel ab alia Mente percipe. Intelligibile potestate est essentia materiata iuncta corpori & cōditionibus indiuiduorum, ut apta ab eis secerni. Intelligibile potestate redditum actu, est essentia materiata, munere Mentis agentis à materia, & conditionibus indiuiduorum soluta, menteq; apprehensa. Intelligibile sui conditione & natura, ex sententia Platonis, est Idea Menti insita; eiq; exactam essentiam rei, cuius est Idea, distinctè representans, ut distinctiùs patebit in cap. de Ideis,

ANNOTATIONES.

Primum. Materia secundum se non est apta intelligi. Obiectum humanæ Mentis. Secundū. Intelligibilia ex sētentia Platonis.

PRIMO' animaduertendum non leuem esse dubitationem, num prima rerum materia sit apta secundum se intelligi, de qua disserui in lib. de materia & humana Mente, in quo etiam uerba feci de obiecto proprio & per se humanæ Mentis: nunc autem suppono Materiam secundum se non esse aptam intelligi, & obiectum secundum se & proprium humanę Mentis, esse formam materiatam, ex qua saltem ob accidentia ei iuncta, valet elici Phātasma, aptum mouere Mentem. Secundò animaduertendum est, uersari litem inter Academicos & Peripateticos de conditione intelligibilium. Putant Academici propriè intelligibilia esse Ideas; sub quibus locantur rationes; idèas dicunt insitas Menti, rationes uerò animæ, & ob id, inquiūt sciētiam nostram esse reminiscentiam, & nobis competere, dum per interrogationem excitamur, & in memoriā nobis redigimus ea quæ mens prænouit, quorum ob nexum cum corpore erat oblita.

Ex sententia Aristotelis.

Peripatetici contra inquiunt, Mentem nostram nudam esse omni habitu; & tabellę inscriptione carenti esse similem; & scientiam in nobis denuò gigni, qua de re latiùs disserui in libris de humana Mente.

Tertium. Nū Mens præstet intelligibili. Rationes pro intelligibili.

Tertiò considerādum, non leuem esse difficultatem, num Mens dignitate præstet Intelligibili, vel uice versa? Academici absolutè principatum tribuunt Intelligibili; idq; confirmas Simplicius in tertio de anima, exponens cont. 19. ex eo quia Intelligibile denotat essentiam rei; Mens verò actionem circa causa. Insuper intelligibile est tanquam finis, forma, & perfectio; mēs uerò id quod perficitur: Hinc dicitur locus specierum & potestate intelligibilia, potestas est vilior actu. Tertiò, Mens etiam

Pro Mente.

de imperfecta dicitur, vt de Mente potestate: at Intelligibile non competit his, quæ potestate sunt, sed de solo actu dicitur. Ex aduerso Mens præferenda uidetur,

detur,

detur, quia est essentia supra materiam collocata, ex eaq; non pendens: Intelligibile autem, quod est obiectum eius, est forma & essentia materiata. Insuper Mens est tanquam domina, & iudex, cui subijciuntur ea, quæ iudicantur. Præterea, Mens solùm est substantia; intelligibile autem etiam est accidens. Demùm, vt sensus cum sit substantia, præfertur sensilibus, quæ accidentia sunt; ita Mens videtur præferenda Intelligibilibus. Varia pro omni parte dici possent, quæ prætereo, nam Peripatetici potiùs Menti, quàm Intelligibili uidentur principatum tribuere. Litem hanc ita componendam puto: Vel loquimur de intelligibili absolutè, uel de materiato: Si de primo loquimur, de quo solo verba faciunt Academici, cum eis affirmo primum Intelligibile in idem fundamento venire cum prima Mente, & sola ratione distingui, & ratione Intelligibilis præstare Menti, cum sit tanquam perfectio, & forma intelligentis: At si loquimur de intelligibili materiato, siue potestate, siue ad actum deducto, id vel referimus ad Mentem agentem, ac ita ei cedit, cum Mens agens sit tanquam lumen, habitus, & Ars & per eam reddatur intelligibile actu, ut dicitur ab Aristotele in tertio de anima: Vel id referimus ad Mentem potestate, quam considerare valemus; Secundò, Vel pro eius esse absoluto, ac ita præstat, cum sit forma eminentior: Vel cum reduplicatione, ut est potestate, ac ita ei cedit, ab eoq; perficitur, & fit illud, vt dicitur in tertio de anima contextu octauo. Insuper considero quartò, iure posse quæri, cum omnis Mens sit apta intelligi, num vice uersa omne intelligibile sit aptum intelligere? Solutio elicitur ex Aristotele in tertio de Anima, nam si nomine Intelligibilis denotamus id solum, quod sui conditione est intelligibile, id omne cum sit forma soluta à materia, etiam est intelligens. At si id referimus ad essentias, & formas materiatas, quæ non absolutè sunt intelligibiles, sed solùm munere Mentis agentis; illæ sunt quidem obiectum mouens per Phantasmata Mentem, & sunt aptæ intelligi, at non intelligere.

Resolut.

Quartum. Nũ intelligibile omne sit aptum intelligere?

IDEA ET EXEMPLAR.

DIVISIONES.

Species et exemplar. EA, quæ à Græcis, ἰδέα nuncupatur, à latinis verò species & forma, apprimè affinis est ei, quod à Græcis dicitur παράδειγμα, à latinis, autem exemplar. Et propterea frequenter vnum pro altero vsurpatur: exemplar tamen latiùs est, omnis enim Idea dicitur exemplar, non tamen vice versa; *Exemplar latiùs, quã Idea.* nã externa illa exemplaria, quibus illi vtũtur, qui addiscũt formare litteras; exemplaria quidem sunt, non autem re vera Ideæ, quæ exposcit vt sit forma quædam originalis. At dum Ideæ nomen *Significationes Ideæ.* latè sumitur, variæ sunt eius significationes. Nam primò apud nonnullos, & præsertim apud Magnum Albertum vsurpatur pro syderibus, siue stellarum *Pro imaginibus cæli.* imaginibus, & figuris, quę ab Astronomis quadraginta octo statuuntur; quarum principaliores sunt duodecim in Zodiaco collocatæ. Hæ namque ex sensu notis, sunt formæ primæ, quibus mortalia formantur, & seruantur; & ex quarum varia positione, & aspectu, varia apud nos prodeunt. Secundò vsurpatur Idea apud Auer. 12. metaphysicæ con. 18. pro definitis quibusdam facultatum men- *Pro definitis facultatum mensuris.* suris, ex cęli virtute pendentibus, aptis varia procreare, quæ in Elementis reperiuntur: & seruant conditionem Idearum, quatenus per eas animalia varia formantur: de quibus loquens eo loci Auer. inquit, Huiusmodi virtutum mensuræ quæ fiunt in Elementis per motum Solis, & Stellarum, sunt hæ, quas putat Plato esse formas, at longè inspicit eas &c. Verùm hæ nimiùm obscurè seruant con- *Pro forma quę est Natura.* ditiones Idearum, & Plato approbans Ideas, minimè has considerauit & denotauit. Tertiò vsurpatur Ideæ nomen pro forma substantiæ, quæ Natura est, de qua Aristoteles in secundo Phy. 28. dixit forma & exemplar; Forma enim, quæ natura est, eatenus dicitur exemplar, quatenus est principium generationis, & ad suimet similitudinem generat formam aliam, vt Leo Leonem generat, & canis canem. Quartò dicitur Ideæ nomen de exemplari & recta ratione, quam *Pro recta efficiendi ratione.* Artifex mente concipit, & per eam extrinsecùs Artificiosa format: Hinc Ars dicitur recta ratio efficiendorũ, & ob eam, Aristoteles in 14. metaphysicæ cont. 18. enunciauit, Artificiosa quoq; fieri à simili. Quæ recta ratio mente concepta rectiùs dicitur Idea, quàm dicantur externa quędam exemplaria, quia magis *Pro Vniuersali.* reseruat conditionem formantis, & formæ originalis. Quintò extenditur Ideę nomen ad omne vniuersale, quod Mente ex singularibus colligitur, ab eorumq; conditionibus seiungitur. Hoc enim apud Aristotelem recta ratione respondet Ideis, siue Vniuersalibus Platonis; Et ob id in primo Posteriorum legitur, Non esse necessarium pro scientia, ut detur unus extra multa, ut censuit Plato. sed sat est, ut detur natura una uniuersalis in multis. Hinc Auer. in tertio de Anima in digress. quinti commentarij dixit, Platonem putasse uniuersalia nec gigni, nec interire, & quod reperientur seiuncta seorsùm à Mente. Sextò extenditur *Pro dirigente & ducente.* Ideæ nomen ad omnem facultatem & naturæ instinctum, nos ad aliquid excitantem, & dirigentem, in qua significatione inquit Plato in Phædro, Scire oportet duas in unoquoque nostrum esse Ideas, dominantes, ac ducentes, quas sequimur quocunq; ducunt; Altera quidẽ est insita nobis uoluptatum cupiditas; Altera uerò acquisita opinio, per quam bonum optamus, quæ quandoq; in no-

bis

bis consentiunt, quandoq; dissident. Ideæ hactenus relatæ, potius secundum similitudinem, quàm re vera, & propriè Ideæ sunt. Propterea septimò vsurpatur id nomen pro essentia & forma rerum, naturâ constantiũ, à materia soluta, & per se subsistente non secus ac per se subsistere dicimus Angelos, & motores Cælorum. Hinc nonnulli Academicorum putârunt Ideas esse ordinem quendam principalem separatarum formarum, quas rerum vnitates, fontes originesq; imitationum, & participationum nuncupârunt: easq; nominibus illis designârunt, quibus denotantur earum imitationes, solùm addendo, αὐτὸ, quod principalem denotat, vt idea hominis dicebatur ipse homo, veluti retulit Arist. in 1. Nicomachiorum, loquens de Idea boni, & elicitur ex Timæo, & Parmenide Platonis. Philop. in 1. post. con. 95. inquit, Et narratur, quòd viuente Platone efficacissimè de hoc dogmate aduersus eum disseruit Arist. Simpl. in 2. Phy. con. 13. ait, Hanc sententiam esse vulgarem, & uilem, non legitimam Platonis. De idea secundum hanc significationem, ex Chaldęorum sententia loquens Psell. inquit, Vnum Principium omnium opinantur Chaldæi, & vnum ipsum, ac bonum laudantes nuncupant; Ideas uerò appellant modò Patris cogitationes, modò rationes vniuersales Naturę, Mentis, Animę, modò secretas à rebus subsistentias &c. Hoc etiam indicauit Porphyrius inquiens, Mox de generibus & speciebus illud quidem siue subsistunt, siue in solis nudis & puris intellectibus posita sint, siue subsistentia corporata sint siue incorporata, & num separata à sensilibus, siue in eis posita &c. Opinionem hanc frequenter Arist. uidetur Platoni tribuere, ueluti in 2. Phy. 19. inquiens, Decipi eos, qui Ideas dicunt, nam Physica seiungunt à materia, quæ tamen minus sunt apta seiungi, quàm Mathematica. Et in 1. de anima cont. 8. inquit, Animal uniuersale, uel nihil est, quia non datur seiunctum, uel est aliquid posterius, quatenus solùm per Mentem & rationem abiungitur. Et in 7. Metaph. 37. ait, Hominis forma semper in carnibus apparet, & neruis, non seiuncta. Similiter alia multa, quæ ab Arist. aduersus Platonem de ideis enunciantur, secundum hanc septimam significationem enunciata uidentur. Re uera tamen hæc non fuit sententia Platonis, ut patet ex Plotino, Proclo, Iāblicho, Syriano, & potioribus eius interpretibus. At dicet aliquis, si Plato re uera non fuit eius opinionis, cur Arist. maximè conscius propriè opinionis eius, falsò illam ei tribuit? Non enim assentiendum puto Francisco de Mairone dist. 47. dicenti, id fecisse uel inuidia ductum, uel quia fuit bonus Physicus, ut prauus Metaph. Nam assecla Aristotelis hoc approbare non debet. Potius itaq; dicamus, Arist. ad id faciendum fuisse inductum, quia uaria protulerat Plato, ob quæ facilè quispiā in eam sententiā uenire ualuisset; inquit enim Plato in Timæo, Considerare debemus, sit ne ignis aliquis, seorsum à materia, ipse ex se permanens? an hæc sola sint, quæ corporeo sensu percipimus? & post pauca, Si Mens & opinio uera duo genera sunt, necesse est huiusmodi species esse, quæ per se ipsæ sint, & Mente potius quàm sensibus apprehenduntur. Mitto uaria, quæ in uarijs dialogis proferuntur à Platone, ob quæ male intellecta, facilè posset quispiam in fatuam illam sententiam labi, ut nonnulli lapsi sunt: propterea sępè Arist. aduersus eam disseruit. Qua dimissa, occurrit octaua, & postrema Idearum assumptio, pro originali rerum forma, Diuinæ Menti insita, & pro absoluto ab ea non distincta, cuius illæ, quæ in materia apparent, sunt umbræ, imitationes, & participationes. Cuius Ideæ modò quæritur definitio cum sit principalis & propriè sumpta Idea, ex cuius definitione elicitur explicatio, & definitio cęterarum. Dum præssius usurpatur Ideæ nomen, ea potest diuidi in Ideam Diuinam, Physicam, & Humanam. Idea diuina est genus

Pro essentia secreta à materia. *Philop.* *Simpl.* *Psell.* *Porphyrius.* *Dub.* *Sol.* *Euersio.* *Opinio propria.* *Idea pro forma originali.* *Idea Diuina.*

Non participata & participata.
Communis et propria.

genus Idearum Diuinæ Menti insitarum, quæ mox per insequentes Mentes effunduntur. Et quemadmodum apud Platonem Mens diuiditur in Mentem non participatam, qualis est prima, & Mentes participatas: ita Ideæ in non participatas,& participatas distribuuntur. Insuper Ideæ, Diuinæ Menti insitæ, diuiduntur; uel enim sunt communes cunctis ideis, tamq; spiritus,& communes radij Idearum & sunt Idea Boni, Pulchri, & Vnius, quæ per omnes Ideas effundũtur. Et ob id quęlibet earũ dicitũ Boniformis, Vniformis, et Pulchriformis: uel sunt Ideę distinctarum specierum, ut Hominis, Leonis, & similium.

Prædefinitæ & non prædefinitæ.

Præterea diuiduntur ex sententia Theologorum Diuinæ Ideæ in prædefinitas, & non prædefinitas: prædefinitæ dicuntur illæ, quæ sunt rerum, quas ab æterno Deus prædefiniuit creandas: non prædefinitæ uerò sunt rerum, quas Deus ualuisset creare, at non prędefiniuit creandas. Ex sententia tamen Platonis nulla datur Idea, cui extrinsecùs imitatio aliqua non respondeat.

Idea Physica.

Loquendo de Idea Physica, ea nil aliud est ex sententia Arist. nisi ea forma, quæ est Natura. Et dicitur Idea, quatenus est principium generationis sui similis. Hæc tamen per principia Peripatetica dici potest Idea, quia est principalis forma, primumq; principium generationis alterius similis: non autem per principia Academicorum, ex quarum sententia solùm dicitur imitatio, participatio, & umbra. Insuper dum forma Physica dicitur Idea, id debet intelligi de forma substantiæ, quæ Natura est; at non de formis, quę sunt accidentia, nisi per quandam similitudinem. Ratio est, quia Idea est forma quædam principalis, qualis est forma substantiæ: accidentia autem sequuntur substantiam, & sunt instrumẽta eius. Demùm forma physica dicitur Idea duplici ratione: Prima est, quia similem generat: Altera est, quia est exemplar multorum, quæ Arte fiunt, ut statuarum, picturarum, & similium. Et ob hanc secundam rationem accidentia etiam dici possunt Ideæ. Hinc Ars dicitur imitari Naturam.

Idea humana.

Demùm loquendo de Idea ad hominem, hominisq; animam attinente; hæ trium esse possunt, uel efficiendorum, uel agendorum, uel cognoscendorum.

Idea efficiendorũ.

Ideæ rerum efficiendorũ pertinent ad Artem, & Artificem, & sunt triplices. Primò enim res physicæ sunt ideæ Artificum, ut statuarij & Pictoris. Secundò uni in Arte elaboratum, pro efficiendo alio, ut statuæ Policleti dicebãtur Ideæ pro efficiendis alijs, at minus propriè, quia non sunt formæ primæ. Tertiò ipsa met Ars, ut est recta ratio efficiendi, potest dico Idea efficiendorum.

Agendorum.

Ideæ rerum agendarum attinent ad prudentiam, & Ciuilem scientiam, quæ minus propriè dici possunt Ideæ. Ratio prima est, quia Idea dicitur esse operis absoluti & remanentis, non actionis. Secunda est, quia sunt substantiæ uel imitationis eius, non accidentium: possemus tamen fusa voce dicere Prudentiam & Ciuilem scientiam esse Ideam humanarum actionum, quatenus nos dirigunt ad eas, recteq; componunt.

Noscendorum.

Ideæ demùm rerum, quæ noscuntur, quarum imagines mente concipercetur, & sunt notiones eius, hæ profectò minus propriè dici possunt Ideæ. A`Platone, ut ad Mentem pertinent, dicuntur quidem Ideæ, quia sunt principales, & insitæ: vt verò pertinent ad animam, nuncupantur rationes. At ex sententia Arist. solùm sunt notiones denuò formatæ, & non originales formæ. Propterea rectiùs formæ rerum dici possent Ideæ notionum, quàm vice versa. Nec tamen ideæ notionum dicuntur, quia ea non est vera productio, nec id est principale officium earum formarum, sed potiùs procreare simile. Et hæc de multiplici significatione nominis Ideæ, & eius diuisionibus.

DEFINITIONES.

VAriæ Idearum circumferuntur definitiones. Alcinous in lib. de doctrina Platonis ait. Definiunt Ideam exemplar æternum eorum, quæ secundum Naturam fiunt, quæ definitio, ex relatione Procli, primò à Zenocrate tradita fuit. Insuper ab eodem Alcinoo definitur, quòd sit Intellectio Dei æterna, ex se perfecta. Scotus in 1. sent. dist. 35. eam definiens, dixit esse rationem æternam in Dei Mente, secūdum quam aliquid formari potest extra, tanquam per propriam rationē eius. A' quampluribus Platonicis, & D. Aug. in libro 83. quęstionum definitur, quòd sit exemplar rerum producibilium in Mente Diuina, cuius participatione, & ad cuius similitudinem, quæ ex Deo pendent, producuntur. Dionysius Areopagita eas nuncupauit prædefinitiones, & uoluntates Dei, quæ explicatio solùm competit prædefinitis Ideis. Insuper Ideæ sunt eminentissimæ Mentis ratio, Sapientia Diuina, absolutaq; essentia eorum omnium, quæ sunt. Philon Iudæus in lib. de Monarchia eas descripsit, quòd sint Dei potestates quæ suam cuiq; reddant proprietatem; inordinata redigant in certum ordinem; infinita, indeterminata, informia, definiunt, terminant, & formant; deterioraq; cuncta in melius redigunt. Hæ cum Empedocle definiri possunt, quòd sint Mundus ab eo nuncupatus Sphærus, & amicitiæ. Insuper cum Academicis, quòd sint Mundus Intelligibilis. Prætereà cum eisdem, nec non cum Theologis, quòd sit Mundus originalis. Si autem latiorem cupimus Idearum tradere descriptionem eis competentem secundum varias significationes, dicere valemus, Ideam esse formam originalem, pro cognitione, similiumq; productione conducentem. Idea autem Diuinæ Menti competens, dici potest Essentia supremæ Mentis, vt est ratio eminentissima, æternumq; exemplar rerum noscendarum, & producendarum ab ea. Huc spectat definitio tradita à Scoto, vbi supra.

Alcino'. Scotus. D. Augu. Dionysius Areop. Philon. Theologi. Latior Definitio. Idea Diuinæ Mētis.

ANNOTATIONES.

COnsiderandum primò est, Ideam ad tria posse referri; Primò ad essentiam mentis, Secundò ad ea, quæ per Ideas noscuntur; Tertiò ad ea quæ efficiuntur. Dum refertur ad essentiam Mentis, Idem est ipsa met essentia Mentis, ab ea sola ratione distincta. Dum verò refertur ad noscenda, dicitur Scientia, & Sapientia Mentis. Dum Tertiò ad efficienda, & seruanda refertur, dicitur Eminentissima ratio agendorum, Prudentia, Consilium diuinum, & Prouidentia. Considero Secundò, Ideam distincta ratione redigi posse cùm ad formam, tùm ad causam efficientem; nam dum consideratur secundum esse eius absolutum, forma est, ut dicitur in 2. Phy. 28. ac ita etiam vt forma, ea in cognitione repræsentat, quæ per eam nosci dicuntur: at dum refertur ad ea quæ sunt efficienda, redigitur ad causam efficientem cum sit recta ratio agendi; hinc aiunt Academici eam mediare inter causam efficientem, & finem, cum sit recta ratio assequēdi finem. Considero tertiò. Primum Idearum inuentorem, non fuisse Platonē, vt multi aiunt, nec Plato se talem profitetur, vt patet ex Sophista: nam Pythago

Primo considerandū. Idea ad tria referatur. Alterū cōsiderandū. Idē & forma, & efficiens est. Tertium. Primū Idearum inuentor non fuit Plato. Pythagoras.

ras per numeros essentiales, quos rerũ primordia statuebat, nil aliud denotabat, nisi Ideas; cui Socrates successit, qui eas amplificauit. Mox Academici distinctiùs de eis uerba fecerũt, qui nomen participationis numerorũ quo usi erant Pythagoræi, in nomen imitationis permutárunt, ut in primo Met. retulit Arist. Nostri quoq; Theologi lucidissimè eas debere concedi manifestárunt: & Magnus Dionysius Areopagita, cùm in libro de Diuinis nominibus, tùm in alijs, splendidissimè eis est usus. Diuus quoq; Aug. in lib. octuaginta trium quæstionum, q. 46. adeo necessariam ait cognitionem Idearum, ut sine earum notitia & approbatione, nemo possit sapientis nomine honestari. Insuper in lib. Confessionum addit, In euangelio D. Ioannis, dum dicitur, quòd Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, nomine Verbi Ideas denotari. Philon Iudæus, de quo legitur, aut Plato Philonissat, aut Philon Platonissat, in libro de Mundi opificio ait, Moysem in Genesi Ideam hominis patefecisse, dum enunciauit, Faciamus hominem ad Imaginem, & ut ipse legit iuxtà imaginem nostram; Nam primò cõsideratur Deus, Secundò Idea hominis, quæ est imago Dei. Tertiò, homo formatur iuxta imaginem siue ad imaginem Dei. Similiter easdem Ideas denotari affirmat, dum eo loci legitur, Hic est liber generationis Cœli, & Terræ, quando creata sunt die, qua fecit Deus cœlum, & Terram, & omne uirgultum agri, ante quàm oriretur in Terra, omnemq; herbam agri, antequam generaretur, & c. Nam consideratur hic ordo. Prima est absoluta Dei essentia. Quæ secundò consideratur, ut cuncta intelligit, procreareq; ualet, ac ut cætera sunt apta ex eo prodire eumq; imitari, ex quo Ideæ refulgent. Tertiò ea supera Mens consideratur ut decernit & uult ea, quæ congruunt esse creanda. Et hoc est uerbum Dei, quo dixit & facta sunt: Liber autem generationis, in quo Ideæ, tamquàm literæ refulgent inscriptæ, est Mens ipsa. Quartò considerandum, quòd ut Academici excoluerunt Ideas, ita ex aduerso Arist. eas neglexit, & euertere conatus est. Septem præcipua statuuntur munera Idearum. Primum est Scientia, & Sapientia diuinæ Mentis, vt cuncta distinctè noscat. Alterum, Prouidentia, & cura cunctorum & vniuersi. Tertium similitudo producentis, & producti. Quartum humana mortalium scientia, cum enim ea fluant, de illis solùm est opinio, ut itaq; de illis scientiam assequi ualeamus, necesse est, ut detur aliquid eis respondens firmum & constans: huiusmodi autem sunt Ideæ. Quintum est conditio potioris agentis, nam agens temerè operatur, nisi primò concipiat animo formam, & ordinem rerum producendarum: nec multa valet distinctè formare, nisi distincta ratione ea apprehendat, ex vno enim vt vnum est non valet secundum se, nisi unum prodire. Sextum munus est cognitio essentiæ rerum, cum enim sensus solùm noscant, mentiq; offerant accidentia, nisi animę insitæ essent rationes essentiales, Ideis Mentis respondentes, solùm accidentia apprehenderemus, non autem attingeremus essentiam. Septimum est, ut Vniuersum uerè esset uniuersum, & puras rerum essentias includeret, non autem solas umbras, imitationes, & participationes, qualia sunt hæc, quæ sensibus nostris se se offerunt: Quæ cum sint participationes, ea necessariò præsupponunt, quorum sunt participationes; huiusmodi autem sunt Ideæ, quæ sunt purę essentiæ rerum. Ex aduerso Arist. in Logica, in scientia de Moribus, in Physica, & Metaph. Ideas euertere conatus est, & cuncta relata munera, in alias causas retulit, adeò ut Ideas, inanes cogitationes existimauerit & continere per Ideas, in continere secundum eminentiam permutauit. Concessit Arist. Ideam Physicam, & Humanam; at propriè sumptas Ideas, superæ Menti insitas non cognouit. At de hoc alibi latiùs; & præsertim in 2. Physicorum.

Socrates. Academici. Dionysius Areop. D. Augu. Philon Iudæus. Quartum. Ari. neglexit Ideas. Septē munera Idearum.

ANI-

ANIMA DISTINCTIONES.

ANimæ, siue Animi nomen vsurpatur, & per metaphoram, & propriè. Per metaphoram quidem, dum tribuitur rebus nobis apprimè gratis, à quibus etiam per metaphoram dicimur recipere uitam; Propriè autem usurpatur, dum ea forma denotatur, quam comitatur propriè sumpta uita. Et hæc uel sumitur latè, & denotat Animam cùm mortalium tùm æternorum; Vel præssiùs, & solam denotat Animam mortalium, in qua significatione de ea loquitur Arist. in libris de Anima. Diuiditur Anima ab Academicis in principalem, & umbras: principalē, & propriè sumptam Animam, eam solam iudicant, quæ rationis est particeps: reliquos autem gradus dicunt esse umbras, Idola, & uestigia eius. Insuper ab eisdem Academicis diuiditur Anima in utentem, & formantem: qua diuisione frequenter utitur etiam Simplicius. Vtētem aiunt esse ueriorem Animam, & perinde se habere ac splendorem, & Lumen ex Mente, tamquam Sole prodiens, extensione carens: Formantem uerò esse uitalem actum utentis, perinde ac splendorem, & extensum Idolum. Tertiò ab eisdem diuiditur Anima in progressam, & Manentem: Insuper progressam in imperfectam, & perfectam, putant enim eā perfici per reditum in seipsam manentem. Peripatetici his distinctionibus non utuntur, sed Animam uiuentium mortalium diuidunt in eductam ex materia, & extrinsecùs aduenientem; Mox eductam in cognoscentem, & operantem sine cognitione; Cognoscentem in iudicantem, & appetentem; Demum eam diuidunt in rationis omninò expertem, in ex se compotem rationis, & mediam, quæ ex se ratione careat, ualeat tamen audire rationem, eiq; obtemperare, ut Phantasia, eiusq; appetitus. Adeò ut facultates omnes Animæ sint duæ & uiginti, nam in primo eius gradu uigent uis nutriens, augens, & generans, quibus inseruiunt uis attrahens, retinens, concoquens alimentum, & expellens excrementa. In gradu facultatis sentientis uigent extrinsecùs quinque sensus; intrinsecùs uerò tres, nimirùm Sensus communis, Phantasia, & Memoria; insuper appetitus Concupiscendi, & Irascendi. In gradu Mentis resident Mens potestate, Mens agens, Voluntas, & selectio.

Anima per metaphoram. Propriè.

Diuisiones ex sententia Academicorum. 2. diuisio in animā utentē, & Formantē.

3. Diuisio in progressam & manentem. Diuisiones Peripateticæ.

Duæ & uiginti facultates Animæ.

Demùm ex Mente, Phantasia, & Appetitu consurgit uis mouens secundum Locum.

DEFINITIONES.

VT de essentia Animæ variæ Veterum fuêre sententiæ, ita variæ eius circunferuntur definitiones. Et neglecta eorum fatua opinione, qui Animam putârunt esse, vel accidens, vel corpus; supposito quòd sit substãtia, corporis expers, vt vnà cum Pythagora, Socrate, & Platone, norunt Peripatetici; definitiones tra-
Pythagoras. dam, quæ eius conditioni congruere aptæ sunt. Pythagoras more suo cuncta in numeros resoluens, Animam dixit esse numerum se mouentem. Qua definitione mox vsus est Philolaus eius discipulus; ex quo eam desumpsit Plato, retulitq; in Phædro, & decimo de Legibus, eandem mox latiùs Academicorum nonnulli explicantes dixerunt, Animam esse substantiã præditam facultate; per quam moueatur ex se, & cętera moueat. Insuper ex sententia Pythagoræ describitur à Plat. in Timæo, quòd sit numerus harmonicus ex unitate, binario, terna-
Porphyrius. rioq; conflatus. Porphyrius in lib. de occasionibus dixit, Animam esse essentiã non extensam, expertem materiæ, ex se vita pręditam & consimile esse possidẽtem. Academicorum alij aiunt Animam esse substãtiam incorpoream, rationis compotem, participem Mentis, corporeq; vtentem. Nonnulli inquiunt eam esse spiritum, cuius agitatione & vi corpus animatum, aut vegetatur, aut sentit
Galenus. aut ratiocinatur, aut mouetur. Ex sententia Galeni Anima est temperamentum proprium eorum corporum, quæ uita sunt prædita. A' quibusdam definitur, quòd sit spiritus per corpora diffusus, tribuens eis viuere, & operari. Aristoteles
Arist. in secundo de Anima duas dedit animæ definitiones. Prima est, quòd sit perfectio prima corporis physici, potentia vitam habentis, siue (quod idem est) Organici, quæ definitio est tanquam conclusio explicans quid sit. Altera explicans propter quid, & principium primæ, est, Anima est primum vitæ Principium, quæ distinctiùs explicatur dicendo, Anima est principium primum nu-
Ostensio. triendi, sentiendi, mouendi, & intelligendi. Ex his hæc formatur ostensio, Omne primum uitæ principium est prima perfectio corporis Physici organici: Anima est primum uitæ Principium, quare est prima perfectio corporis Physici organici. Hæc est definitio competens omni gradui animę viuentium mortaliũ, ex qua elici possunt definitiones singulorum graduum eius, veluti Vis nutriens
Nutriens. est primus Animæ gradus, cuius munere corpora viuunt, & conspirante alimento nutriuntur, crescunt, & similia generant. Vis sentiens est secundus A-
Sentiens. nimæ gradus, Animalia constituens, primumq; principium extrinsecùs primò, mox intrinsecus sensibilia iudicandi, seruandi per memoriam, appetendi, & mouendi per Phantasiam, & appetitum. Anima rationis compos est tertius Ani
Rationis compos. mę gradus, hominem constituens, Primumq; Principium, cuius munere homo ratiocinatur, intelligit, vult, & liberè mouetur, conspirante Phantasia, & ap-
D. Augustinus. petitu. D. August. lib. de animæ quantitate ait, Animam esse substantiam
Moses. rationis parcipem, regendo corpori accommodatam. A Mose Gen. primo dicitur Spiritus uitæ, ad imaginem Dei creatus corporiq; humano inspiratus.

ANNOTATIONES.

Primum. Anima & Mēs secernuntur.

QVæritur definitio Animæ mortalium vniuersè sumpta. Pro cuius notitia confidero primò, Animam à Mente secerni, quia Mens supera respicit, nimirùm intelligibilia, nec dicitur esse alterius, sed liberior est; Anima verò contra, respicit infera, nimirùm corpus, & dicitur esse alterius; ideò definienda est per id cuius est, & per opera eius.

Secūdum. Anima et Mens in idem uenire possunt.

Considero secundò, quòd quamuis Animæ & Mentis distincta sit ratio, nil tamen prohibet, quia eadem ob variam relationem, & Anima, & Mens nuncupetur, veluti motores cęlestium orbium vt mouent, nuncupantur motores, vt orbi assistunt, & modo aliquo ei vitam impartiuntur, dicuntur Animæ Cęlorum; Absolutè tamen vt intelligentes, & volentes dicuntur Mentes liberæ, & à materia solutæ.

Tertium. Anima, non ualet exactè definiri.

Tertiò considero, Animæ vniuersè sumptæ exactam definitionem competere non posse. Primò quia non est species vltima, sed commune genus; nec etiam propriè genus Pręedicamenti substantiæ, sed principium generis, nimirùm corporis viuentis. Insuper non est commune vniuocum, sed ab uno, cui solùm adumbrata definitio competere valet. Et cum sit principium, & simplex forma, non valet per definitionem in sua principia propriè resolui. Et cum non species sit, sed principium vt dixi; ideò ut indagetur per diuisionem eius descriptio, non est diuidenda substantia in species, sed resoluenda in principia, quod accuratè seruauit Aristoteles, qui substantiam resoluit, in actum & Potentiam, mox actum in primum & secundum.

Quartum.

Considero quartò, quòd quamuis definiatur Anima mortalium vniuersè sumpta, includens etiam Mentem hominis, ut particulam eius, Aristoteles tamen in lib. de Anima præsertim id inspexit, quod magis ad Physicum pertinet, & in Natura est. Mentem autem absolutè, quatenus Mens est, non considerauit, cum iam in primo de partibus animalium ostendisset, non esse Physicæ considerationis.

Quintum. Definituri Animam quatuor inspexere.

Cōsidero quintò, Veteres definituros Animam, quatuor præsertim inspexisse, primò quòd esset vel incorporeum quid, uel tenue corpus, secundò quòd esset initium motus, tertiò cognitionis, quartò cum Pythagora conditionem eius Geometricam, uel Arithmeticam. Ideò per aliquid horum eam circumscripserunt.

Sextum. ἐντελέχεια.

His assumptis, considero sextò, quòd Anima ab Aristotele dicitur actus græcè ἐντελέχεια, quæ vox non denotat perennē motū, ut minus rectè interpretatus est Cicero, sed perfectionē, siue perfectionis cōprehēsionē, qua uoce frequēter usus est Arist. pro denotādo quouis actu formali, diuidēte id quod est, cōtradistincto à potētia denotante materiā. Hinc sub initio tertij Physicorū diuidens ea quæ sunt, inquit, quædam esse entelechia, hoc est actu, alia potestate, mox ea quæ sunt entelechia, distribuit in decem prædicamenta, & id ipsum frequenter alibi indicat.

Error Portij.

Insuper cum denotet uniuersè actum quemlibet, proptereà Simon Portius in libro suo de humana Mente inquiens, uocem illam solùm denotare actum materiatum, & mortalem, & per eam uocem Ari. denotasse humanam Mentem esse mortalem, cōspicuè allucinatur. Nam Ari. in 12. Met. cont. 49. Deum appellat entelechiam primam. Iure itaq; Ari. definiens animam, quę est principium uiuentium, loco generis eius sumpsit actum, quod est principium simplicius & prius, sub quo anima, & forma omnis continetur, quod contraxit per sequentes differentias.

Septimū. Anima est actus & potentia.

Prætereà 7. considerandum, quòd anima relata ad uaria, cùm actus, tùm potentia dici potest, ueluti sensus & Mēs

dum,

dum,ad obiectum referuntur, dicuntur esse potestate,& nihil actu; dum uerò referuntur ad corpus uiuẽs,dicuntur actus & perfectio eius. Et quamuis actus sit genus ualdè remotum,redditur tamen proximum per differentias, quæ adduntur.Sententia est Arist.in calce 8.Met.quod ens,& unum nõ sumuntur, in definitionibus,cum sint communia cunctis;actus tamen, ut contradistinctus à potentia,accipi potest,cum non adeò sit communis, & præsertim in definitionibus non exactis & exquisitis. Considerandum octauò, cum addatur primus, quæ uox denotat ordinem, quòd esse actum primum contingit quatuor modis.Primò absolutè,ita solus Deus est actus primus ex 12.Met.49. Secundò origine,comparando inuicem gradus animæ; ac ita anima nutriens est actus primus,& potest seruari sine alijs,ut dicitur in 2.de anima.Tertiò dignitate, uelut humana Mens est particula prima animæ. Quartò,comparando actum primum,qui est forma,cum secundò,qui est operatio; qua comparatione omnis animæ gradus est actus primus,ut dicitur in animæ definitiõe. Qui actus primus non euertitur,sed perficitur per secundum,& seruatur cum eo. Et quamuis anima nutriens continenter usq; in finẽ uitæ operetur; non propterea est operatio illa,Sed principium eius,anima autem operans est congregatũ ex actu primo ,& secundo; Et longè recedunt à vero,qui putant actum secundum esse animam operantẽ,sola enim operatio vt incisio,visio, & cõtemplatio est actus secundus , vt varijs exemplis patefacit Arist. Animaduertendum nonò quòd Arist.pro genere animæ potiùs sumpsit actum,quàm formam.Ratio prima est, quia sic explicat quid sit forma. Altera est,vt eorum sententiam euertat,qui in quiunt animam esse motionem & operationem, quæ est actus secundus; nam diuisio in primum & secundum competit actui non formæ. Tertia, vt simul denotet eam esse principium secundi actus,nimirùm operationis. Quartò est, vt anima distinguatur à separatis mentibus, quarum actus secundus non distinguitur à primo nisi ratione loquendo de actu intelligendi, nam intelligunt per essentiam ex opinione Arist.Decimo loco considerandum,quòd cum actus dicatur alterius actus, & perfectio;actus varij variorum sunt actus,vt Lumen est actus perspicui,scientia,Ars,& Prudentia Mentis. Pro distinctione ab istis Anima dicitur actus corporis,ac ita forma per propriam materiam, & perfectio per id cuius est perfectio definitur:& definitio redditur Physica,cum sit per materiam,& subiectum. Vndecimò considerandum,quòd cum corpus diuidatur in Artificiosum, Physicum, & Mathematicum, pro excludendis alijs additur Physici,nam corpus præsuppositum ab anima, est Physicum per materiam, & formã antecedentes,per animam autem ita redditur Physicum,vt etiam includat naturam Animæ.Nec debet aliquis dubitare ob Plantas,quæ per Artem Agriculturæ feruntur,coluntur,ordinantur. Plantæ enim absolutè sunt corpora Physica per naturam,ut per efficiens principale productæ:Ars autem solùm conducit,tanquàm instrumentum Naturæ, & Maga, nectens agentia per Naturam cum patientibus. Similiter non obest id,quod sapientes Aegyptiorum enunciârunt,& multi Arabes approbârunt, nimirùm posse Arte ex congruente materia,sub definitis stellarum aspectibus confici statuas,quæ animas attraherent & viuerent,quæ uidentur esse actus corporis Artificiosi,non Physici.Nam soluitur instantia.Primò,quia illæ potius erãt illusiones Dæmonum,quàm opera Artis.Secundò,quia Arist.Dæmones non nouit. Tertiò quia Dæmones in statuis non sunt actus,& perfectiones earum,constituentes compositum,sed solùm nectuntur per quandam insinuationem. Quartò,quia concessis omnibus, de illis, id esset dicendum, quod diximus de Plantis, Ars enim conspirat ut

Maga,

Octauum. Actus potest .i. dici quatuor modis.

Actus secundus nõ vertit primum.

Actus secundus est sola operatio.

Nonum. Cur per genere animæ potius actus sumatur, q; formæ?

Decimũ. Variorum varij sunt actus.

Vndecimum. Triplex corpus.

Inst. Sol.

Alia instãtia euertitur.

Maga, nectendo agentia cum patientibus: Natura autem ea est, quæ tanquã principale principium operatur. Duodecimò considerandum, quòd cùm corpora Physica sint varia, anima non sine discrimine est perfectio cuiuslibet corũ, ut perperàm putârunt multi ueteres, quorum sententiam reijcit Arist. in 2. de Anima 26. Propterea: additur potestate uitam habentis, quæ pars probabiliter potest duobus modis exponi. Primò, quòd denotet corpus, quod est pars altera uiuentis, fugens officio materiæ proximæ, quæ, ut ad eam pertinet, solùm est potestate ad uitam, quam habet; per quam potestatem refertur ad actum, qui est anima; & ex eis consurgit per se unum, nimirùm viuens, nam quamuis adsit forma, non ob id euanescit potentia, sumpta pro fundamẽto, & gradu entis. Hinc Arist. in primo Phy. 82. dixit, Materiam secundum suam potentiam non interire, in 2. & in 3. de anima cont. 8. affirmauit Mentem potestate, habitu prẹditam, adhuc esse potestate: profectò hæc expositio probabilis est. Probabiliorem tamẽ puto alteram, dicendo Aristotelem denotare, corpus viuens, conflatum ex anima & corpore, nam ex his partibus id consurgit, quod est formã totius, quæ denotatur, dum dicimus Viuens. Hoc confirmo, quia per corpus potestate vitam habens id debet intelligi, cui anima largitur esse: at ea non largitur esse materiæ sed composito, vt enunciauit Them. in secundo de Anima, & Alex. inquit materiam non egere forma vt sit, sed vt actu subsistat. Hinc Arist. in cont. 10. secundi de anima explicans hanc particulam, dixit non est autem potestate vitam habens, quod caret anima: sed quod eam habet; semen autem est potestate tale corpus. Et quamuis ea sit prædìtum, tamen dicitur potestate vitam habere, tum quia semper cum potestate nectitur ratione recipientis; tum insuper quia seruat semper relationem ad actum secundum, cuius producendi facultatem includit etiam dum operatur. Et confirmatur hæc expositio per Aristotelem dicẽtem, potestate vitam habens, esse id quod est Organicum. Pro cuius explicatione decimotertiò, considerandum est, quid sit esse corpus Physicum organicum. Organum, ut instituto inseruit, est pars corporis viuentis, conflata ex partibus dissimilibus, prædita facultate fungendi officio aliquo facultatum animæ. Dicitur autem prædita facultate, quia, vt sæpè monet Arist. oculus defuncti æquiuocè oculus est, similiter & manus vt patet ex 7. Mat. & ex calce 4. Meteorum, & quia vocẽ æquiuoca non debemus uti in definitionibus, ideò per organum in animæ definitione intelligere id debemus, quod uita est præditum: & ob id Arist. loco potiùs uitam habentis, & pro eius explicatione sumpsit Organicum. Et iure id sumpsit, quia dicendo organicum, conspicuè denotamus facultatem ad obeundum munus suum: & cum uox una explicet alteram, ideò Arist. in referenda animæ definitione, numquam retulit simul ultrãq; uocem, sed modò unam, modò alteram. Præsertim tamen accipit organicum, quia explicant potẽtia viuẽs. Hinc errãt: putãtes sumendas esse utrasq;, pro integra animę definitione; cum enim reciprocentur, sat est ut accipiatur una, nã in secundo post: nos docet Philosophus definitioni imponendum esse finem statim, quòd ea reciprocatur cum definito. Decimo quartò considerandum, quòd quamuis Anima dicatur esse actus corporis organici; non ob id quæuis pars debet esse organica, veluti caro, & nerui dicuntur corpora similium partium destituta organo, non enim pori constituunt organa, sed varietas partium: & sat est, vt corpus vniuersum organicum sit: id enim est totum quod ab anima perficitur. Insuper sat est, ut materia proxima Animæ organa includat. Nam primus materię gradus est prima materia. Secundus Elementa. Tertius mixta consimilia. Quartus instrumenta: & hęc sunt proxima Animæ materia. Decimo quintò considerandum,

12. Anima non est perfectio cuiuslibet corporis.

Expositio potior.

13. Organum quid.

14. Non quæuis pars corporis uiuentis debet esse organica.

Quatuor grad' materiæ.

15.

Definitio animæ cōpetit etiā Menti.

randum, quòd quamuis humana Mens careat proprio corporeo organo, tamē definitio ad eam quoq; extenditur. Quoniam consideratur tanquam particula animæ; & definitur anima ut totum quoddam, relatum ad corpus; & propterea vt ex vna parte consideratur id totum quod perficitur, ita ex altera considerari debet totum perficiens, quamuis non pro omni facultate egeat proprio organo. Præterea ex sententia Arist. falsa tamen, Mens non format, sed assistit humano corpori; ac ita per assistentiam est actus vniuersi corporis organici: & omnia organa per intermedias alias facultates ei inseruiunt, quamuis proximè nullo vtatur. De ea enim licet enunciare, quòd maximè sit organica, cum tamen
16. organo proprio non egeat. Decimo sextò considerandum, Sententiam Pythagoræ de Anima, à varijs vario modo referri. Ait Cicero in primo de Natura Deorum, putasse Pythagoram Deum esse Animum per naturam rerum omnium intentum & commeantem, ex quo nostri Animi caperentur. Mercurius in Pimandro inquit, Ab una Totius Mundi Anima effluere animas omnes, per mundum distributas. Nec defuêre, qui putârint Deum esse animam Mundi; cæteras autem esse participationes eius. Cui simile est illud Orphei, Mundus est plenus Dijs; & aliud à Lucano prolatum, Iupiter est quodcunq; uides, quodcunq; mouetur. Plato tamen in Timæo, sequens Pythagoram, longè

Opinio Pythagoræ de Anima.

17. secùs sententiam Pythagoræ explicauit. Considero decimoseptimo, Nonnullos putare animam esse definendam, quòd sit spiritus, cuius agitatione, & ui corpus animatum aut vegetatur, aut sentit alia ve opera vitæ præstat id ipsum, cui inhabitat anima. Quæ definitio varia includit cum uero pugnantia, nam dum dicitur spiritus; si intelligimus spiritus animantium, illi sunt corpus; si intelligimus substantiam incorpoream, id propriè dicitur solùm de anima rationis compote, non de alijs. Insuper non rectè dicitur, quòd anima sui agitatione corpus vegetet: &c. non enim in uiuente agitatur anima, & sui agitatione tribuit corpori, ut operetur. Similiter non rectè dicitur animam habitare in corpore, & præsertim animam Plantarum; at eam missam faciamus.

Definitio data à Nōnullis reijcitur.

NATV-

NATVRA.

SIGNIFICATIONES NOMINIS Naturæ & distinctiones.

NATVRAE conditio est, vt sit essentia rerum, Naturâ constantium, & Principium internum naturalium operationũ earum. Nominis Naturæ significationes variæ sunt. Nam primò dicitur de cęlesti corpore, quod simplex est, & procliue ad motum in orbem. Mox descendendo ad mortalia dicitur de materia prima. Tertiò dicitur de Materia proxima, quatenus dirigitur ad sequẽtem formam, ut ait Arist. in 5. Metaphysicæ. Quartò dicitur de forma rerum, Naturâ constantium ex materia pendente. Quintò de priuatione & præsertim dum vsurpatur pro contrario deteriore, vt dicitur ex 2. Phy. cont. 14. Sextò dicitur de composito, quòd quamuis propriè dicatur naturâ constare, tamen quia primum, quod eius nomine denotatur, est forma, ideo illud & natura dicitur, vt elicitur ex 2. Phy. cõt. 11. Septimò dicitur de generatione cuius terminus ad quẽ est forma corporis Physici, à qua sumitur nomen, vt dicitur in secundo Phy. Octauò dicitur de instrumentis à Natura pro generatione paratis, & pręsertim de eo fęminæ. Nonò extenditur naturæ nomen ad denotandam cuiuslibet rei essentiam, ut legitur in quinto Met. Decimò dicitur de rerum proprietate connexa cum essentia, & eam sequente, sic Cicero scripsit libros de Natura Deorum. Vndecimò vsurpatur Naturæ nomen apud Academicos, pro facultate seminaria, à Mundi anima infusa materiæ, de qua Plotinus Enn. secunda lib. 2. cap. primo enunciauit id ipsum Naturam esse, quod ab Anima Vniuersi est ordinatum. Duodecimò dicitur de supera & Diuina Mente, quæ Naturæ est caput, & Natura melior nuncupatur, de qua Ouidius,

Hanc Deus & melior litem Natura diremit. Decimo tertiò dicitur de communi, & vniuersa serie causarum, secundum Naturam operantium, quæ à Poëtis Pan dicitur; de qua legitur in primo de cęlo. 31. Deum & Naturam nil frustrà facere, & in 3. de Cęlo 24. dicitur, ordinem esse Naturam propriam eorũ, quæ sub sensum cadunt. Cum tot modis usurpetur Naturæ nomen; propriè tamen ex sententia Aristotelis Natura est forma rerum, naturâ constantium, ex materia pendens, finisq; generationis; & secundariò materia, in qua significatione quæretur eius definitio.

Conditio Naturæ. — Natura 1. dicitur de corpore cœlesti. — De prima Naturæ. — De materia proxima. — De forma materiata. — De priuatione. — De composito. — De generatione. — De instrumentis generationis. — De quauis essentia. — De proprietate. — De ui seminaria. — De super Mente. — De communium causarũ serie.

Vt variæ apparuêre significationes nominis Naturæ, ita uariæ se offerunt distinctiones. Nam primò diuidi potest in Naturam æternorum, & Naturam mortalium. Secundò in Naturam communem, qualis est prima mortalium materia, & Naturam propriam singulorum, & est propria eorum forma. Tertiò in Naturã uniuersalem, qualis est series communium causarum, & Naturã particularem singulorum ex ea pendentem. Quartò diuiditur. Natura in eam pressiùs sumptam, ut contradistinguitur ab anima, de qua dicimus motum ex Natura pendentẽ in fine reddi uelociorem, & in Naturam latiùs sumptam, includentem etiam animam, ex materia pendentem; nam Mens hominis supra naturam est. Quintò in Naturam efficientem, qualis est forma, & patientem

Natura æternorũ & mortalium. — Cõmunis & ppria. — Vniuersalis & particularis. — Infra animã & ad eam extensam. — Efficiẽs & patiens.

qualis

Melior & deterior.

Naturans & Naturata. Explicatio. quartum.

Operans secundum se, & ex accidenti. Simplicium & compositorum.

qualis est materia, siue quod idem est, in naturam actus, & naturam potestatis. Sextò diuidi potest in Naturam Meliorem, qualis est supera Mens, caput ordinis, & Naturam deteriorem, ex superis pendentem. Septimò diuiditur à Boëtio in lib. de consolatione Philosophica, nec non ab Auer. in proœmio lib. de cęlo in Naturam naturantem, & Naturam Naturatam; quæ diuisio ob quatuor comparationes, quatuor modis explicari potest. Nam primò comparando Deum cum corporeo Mundo, Deus est Natura naturans, Mundus verò naturata; Secundò comparando cęlum cum mortalium orbe; id Naturans, hic verò est Natura Naturata; Tertiò comparando principia, & præsertim Formam, eū Composito, ea est naturans; hoc verò naturatum, Quartò comparando communem causarum seriem, quæ dicebatur natura vniuersalis cum pendentibus ex ea; illa Naturans, hæc naturata dici possunt. Octauò diuiditur in operantem secundum se, & absoluiè Natura dicitur, & operantem ex accidenti, & dicitur casus, ut Mens ex accidenti operans dicitur fortuna. Nonò in Naturam simplicium, qualis est ea quatuor Elementorum, & Naturam constitutorum ex simplicibus. Demùm in Naturam genericam, vt Animalis, specificam ut ea Hominis, & indiuiduam ut ea Cæsaris & Alcibiadis.

DEFINITIONES

Natura.

Stoici.

STOICI (referente Diogene Laërtio) Naturam definiebant, quòd esset habitus, ex seipso motum accipiens, iuxta seminariam rationem efficiensq;, & continens, quæ ex ipsa constant, statutis temporibus. Insuper quia Stoici materiam, quam putârunt essentiam rerum dixerunt ignem (referente Cicerone in 2. de Natura Deorum) eandem Naturam definientes dixêre esse ignem artificiosum, ad gignendum congruente via progredientem: Ita enim eam definiit Zeno. Seneca tamen Stoicorum asecla, in Secundo de beneficijs dixit, Natura est Deus diuinaq; ratio, toti Mundo, & partibus eius inserta. D. Augustinus Naturam definiens dixit, esse uim & potestatem insitam rebus creatis, quæ vnicuiq; suum esse tribuit, qua dum quid bene utitur, bonum est, dum uerò male malum. Epicurus (referente Cicerone in 2. de Natura Deorum) dixit, Naturam omnium, quæ sunt, esse corpora, & inane, quæq; his accidunt. Academici Naturam definientes dixêre esse Vim seminariam, à Mundi anima insulam materiæ. Nam ex eorum sententia Natura infra animam est posita. Insuper ex eorundem sententia definitur, quòd sit uita postrema, includens semina rerum, Naturâ constantium; nam uita suprema ad Mentem putârunt pertinere, mediā ad Animam, infimam ad Naturam. Et dicitur vita, quatenus iunctam habet motionem quandam, & propensionem per semina ad Idearum imitationem. At cæteris silentio decursis, ex sententia Arist. in 2. Phy. definitur, quod sit Principium & causa, vt res moueantur & quiescant, in quibus est primò, secundum se, & non ex accidenti. In primò de cęlo cont. 5. breuiùs definitur, quòd sit Principium, quo corpora Physica mouentur. Et in 5. Met. cont. 5. definitur, quòd sit substantia, quæ est Principium motus eorum, in quibus est, quatenus talia. Philop. putauit definitionem traditam in 2. Phy. esse diminutam, cupiensq; eā perficere, dixit Naturam esse virtutem, quæ per corpora effunditur, ea formantem & gubernantem; ac Principium, quo res, in qua est, moueatur & quiescat

Zeno. Seneca. D. Aug. Epicurus. Academici. Natura, cur dicatur uita? Arist. Philop.

primò,

primò secundum se, & non ex accidenti. Putarem ego cum Arist. in quinto Met. Naturam esse definiendam, quòd sit substantia rerum, naturâ constantiũ, per quam ea ut talia sunt, secundum naturam mouentur. *Exactior definitio.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò conditiones præcipuas Naturæ duas esse. Vnam, ut sit essentia corporum, naturâ constantium. Alteram, ut sit internum principium Physicarum operationum, præsertim efficiens, secundariò patiens. Per primam conditionem propriè attinet ad Metaph. hinc Arist. in quinto Metaph. eam explicauit; Per alteram uerò propriè ad Physicum, hinc Arist. in 2. Phy. prætermissa prima, id retulit, quòd pertinet ad secundam conditionem. Vt uerò pertinet ad primam conditionem, rectè D. Aug. in principio secundi lib. de moribus Manichæorum ait, Veteres essentiam & substantiam rerum Naturæ nomine nuncupasse. Insuper considero institutum Arist. in 2. Phy. fuisse definire naturâ mortalium, communem formæ & materiæ, ut ex ea etiam refulgeat natura Cœlorum. Et quoniam huiusmodi natura est Principium, quod refulget ex operibus, & est commune ab vno, adeò vt sit notio tenuis; ideò iure per opera definitur, & per ea, quæ ab vno sunt, non vniuoca: supponendò tamẽ (vt dixi) id quod protulit in 5. Met. Ex quo elicio primò, nõ iure Plotinũ carpsisse eam, quia non explicat quid natura sit, sed quæ sint eius operatum opera patefaciunt principium, quod explicatur, dũ dicitur quòd sit substantia & Principium. Elicio Secundò, minus rectè Philoponum putasse definitionem esse perficiendam, addendo quòd sit vis, quæ per corpora diffunditur eorum formatrix & gubernatrix, cum enim institutum Arist. sit tradere definitionem Naturę, dictæ de forma & materia, vt ipse quoq; fatetur. Per verba, quæ addit, eam contrahit ad formam, adeò vt simul & Arist. & sibi met aduersetur. Demùm animaduertendum est, hoc in loco non explicari definitionem Naturæ & alia multa ad eam pertinentia, quoniam diffusè id feci in explicatione secundi lib. Phy. Similiter etiam Naturæ leges cumulatè retuli in explicatione decem graduum Ciuilis Philosophię.

Duæ præcipuæ conditiones Naturæ.

In 2. Phy. definitur Natura mortaliũ.

Primum quod elicitur contra Plot.

Cõtra Philop.

in Throno sedentes, nuncupatas Parcas, vestibus albis, & capite coronato, quarum nomina sunt Lachesis, Clotho, & Atropos, quæ ad Syrenum harmoniam canant, Lachesis præterita, Clotho præsentia, Atropos futura. Alij Parcas non aiunt filias Fati, sed idem esse cum Fato, quatenus præseferunt, & indicant seriem causarum. At parùm refert: nam dici possunt filiæ, quia sunt facultates, quibus absoluuntur opera Fati, Principium medium & finem patefacientes, de quibus legitur, Clotho Colum retinet, Lachesis net, Atropos occat. Martianus Capella Parcas nuncupat, Scribas superum, ac Librarias, nam veteres trium Parcarum vnam loqui dicebant, alteram Scribere, Tertiam fila ducere. Non desunt, qui putantes Parcas esse idem cum Fato, vt indicarent includere causarum ordinem, dixerunt Clothon denotare septem Planetas, Lachesim res sub Luna positas, Atropon verò inerrantem Sphæram. Marsil. Ficinus censuit tres Parcas denotari tria numina, nimirùm Vestam, Mineruam, & Martiam, siue Martem. Alij nomina Parcarum hæc esse aiunt, Nonam, Decimam, Mortam; Nonam & Decimam aiunt denotare numerum mensium & Tempus Pariendi. Nuncupantur Parcæ, vel à contrario sensu, quia nemini parcant, vel à pariendo vt censet Varro apud Gellium lib. 3. vel vt ego puto, quia nemo est sua sorte cōtentus: ideò Parcæ, hoc est, auaræ dicuntur; Fatum autem à fando dictum est, quasi Enunciatum, Effatum, Mandatum, & Ordinatum.

Altera opinio. *Martianus Capella.* *Marsilius Ficinus.* *Cur dicantur Parcę.*

DEFINITIONES FATI.

FATVM ex sententia Stoicorum est dictum, determinatumq; diuinitùs. Insuper est fors unicuiq; definita. Chrysippus dixit, Fatum est sempiterna, & indeclinabilis rerum series, & catena, se se voluens & implicans, per æternos consequentiæ ordines, è quibus connexa est. Insuper ex eorundem Stoicorum sententia definitur, quòd sit necessitas desuper rebus illata, vel necessitas ex corporatarum causarum conspiratione rebus illata. Insuper dicitur series iuncta, nulla mutabilis ope, alligans ac trahens cuncta. Apuleius Fatum dixit esse diuinam Legem. Plotinus in lib. de Fato cap. 2. ex Astronomorum sententia Fatum definiens, ait esse Mundi ambitum, cuncta complectentem, motuq; singula facientem, atque habitibus, cōfigurationibusq; stellarum tàm erantiū, quàm non errantium mutuis peragentem; Vel esse dispositionem ex actione cęlestium orbium in rebus inferioribus immobiliter derelictum. Alij cum Stoicis dicunt, Fatum esse ordinem causarum à prima ad postremam necessaria connexione procedentem. Plutarchus in lib. de Placitis, ex Chrysippi sententia Fatum definit, quòd sit vis spiritalis, quadam ratione, Vniuersum constituens, seriesq; causarum cuncta gubernans, ex qua cuncta causam ducerent. Cicero in lib. 1. de diuinatione inquit, Fatum est ordo, seriesq; causarum, cū causa causæ nexa, rem ex se gignat, ea autem (ex Possidonij sententia) est ex omni æternitate fluēs veritas sempiterna. Boetius in 4. de consolatione dixit, Fatum est inhęrens rebus mobilibus dispositio, per quā Prouidentia suis quęq; nectit ordinibus. Alij aiūt, Fatum est cōmunis Prouidentiæ proles, imagoq; absolutissima, in Mūdo, eiusq; partibus impressa, continēs omnia secūdis causis subiecta; atq; suis quæq; nectēs ordinibus. Alij dixêre, Fatum esse voluntatem, Potestatemq; Dei per mortalem orbē effusam: de qua definitione loquēs D. Aug. in 5. de Ciuitate Dei c. 1. inquit, si quis voluntatē vel Potestatē Dei, nomine Fati appellat, sententiā teneat, linguā

Stoici. *Chrysipp.* *Apuleius.* *Plotinus.* *Plutarch.* *Cicero.* *Boetius.* *D. Aug.*

Definitio potior.

corrigat Ego putãs ex sentẽtia Arist. Fatũ à Natura sola ratione distingui, ita definiendũ putarẽ, Fatũ est series, Dei Prouidentiã caussis secundũ Naturã operãtib. inserta, qua opera natura, nisi quid prohibeat, in definitũ finẽ perducũtur.

ANNOTATIONES.

Sex capita opinionũ.

ATTINENTIA ad fatum in pauca, perstringens, considero primò opiniones de Fato in sex capita redigi posse. Primum est, quòd sit Potentia, & Virtus Dei, per vniuersum effusa, vt approbauit D. Aug. Alterum, quod sit series & ordo cunctarum causarum, includens primum tanquam caput. Tertium, quòd sit Ordo non omnium, sed corporatarum causarum. Quartum, quòd sit reuolutio, & constitutio Cęlestium corporum, & Stellarum, vt aiunt Astronomi. Quintum, quòd sit Natura mortalium adeò vt cęlum non Fatum sit, sed Principium, & causa Fati, vt censuit Alex. in lib. de Fato cap. 3. & 4. Sextum, quòd sit uniuersa rerum materia, quam solam veteres putárunt Naturam. Considero Secundò ex sententia Arist. Fatum in idem venire cum Natura, & sola ratione secerni. Quod elicio ex 5. Phy. 57. quo loci ostensurus Philosophus dari generationes violentas, & non secundum Naturam inquit, sunt igitur & generationes quædam violentæ, & non Fato determinatę; at si quod nõ fit Fato, non fit Natura; omne, quod fit natura, necessariò fiet Fato. Vtitur eo in loco Philosophus proprio Fati nomine, quòd est *εἱμαρμένη*. Fati etiam mentionem fecit in secundo de cęlo cont. 6. inquiens, sed necesse Ixionis cuiusdam Fatum detinere ipsum sempiternum, quo loci Fatum Parcarum nomine *Μοῖραν* appellauit. Cõsidero tertiò, quòd in calce libri de Mundo ad Alexãdrũ, varia de Fato dicuntur, & præter cætera legitur, Deum nominibus uarijs denotari, dici Necessitatem eo quòd Natura quædam sit immobilis, Dici *εἱμαρμένην*, hoc est Fatum, à serie rerum conserta, inoffensoq; tenori procedente, & *μοῖραν*, idest, sortem à partitione rerum. Insuper dici Nemesis quasi potestatem diuinam, eius quod visum est cuiq; distributricem, Adrastiam etiam, quasi causam quandam Naturã cõparatam, quam fallere nemo queat, aut uitare. Cicero referens opinionem Arist. hanc ei tribuit, quod minùs rectè fecisse puto, tum quia liber de Mundo, falsò adscribitur Aristoteli, tum insuper quia longè secùs de Fato Arist. sensit, vt patuit. Quartò considero, quòd quamuis ex sententia Arist. Fatum & Natura pro absoluto sint idem, tamen distinguuntur ratione, & ratio Fati antecedit; denotat enim ordinem, ex primo prodeuntem & ob id nõ recedentes ab Aristotele, dicere ualemus, Primò considerari Deum, Secundò Prouidentiam, Tertiò Fatum, Quartò Naturam. Quintò considero perperàm nonnullos obiecisse Arist. quòd de Fato non fuerit loquutus. Nam cum Arist. in 12. Metaph. declarauerit attinentia ad ordinem uniuersi, cuius Princeps est Deus, & in 2. Phy. verba fecerit de natura, explicauit proprijs in locis cuncta ad Fati notitiam attinentia, non permiscendo Physica cum Metaphysicis. Sextò considero, quòd cum Fatum & Natura sint idem; & quæ eueniunt naturã, non semper necessariò fiant, sed impediri possent; etiam quæ eueniunt Fato, varietati & contingentiæ esse obnoxia. Seruant quidẽ consimilitudinẽ in specie, & ut plurimùm: at in indiuiduis nonnunquã uariantur; & quemadmodũ præter naturã, ita præter Fatũ varia eueniũt, ut rectè de morte Didonis cecinit Vergilius,

Fatum & natura idem.

Cicero.

Factum et Natura distinguuntur ratione.

Perperàm à nonnullis Arist. corripitur.

Quæ Fato fiunt, non absolutè sũt necess.

Verg.

Sed quia nec Fato, merita nec morte peribat, Septimò considerandum est, quòd cum Fatũ apud uarios modo uario vsurpetur, si nomine Fati intelligimus

vel

uel Dei potestatem, ut dixit D. Augustinus, uel Naturam, ut censuit Arist. nil includens, quod decretis nostrorum Theologorum aduersetur. At si intelligamus cum Stoicis necessitatem, desuper absolutè illatam; vel cum Astronomis Fatum Sydereum; uel cum uetustioribus necessitatem cunctorum; ex materia prodeuntem, reijciendum est, & negligendum. Considero octauò iure quæri posse ad quod genus causæ Fatum redigatur? Veteres id redigebant ad materiam, ut patuit. Alex. in lib. de Fato id redigit ad causam efficientem, ad quam Arist. in 2. Phy. redigit Casum & Fortunam: Puto ego dicendum redigi ad utramq;: cum enim in idem ueniat cum Natura, & hæc sit forma, & materia, iure etiam Fatum redigetur ad formam, quę efficiens est, & materiam: de forma hoc patet; de materia ostenditur. Nam imbecillitates, interitus, senium, sequuntur conditionem materiæ, & nobis lege naturæ ac Fato competere dicuntur, ut in quinto Phy. patefecit Arist. Considero nonò, quòd quæri solet, quæ nam sint ea, quæ subijciuntur Fato? Cui difficultati per opiniones uarias, uario modo respondendum est. Nonnulli cuncta subiecēre Fato. Alij non omnia, sed collocata sub Cælo, ideò enunciatum legitur à termaximo Mercurio, Nil reperiri in Terris, cui non respondeat in cælis signum excitans id ad sui perfectionem. At pretermissis alijs, dicamus cum Arist. quæcunque subijciuntur Naturæ, ut ei subijciuntur, etiam subijci Fato, adeò ut in Vniuerso quædam sint supra Fatum; alia constituant ordinem Fati; nonnulla Fato subijciuntur. Supra Fatum, & naturam sunt ea omnia, quæ ex materia non pendent, qualis sub cęlo est Mens hominis, quæ per Arist. in 1. de partibus, non est Natura. Fati & Naturæ ordinem constituunt cęlestia corpora, nec non materia, & materiatæ formæ, quæ Naturæ dicuntur: Cęlestia tamen corpora commune Fatum constituere dicuntur, reliqua magis proprium. Fato autem subijciuntur composita ex his & prodeuntia ex Principijs compositorum. Ex quo patet, quomodo anima subijciatur Fato, sit Fatum, & supra Fatum. Nam Mens hominis secundum essentiam est supra Fatum; similiter secundum operationem, dum sequitur rationem rectam: at dum inebriata sensuum illecebris, appetitum sensuum sequitur, se Fato, subijcit, cum sequatur materiatæ naturæ propensiones. Anima autem nutriens & sentiens, cum sint Naturæ, etiam Naturę & Fati ordinem constituunt, & secundum operationem dicuntur subijci Fato, dum suæ conditionis & Naturæ propensionem sequuntur: dicuntur tamen nonnunquam eleuari supra Fatum & conditionem suam, dum ratione corriguntur & diriguntur, ut de homini Phantasia dixit Arist. in 3. de anima 57. Et hoc etiam in parte competit animæ iumentorum, quæ ob uarias assuetudines & educationes nonnunquam secùs operantur, ac faciant instinctu naturæ, quod rectè considerauit etiam Simpl. in Epictetum. Verùm differunt, quia homo id ualet efficere ratione propria; iumenta autem & feræ ratione educantis & instituentis. Colligamus cum D. Augustino, solùm Fatuos approbare Fatum Stoicum, & Mathematicum; nos autem ea sola approbemus, quæ decretis nostrorum Theologorum sunt consentanea.

Dubita. ad quod genus causæ Fatum redigatur?

Subiecta Fato.

Mercurius termaximus.

Supra Fatum in eius serie et sub eo.

Anima quomodo se habet ad Fatũ?

PROVIDENTIA DIVISIONES.

Triplex Prouidentia. Diuina. Humana. Physica. Prouidentia antecedens, & sequens. Secundum se, ex accidenti, & media.

PROVIDENTIA triplex est, Vna Diuina supra rationem, Altera humana cum ratione iuncta, Tertia Physica, infra rationem propriam collocata, refulgens in instinctu naturæ, ex diuina Prouidentia pendente, per quam formicæ grana colligunt pro futura hyeme, & Grues mutant regionem. Secundò diuiditur in antecedentem, quæ propriè Prouidentia est, per quam media pro fine rectè disponuntur, & in sequentem, quæ est dum male prouisa, & ordinata corriguntur, vt dum Paries male erectus, suppositis lignis detinetur, ne ruat. Tertiò diuiditur ab Alexandro in 2. Nat. q. cap. 21. in tria membra. Nam quædam est Prouidentia secundum se, dum agens in gratiam alicuius, media disponit, veluti Rex pro incolumitate Populorum, & sui Regni. Altera est ex accidenti, dum operans nec noscit, nec media disponit pro aliquo, cui tamen conducat, vt dum agricolæ pro colligenda fruge semina in campos inspergunt, quæ aues comedunt, sic qui in horreis frumentum colligunt, prouident pro muribus. Tertiò datur Prouidentia media non secundum se primò, nec omninò ex euentu, sed secundum se secundariò, veluti ex Peripateticorum sententia reuoluuntur Cæli pro Mundo mortali, non quidem secundum se primò, cum sit vilior, sed secūdariò, Quartò, Prouidentia potest ad aliquid referri dupliciter, vel ob illud, vel ob aliud. Prouidentia pro vltimo fine verè est secundum se; pro ordinatis verò, est secundum aliud, veluti Prouidentia pro iumentis, & Armentis est propter aliud, nimirùm propter hominem, est enim homo finis mortalium: pro homine verò est secundum se. Addi potest membrum tertium, & est Prouidentia ob id & ob aliud, veluti dū dirigitur ad aliquid, quod cùm ex se, tùm ob aliud optabile est. Quintò, Prouidentia dicitur triplex, Originalis in Dirigente; Secundum formam in rebus directis; Et secundum finem, pro quo media disponuntur, & rectiùs tamen primum dicitur Prouidens, medium prouisio, tertium id pro quo prouidemus. Sextò Prouidentia est duplex vna certa & constans, quæ semper recta est, qualis est Prouidentia Diuina; altera inconstantię, & obliquitati obnoxia, qualis est Prouidentia humana. Septimò, diuiditur Prouidentia in Regiam, qualis est ea Regis erga populos, & Dei erga Mundum; in Seruilem, qua serui curant attinentia ad dominos; & in Prudentiam ęqualitatis, qua Amicus amico prodest. Et cum multiplex sit Prouidentia, pręsertim autem triplex prima distinctione explicata, ea & vniuersè simul, & seorsùm pro omni parte definiri potest.

Prouidentia pro fine, pro directis in eū et pro vtrisque. Prouidentia originalis secundū formam. Prouidentia semper recta, & nō semper talis. Regia, Seruilis, & Aequalitatis.

DE-

DEFINITIONES.

PROVIDENTIA vniuersè sumpta est congruens dispositio mediorum pro fine. *[Prouidentia uniuersè.]* Speusippus eam definiens dixit, quòd sit Præparatio ad futura. Prouidentia Diuina *[Diuina.]* definitur à Boëtio in 4. de consolatione, quòd sit ratio in summo omnium Principe constituta cuncta disponens. A Damasceno lib. 2. quòd sit uoluntas Dei, per quam omnia, quę sunt conuenientem deductionem recipiunt. Ab Herueo in primo sent. dist. 40. quòd sit actus Mentis disponens id, per quod assequi possit suum finem: uel quòd sit præordinatio Mentis eorũ, quæ conducunt pro assequendo fine. Quæ definitio etiam competit Prouidentiæ humanæ. Nonnulli inquiunt, Prouidentia est admirabilis series rerum, quæ in alijs nexæ, in Diuina mente simplicissimæ continentur. At prætermissa varietate definitionum, Prouidẽtiam vniuersè sumptam ita definirem, quòd *[Prouid. Vniuersè.]* sit congruens præordinatio mediorum pro assequendo fine. Prouidentiam verò diuinam *[Diuina.]* dicerem esse prædefinitionem cunctorum mediorum in Dei Mente pro eorum assequendo fine. Prouidentia humana diei potest, quòd sit con- *[Humana.]* gruens mediorum præordinatio à recta mentis ratione pro assequendo vero fine. Prouidentia uerò Physica est congruens mediorum dispositio in *[Physica.]* carentibus ratione, sequens Naturæ instinctum pro adoptione proprij finis eorum.

ANNOTATIONES.

CONsidero primò, quòd Prouidentia est de ordinatis in finem, circa quæ versatur selectio: voluntas autem respicit finem; uolumus enim finem, & pro eius adeptione disponimus media. *[Prouidentia, Voluntas.]* Insuper considero, quòd Prouidentia necessarium habet nexum cũ *[Prouidentia nexu cũ Prudentia.]* Pruidentia: hinc vt prouidentia ita Prudentia est triplex, una eminens & Diuina, altera humana, tertia Physica. Prudentia tamen est latior: nam Prouidentia solùm est futurorum, Prudentia uerò etiam pręsentium & modo aliquo præteritorum, corrigendo euenta aduersa, & ex malis bonum eliciendo. Tertiò considero pro constitutione Prouidentiæ propriè sum- *[Requisita pro Prouidentia.]* ptæ, primò, requiri cognitionem Prouidentis, qua distinctè noscat finem, & ordinanda in illum. Secundò voluntatem finis propriè sumpti. Tertiò rectam rationem & facultatem ordinandi media. Et quæ carent his conditionibus, sunt umbræ & imagines Prouidentiæ. *[Prouidentia definita per quatuor causas.]* Considero quartò, quòd ego definiens prouidentiam humanam tetigi omnes quatuor causas. Et de fine dixi, pro adoptione veri finis. Addebam veri, quia pro malis, quæ iudicantur bona, non est Prouidẽtia sed versutia, & calliditas, vt se habet desuse, & adultero, rectè disponentibus media pro fine quem optant; Et quamuis id modo quodam includatur in quod dicitur ratio recta; non enim ratio est absolutè recta, nisi finis absolutè bonus; tamen per id clarius explicatur. At de Prouidentia alibi latiùs.

PHILOSOPHIA.

DIVISIONES.

Philosophia Theorica, & Practica.

PHILOSOPHIA. quæ primò ſapientia dicebatur, prima ſui diuiſione in Theoricam, ſiue Inſpectricē, & practicam, ſiue Ciuilem diſtribuitur. Philoſophia inſpectrix ex ſententia Ariſt. ſub initio ſexti Metaph. diuiditur in Phyſicam, Mathematicam, & Metaphyſicam, ſiue diuinam. Ciuilis uerò in partem de moribus, de R. P. & de cura familiari vel potiùs in communem, qualis eſt ea de Moribus, & propriam, quaſi in partem Theoricam per comparationem, & Practicam, ut pateſeci in Introductione ad eam.

Platonis ſententia.

Ex ſententia autem Platonis, ut refert Alcinous in lib. de eius doctrina cap. 3. diuiditur Philoſophia, quia vel verſatur in contemplatione, vel in morali actione, vel in Artificio diſſerendi, quæ dialectica dicitur, quam diuiſionem mox ſequuti ſunt Stoici, & illi qui Logicam Philoſophiæ partem exiſtimârunt. Philoſophiam inſpectricem Academici nō ſecùs ac Peripatetici in tres partes diuiſerūt, nimirùm in Phyſicam, Mathematicam, & Diuinam: non tamen Plato partem omnem re vera eſſe dignam nomine Philoſophiæ exiſtimauit; ſed eam ſolam, quæ ad ea quę verè ſunt nimirùm ad Ideas eleuatur: qualem putauit eſſe diuinam.

Multi ſunt Phylodoxi, & Philologi: Philoſophi uerò pauciſſimi.

Ideò in calce quinti de R. P. inquit, Phyloſophos circa verè entia, & Ideas verſari: mutabilia verò conſiderantes, nuncupauit φιλοδόξους, hoc eſt; amicos non ſapientiæ, ſed opinionis; adeò ut Philodoxi, & Pilologi multi ſint, Philoſophi verò adeò pauci, ut Phœnici dicantur ſimiles.

Ciuilis principalis, & adminiculās.

Inſuper ab eodem Alcinoo diuiditur Philoſophia Ciuilis cap. 2. in adminiculantem & principalem: Adminiculantem cenſuit Artem Militarem, Rethoricam, Legationes, Iudicia ſecundum Leges, & ſimiles: Principalem verò, Conditricem Legum, Præſcribentem ordinem Reip. diſciplinamq; inſtituentem educationes iuuenum. Quæ diuiſio minimè aduerſatur ſententiæ Ariſt. vt diſtinctiùs patebit in diuiſione Prudentiæ, quæ fundamento eadem eſt cum ciuili ſcientia.

DEFINITIONES.

Ex fine & forma.

PHILOSOPHIA vniuersè ſumpta cum exactè definiri nequeat; varijs circumſcriptionibus, ex uarijs cauſſis depromptis, modo aliquo adumbratur. Nam ex fine, ac ſimul ex forma hæ peti poſſunt circumſcriptiones, uel propriè, uel per metaphorā ei competentes. Philoſophia ex Platone eſt meditatio mortis, hoc eſt, ſecretio animæ ab affectionibus corporis. At rectiùs (vt puto) dici poſſet meditatio melioris uitæ, quæ verè finis eſt. Inſuper dici Methodus aſſequendi ſummum bonum, ſiue Via & Curſus ad illud. Redi in Deum. Perfectio reddens hominem Deo (ut ei licet) ſimilem. Cura Animorum, eorumq; Sanitas, & Ornamentum; Conuerſio Mētis ad ea, quæ uerè ſunt. Appetitio ſapientiæ. Magiſtra, Dux, & Regula humanæ vitæ. Menſura, qua

nos,

nos,& alios noſcere ualemus,an boni uel mali ſimus.Lux animi,cuius ope ſupra infera,mediaq; intuemur. Acies humanæ mentis. Mater Artium. Splendor Mundi. Sol humani orbis. Spiritus, quo Animi Semina in congruentem frugem deducuntur. Vita Populorum. Pax & tranquillitas interna. Pharmacum aduerſus uenena,mortem animo afferentia. Regula,qua cuncta nobis euenientia mala uertuntur in bonum. Vſus rectus munerum Naturæ.Regina fortunæ. Conditrix Vrbium.Forma rerum Publicarum.Mundus intelligibilis Mente cõceptus.Diuinorum contemplatio,& moderatio humanorum.Inſpectrix Veri. Harmonia Animi. Diſciplina,qua homo ſeipſum noſcit.Menſura rerum, & cõformatio hominis cum rerum natura. & demùm Studium ingenuum,hominis proprium, in cuius vſu collocatum eſt ſummum hominis bonum. Et addendo circumſcriptiones ex cauſa efficiente depromptas; dicere poſſumus, Philoſophiam eſſe Donum Dei.Munus Saturni,Prolem ſine matre, ex ſolo Iouis capite prodeuntem,ut de Minerua fingitur. Hæ,ac ſimiles aliæ circumſcriptiones, vel vniuerſæ Philoſophiæ, uel partibus varijs eius competunt, ut conſideranti redditur notum. Quibus decurſis, vt diſtinctè de ſingulis Philoſophiæ partibus loquar,Putarem ego primò Philoſophiam vniuerſè ſumptam per omne genus cauſæ ita eſſe definiendam.

Ex cauſa efficiente.

Philoſophia eſt habitus Animi, Mundum quauis ratione ſcienter contemplans;hominumq; componens actiones,interna Mentis excitatione, ingenijq; fœcunditate formatus, in cuius uſu ſummum præſentis uitæ bonum eſt collocatum.

Philoſophia uniuerſè.

Ex qua communi definitione facilè eliciuntur definitiones partium. Nam Philoſophia Theorica,ſiue Inſpectrix,eſt habitus humanę Mentis,Vniuerſum, eius partes,Principia,& affectiones quauis ratione ſcienter contemplans, cum interna animi excitatione per ingenij fœcunditatem formata, vt homo frueretur ſummo bono,in Veri contemplatione collocato.

Philoſophia inſpectrix.

Metaphyſica eſt Philoſophia inſpectrix, ſui conditione prima, omne quod eſt quatenus eſt ſcienter contemplans, ex interna animi excitatione, ingenijq; fœcunditate orta,vt ſupremo gradu ſummi boni ad hominis contemplationem attinentis frueremur.

Metaphyſica.

Scientia de Natura,ſiue Phyſica,eſt Philoſophia inſpectrix, corpus Phyſicũ ſcienter conſiderans, perſpicaci ingenio formata, vt homo frueretur eo bono, quod in Naturę cõtẽplatione eſt poſitũ,& ad diuinorũ inſpectionẽ eleuaretur.

Phyſica.

Mathematica eſt Philoſophia inſpectrix,ſciẽter conſiderans quantũ vt quãtum eſt imaginatione à ſubiecto ſeiunctum,perſpicaci ingenio formata,vt ſummo bono in eius cõtemplatione poſito frueremur, & ad diuinorum inſpectionem aptiores redderemur.

Mathematica.

Arithmetica eſt Mathematica numerũ numerantẽ cõſiderans,ut quãtus eſt.

Arithmetica.

Muſica eſt diſciplina Mathematica ab Arithmetica ſuſcipiens principia, & ad Phyſicam inclinans,quæ numerum in ſono conſiderat,ut præditum harmonica ratione.

Muſica.

Geometria vſurpatur,dupliciter,vel latè ac ita includit Stereometriam, vel preſſiùs ut à Stereometria diſtinguitur.Prima conſideratione,eſt ſciẽtia Mathematica Magnitudinem dimenſionibus præditam imaginatione à ſubiecto ſeiũctã cõſiderans, ut quanta eſt.In ſecunda ſignificatione eſt ſcientia Mathematica magnitudinem longitudine,vel latitudine prędità conſiderans,ut quanta eſt.

Geometria.

Stereometria eſt ſcientia Mathematica, magnitudinem conſiderans, trina dimenſione præditam,ut quanta eſt.

Stereometria.

Per-

Perspectiua. Perspectiua est disciplina Mathematica, à Geometra suscipiens Principia, & ad Physicam inclinans, lineas ad visum attinentes considerans, ut constituūt, & variant actum uidendi.

Astronomia. Astronomia est disciplina Mathematica, à stereometra recipiens Principia, & ad Physicam inclinans, Mundi Sphæram contemplans, & præsertim cælestia corpora, ut quanti cùm molis, tum motus, conditionem includunt.

Cum Astronomia nectuntur Cosmographia, Geographia, Corographia & similes, quæ sunt disciplinæ Mathematicæ, ad Physicam inclinantes, ex Astronomia elicientes proximè principia, pro Mundi totius, vel partium distincta diuisione, ac circumscriptione, de quibus distinctiùs agere superuacaneum duxi.

Sciētia Ciuilis. Alinous. Eustr. Ciuilis sciētia definitur ab Alcinoo in lib. de doctrina Platonis cap. 33. quòd sit Virtus in contemplando & agendo posita, cuius institutum est Ciuitatem bonam, beatamq; efficere, sibiq; omni ex parte cōnsentientem. Eustratius partes Ciuilis scientiæ ita definiuit. Moralis est species Philosophiæ Practicæ, quæ in morum hominis cōmpositione versatur. Familiaris est species Philosophiæ practicæ, quæ Familiæ, cohabitantiumq; in ea constitutionem considerat.

Consideratio Reip. est species Philosophiæ Practicæ, quæ (de Ciuitate) degentiumq; in ea, æqua ac concordi administratione pertractat. Quæ definitiones quales sint alij considerent. *Approbata definitio.* Ego in. Introductione ad Scientiam Ciuilem hanc dedi definitionem, Scientia Ciuilis est Philosophia, humanas actiones cōponens, ex Naturæ interna excitatione Sapientisq; animi fęcunditate orta, vt in omni vitæ gradu honestum attingamus, summoq; Ciuili bono pro facultate fruamur.

Diuidebam Ciuilem scientiam in duas principales partes, in communem, quæ Finem postremum, Principia, & fundamenta, patefacit, traditam ab Arist. in decem libris de moribus; & in partem ad magis propria descendentem, vsumq; patefacientem, traditam in libris de R.P. & Cura familiari.

Pars prima definitur, Quòd sit pars priorum Philosophiæ Ciuilis Principia fundamenta, communemq; finem explicans, vniuersè nos ad uitam ciuilem rectè disponens. Altera definiri potest, Quòd sit pars posterior, sumens ex priore Principia, quorum recta ratione Resp. format, Leges condit, magistratus instituit, cæteraq; disponit, quæ singulis humanæ uitæ gradibus sunt consentanea.

Hæc itaque Ciuilis scientia est humanæ vitæ Magistra. Recta ratio, & Regula eorum, quæ agi debent. & demùm Medela animi, illam ab immoderatis perturbationibus purgans.

ANNOTATIONES.

Primum. Philosophia ab vno est. CONSIDERO primò, quòd cum Phylosophia vniuersè sumpta non sit natura una, in omnibus sub ea contentis eadem, sed sit commune aliquid ab uno, quod noscitur ex notitia contentorum; ideò non est absurdum, ut eius definitio sit cum enumeratione duarum principalium partium, sub ea contētarum. Quod fecit etiam Galenus in definitione Artis medendi, & Arist. in secunda definitione animæ, & in definitione enunciationis. *Secundū. Materia Phylosophia.* Considero secundò, quòd cum in definitione Philosophiæ explicetur omne genus causæ; pro materia, in qua recipitur, & cuius est habitus, nonnunquam accipitur Mens vt in definitione Philosophiæ inspectricis; nonnunquam animus, ut in definitione Ciuilis.

Ciuilis. Ratio est, quia contemplatio absolutè pertinet ad Mentem, & Philosophia inspectrix absolutè dicitur habitus eius. At Ciuilis, quamuis per Prudentiam sit habitus Mentis, tamen per virtutes in more positas est habitus appetitus sensitiui; ideò vtor uoce Animi communi utrisq;. Tertiò considero, quòd in definitione trium partium inspectricis Philosophiæ, pro genere utor scietia: nam re uera scientiæ sunt: in definitionibus uerò collocaturum sub puris Mathematicis, non scientiæ, sed disciplinæ nomine utor; quoniam illæ dicuntur no scere quia, non propter quid, ut legitur in 1. post. ideò seiunctæ à suis superioribus, & ex se, scientiæ non sunt, sed solùm participant conditionem scientiæ, ut nectuntur cum superioribus, & utuntur eorum principijs. Considero quartò, quòd cum in definitione uniuersæ Philosophiæ, explicans attinentia ad causam efficientem, dicam eam prodire ex fęcunditate ingenij, & ex instinctu naturæ, non est necesse ut id repetatur in definitionibus partium, cum enim dicatur, quòd sint Philosophia, denotatur id omne quod in definitione Philosophiæ fuit assumptum. Propterea si nonnunquam id repeto; solùm id facio maioris explicationis gratia; non quia sit necessarium. Demùm considero, quòd cum ego ex sententia Platonis inter Philosophiæ partes numerauerim Dialecticam, non est putandum, quòd ipse puram Logicam, regulas argumentandi docentem putarit propriè scientiam, & partem Philosophiæ; Ipse enim scientias solas eas iudicabat, quæ eleuarentur ad Ideas; Sed nomine Dialecticæ denotabat, acumen ingenij, abstractionem sublimem, liberumq; & subtilem considerandi modum, per quem nulla facta suppositione, sed absolutè de omni eo quod est, dissereremus. Quod quidem ex sententia Arist. Metaphysici est officium. Adeò ut Dialectica hæc Platonis, quæ acumen, & apex scientiarum nuncupabatur, & solùm triginta annos natis eius vsus concedebatur, sit pars quędam, & ea quidem tamquam spiritus Metaphysi. Arist. nón autem penitùs sit eadem, quia Plato considerationem diuinorum ab hac secernebat, quam Aristoteles tribuebat Metaphysico: qua de re alibi distinctiùs uerba feci.

Tertium. *Quartum.* *Quintum.* *Quomodo Dialectica sit pars Philosophiæ.*

∴

BONVM.

DIVISIONES.

Bonũ per essentiã & per participationem. Bonũ Rationis & sensuum. Diuinum, & humanum. Vtile, honestum, delectabil. Animi, corporis, & externum. Commune, et propriũ. Absolutè & alicui. Verè, & apparens. Contemplationis, & actionis. Actionis, & rei effectæ. Absolutè, & pro tũc. Absolutè, & comparatione. Mortale & æternũ. Pẽdens, nõ pendens. Sũmum, non summum. Purum, non purum. Secundum causam, secundum formã, secundum participationem. Bona humana, Diuina.

BONVM vnà cum Ente latissimè effunditur: in omni prædicamento sedem habet: & varij dantur gradus, formæ, & distinctiones eius. Primò enim diuidi potest in Bonum per essentiam, & huiusmodi est solus Deus, & in Bonum per participationem, qualia sunt ea, quæ ex Deo pendent. Secundò, bonum aliud est rationis, aliud sensuum. Quæ duo bonorum genera in homine frequenter pugnant, & internam excitant in nobis controuersiam.

Diuiditur Tertiò in Bonum Diuinum, supra uires hominis collocatum, & bonum humanum, ad hominem pertinens. Quartò diuiditur præsertim Bonũ humanum, in Bonum utile, honestum, & delectabile. Quintò id ipsum diuiditur in Bonum animi, Bonum corporis, & Externum, ut in primo Nicomachiorum cap. 8. Sextò diuiditur in eodem primo Nicomachiorum in commune, & proprium. Et dum cætera fuerint paria, Bonum quo fuerit communius, eo erit eligibilius, ut in eodem libro affirmat Philosophus. Septimò, Bonũ est duplex vel absolutè, uel alicui, ut inquit Arist. in secundo Phy. nec non in septimo Nicomachiorum cap. 12. Bona Fortunæ & Naturæ ab Arist. absolutè dicuntur bona. Virtus autem, in more posita dicitur bonum hominis, ideò ait enitendum esse, vt per ea quæ nobis sunt bona, ea reddantur nobis bona, quæ sunt bona simpliciter. Similiter habere quatuor pedes est bonum equo, non homini. Octauò, Bonum est duplex vel verè, vel solùm apparens, vt surripere aliena bona absolutè malum est, furi tamen videtur bonum. Nonò Bonum est duplex Vnum in contemplatione positum, quod dicitur verum; Alterum in operatione. Decimò, Bonum ad operationem pertinens est duplex, vel enim in ipsamet muneris functione est collocatum, ut bonum attinens ad actiones, ex virtute morali prodeuntes, vel est collocatum in opere, quod efficitur, vt in his quæ Arte fiunt. Vndecimò, Bonum est duplex vel absolutè, vel pro tunc quod est Bonum ex conditione, & suppositione; siue Bonum est duplex, vel absolutè, vel facta comparatione, veluti est minus malum comparatum cum maiori, vt imminente Naufragij periculo, bonum est in mare proijcere merces, quod tamen absolutè malum est, minus tamen est malum, quàm Naufragio mergi. Duodecimò, Bonum est duplex, mortale unum; alterum æternum. Decimotertio Bonum vel est creatũ, siue pendens ex alio, vel increatum ex nullo pendens. Decimoquartò, Bonum vel est summum, vel non summum. & Bonum summum est duplex vel absolutè, vt bonum Dei, vel alicuius, vt summum bonum hominis. Decimoquintò, Bonum vel est sincerum & purum, vel non: sincerum & purum absolutè est bonum Dei; non purum est duplex; vel mixtum cum potẽtia, siue recessu à primo, vel mixtum cum aliquo malo, vt bonum, quo bibentes fruimur, est mixtum cũ site. Ex sententia Academicorum Bonum est triplex secũdum causam, vt Deus; secundum formam, vt idea Boni; secundum participationem, vt cętera. Insuper cum diuidatur Bona in Diuina & humana. Humana bona sunt sanitas, forma, Vires, & diuitiæ, quarum dux debet esse Prudentia; vt bona sint. Diuina bona

sunt

sunt Prudentia tamquam Dux, Temperantia, Iustitia, & Fortitudo. Prudentia Mentem perficit: Temperantia cupiditatem componit: Fortitudo appetitum Irascendi: Iustitia facultatem omnem, vt elicitur ex primo dialogo de legibus apud Platonem. Relatis varijs distinctionibus, puto ego bonorum genera in hunc ordinem esse redigenda. Bonum vel sumitur vniuersè, vel pro bono alicuius proprio. Et hoc vel est bonum absolutum Dei, vel pendentium ex Deo. Bonum pendens vel est Metaphysicum, vel Physicum, vel Fortunæ, vel Morale, uel Rationis, uel Diuinum. Qui omnes gradus Boni pendentis locum habēt in homine; in cæteris nonnulli tantùm. Et membra huius diuisionis per definitiones distinctè sunt explicanda.

Diuina.

Genera bonorum.

DEFINITIONES.

VT bonum est multiplex, ita variæ sunt eius definitiones. Et cum nequeat perfectè definiri, uarijs circumscriptionibus adumbratur. Primò Bonum est id, quod sui conditione optatur. Insuper ut dicitur in principio Nicomachiorum ab Arist. Bonum est id, quod omnia appetunt. Præterea Bonum est id, quod bona sequuntur. Plot. 1. lib. 7. capite primo inquit, Bonum est id, ad quod cetera referuntur: id uerò non ad alia. Præterea, Bonum est quod res interimit bono contrarias. Insuper Bonum est id permanens circa quod cętera, tamq; circa centrum, reuoluuntur, ut idem Plotin. definiuit. Præterea Bonum est, quod perficit habētem; id uerò non eget alio: & ob id etiam definitur, quod sibi met est satis. Insuper bonum est id, quod unitate, essentia, & specie præditum est, ut dicitur à Plot. En. 1. lib. 7. cap. 2. apud quem etiam lib. 8. legitur, Bonum esse id, ex quo cuncta pendent, quod cuncta optant, à quo cuncta Principium recipiunt, eoq; omninò egent, id uerò nullo eget, nil optat, sibi est satis, est mensura omnium & terminus, ex seipso producens Mentem, essentiam, animam, uitam, actionemq; circa Mentem. Præterea, Bonum est artificis Mundi Pater, finisq; Mundani operis. Hæc proferunt Academici. Insuper Bonum definitur esse id, quod ex sui conditione est admirandum, amandum, & suaue. Præterea Bonum est id, quod est secundum uniuscuiusq; uirtutem. Proprium unicuiq; Bonum est appetendo, & agendo conuerti ad ipsum uniuersi bonum. Ipsum autem bonum non actione ulla, sed seipso bonum est, ut ait Plot. in lib. de primo bono cap. 1. Simpl. in Epict. cap. 51. inquit, Bonum id esse, quod est secundum naturam cuiuslibet, per quod suam perfectionem cōsequitur. Hinc Arist. in 7. de R. P cap. 1 inquit, Nil bonū est, quod sit præter naturam. Plotinus En. 6. lib. 7 cap. 19. reiectis nonnullis communibus Boni descriptionibus, hanc approbat, Quòd Bonum sit participatio Primi Boni: ad primum autem bonū cum peruenerimus ait non amplius esse quærendum propter quid, quoniam in eo quid, & propter quid non distinguuntur. Seneca Epist. 19. præsertim hanc definitionem approbat, Bonum est, quod perfectè secundum naturam est. Insuper in lib. de uita Beata, summum Bonum est animus Fortuita despiciens, uirtute lętus. Insuper bonum est inuicta uis animi, atq; homo, cui nil boni maliue sit, nisi bonus uel malus animus, honesti cultor, virtute contentus, quem non extollunt Fortuita, nec frangunt; cuius uera uoluptas sit uoluptatum contemptio. Diogenes ex relatione Ciceronis in 3. de finibus, Bonum definiebat, quòd sit id, quod natura absolutum est, id autem sequens, illud, quod

Variæ boni circumscriptiones

Plotinus.

Proprium unicuique bonum.

Simpl. Arist. Plotinus.

Seneca.

Diogenes.

Bonũ uniuerse. prodesset. Relatis varijs Boni descriptionibus, ut distinctè colligam de singulis
gradibus, in postrema distinctione relatis, quid sint; Ordiar à Bono uniuersè
sumpto, quod quia est ualdè uarium, difficile est unica definitione id comple-
Bonũ summum, non pendens. cti: dicere tamen ualemus cum Arist. Bonum esse id, quod perfectionem inclu-
dit, ratione cuius est aptum expeti. Bonum uerò summum, Primum & non Pen
dēs, est absoluta perfectio ex se talis, sui conditione fęcunda, ex qua cętera pen-
Bonũ metaphysicũ. dent, per quam seruantur, & perficiuntur. Tertiò, Bonum Metaphysicum
est gradus entis inclusus in his, quæ extra causam in vniuerso reperiuntur, qua-
tenus est participatio primi boni: Hoc bono homo præstat cæteris mortalibus,
Bonũ Physicum. cum sit species substantiæ cæteris præstantior. Quartò, Bonum Physicum est
perfectio rei, naturâ constantis, quatenus Natura constat; cuius munere ualet
Physica opera efficere: De hoc Bono inquit Arist. in 4. Meteorum, Tunc unum
quodq; esse perfectum, dum ualet simile generare. Et hoc Bonum est commu-
Bonũ Fortunæ. ne cunctis, naturâ constantibus. Quintò, Bonum Fortunæ est bonum externum
mutationi obnoxium, aptum homini inseruire pro explēdis munerum functio-
nibus, ad eum pertinentibus: Hoc dicitur bonum vtile, & solùm competit ho-
Bonũ morale. mini. Sextò, Bonum Morale consideratur in moribus; & attinet ad appetitum
sensitiuum, ad quem pertinent virtutes, in more positæ, & actiones earum; &
definiri, potest, quòd sit congruens compositio affectionum animi, ex qua actio
nes prodeunt cum selectione virtuti consentaneæ, quod bonum soli homini est
Bonum rationis. aptum competere. Septimò sequitur Bonum rationis, attinens ad rationem, &
Mentem per habitus eius semper rectos, qui quamuis sint quinque: tamen ob
tres principales fines, in tres rediguntur, in contemplantes, agentes, & efficien-
tes: & inde prodeunt tria bonorum genera homini soli apta competere. Quo-
Bonum cõtemplationis. rum communis definitio hæc esse potest. Bonum rationis est habitus Mentis,
recta ratione formatus, officiumq; eius. Seorsùm autem bonum ad uirtutem in-
Actionis. spectricem pertinens, est contemplatio Veri, per habitum inspectricem: & hoc
est summum hominis bonum, in contemplatione positum. Bonum attinens
Effectionis ad Prudentiam & actionem, est recta ratio parandi media pro assequen-
do fine virtutum moralium, & summo bono in actione proba col-
locato. Bonum, attinens ad Artem, est recta ratio rerum effi-
ciendarum, & vtile quod nobis præbent Arte constantia.
Hæc enim tria bonorum genera, ad rationem atti-
Bonum diuinum. nentia, primò Mentem perficiunt, mox opera,
quæ inde prodeunt. Octauò, datur Bo-
num diuinum, & est munus desu-
per infusum, perficiens men-
tem, & actionem eius,
eamq; reddens gra
tiorem Deo.
Placeat
Deo
hoc Bono nostram
mentem di-
tare.

ANNO-

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò ex ſententia Platonis ſupremum eſſe Vnum, ſub quo eſt Bonum, & ſub Bono Ens, nam Vnum eſt caput Boni, & per Bonum in Vnum eleuamur. Hinc rectiùs dicimus, Bonum eſt Vnum, quàm vice uerſa. Bonum deinde dicitur pater Entis, adeò ut Vnum ſit ſupremum & primum: ſequatur Bonum: tertium ſit Ens. Ariſt. autem ait hæc tria reciprocari. Et controuerſia eſt collocata potiùs in uario uſu uocum, quàm in conditione rerum, ut alibi patefeci. Conſidero Secundò conditiones Boni uniuersè ſumpti tres eſſe. Vnam perficere id, cuius eſt bonum, adeò ut ſit perfectio. Alteram excitare appetitiones. Tertiam includere fœcunditatem. Prima eſt finis, Secunda medium, Tertia Principium. Ideò in tradendis definitionibus præſertim hæc tria ſunt inſpicienda. Fœcunditatem eſſe boni propriam patefaciunt Theologi, dicentes, Deum creaſſe Mundum, quia bonus eſt. Idipſum patefecit Plato inquiens bonum eſſe Patrem artificis Mundi, nimirùm primæ Mentis. Ariſt. quoq; idipſum affirmauit in 2. de cælo, inquiens, Opus Dei, hoc eſt ipſius Boni, eſſe æternitatem; ideò mouet æterno motu, quo æternum ſeruant ortum rerum. At tres ſe offerunt difficultates. Prima eſt, ſi Bonum excitat appetitiones, & collocatum eſt in fine; tunc id, quod eſt utile, non poterit dici bonũ, quia non finis eſt, ſed pro fine optatur. Altera eſt, ſi Bonum omnia appetunt, malum quoq; appetit Bonum: ac ita appetet ſui interitum, quod eſt abſurdum. Tertia dubitatio eſt, quoniam enumeratio octo graduum Boni, partim uidetur diminuta, partim redundans. Primo uidetur diminuta, quia numeratur bonum Metaphyſicum & Phyſicum; dimittitur autem Mathematicum. Inſuper numeratur Bonum Naturæ, Morale, & Rationis: dimittitur Bonum ſenſuum. Ex aduerſo uidetur redundans, quia numerantur primò bona Phyſica, & Metaphyſica; mox numerantur bona Rationis, quæ dicebantur triplicia, quorum unum ad contemplationem pertinebat; contemplatio autem eſt bonum Metaphyſicum, Phyſicum, & Mathematicum. Prima dubitatio de bono utili ſoluit. Primò, quia etiam utile ſeruat conditionem finis, non quidem poſtremi, ſed proximi, ordinati in poſtremum. Secundò, quia Bonum, cum pertineat ad finem, munere finis competit omni complicato cum eo, uel requiſito pro eo. Hinc dicitur bonum utile, hoc eſt conducens pro altero: ſic ſeruatur, quòd dempto fine, demitur bonum, ut dicitur in 3. Metaph. Altera dubitatio, num malum optet bonum? Reſpondeo malum cũ ſit malum non eſſe ens, & ob id non poſſe optare. Inſuper addo, nil adeò eſſe malum, quin nitatur bono aliquo, ut fundamento, ueluti priuatio competit materiæ, & turpitudo homini: id autem fundamentum, cui aduerſatur malum, eſt illud, quod appetit, non autem malum, ut malum eſt. De tertia difficultate dico eam enumerationem, nec diminutam, nec redundantem eſſe. Inſtantia de diminutione ſoluitur. Nam dum inſtatur, quòd dimittitur bonum Mathematicum. Reſpondeo, bonum Mathematicum attinere ad quantum, quod abſolutè Phyſicum eſt; & ideo ad bonum Phyſicum redigitur; & præſertim quia perfectionem includit, ut Phyſicum eſt. De bono ſenſuum dico redigi ad bonum Naturæ: Anima enim, quæ ſentiendi eſt principium, Natura eſt. Inſtantia pro redundantia, & repetitione Phyſici, & Metaphyſici boni, ſoluitur, quia aliud eſt loqui de re

Primum. *Secũdum.* *Tres boni cõditiones.* *Dubit. prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Sol. prima* *Secundæ.* *Tertiæ.*

Physica & Metaphysica, vt de ente, & corpore Physico, quæ absolute sunt bona: & aliud loqui de Philosophia inspectrice, quæ est bonum hominis & rationis eius, inspicientis verum. Sed pulchra se offert dubitatio, & est. Cum varia sint bonorum genera, apta homini competere; quæ est ratio, quod homo solùm per virtutem Moralem denominatur absolutè bonus, non autem per vllum aliud bonum? Cuius rei varias possum afferre rationes, duæ tamen sunt potissimæ. Prima est, quia aliæ virtutes circa aliud versantur, non autem circa constitutionem & compositionem interni hominis; sola enim virtus moralis in eo versatur, vt internum hominem, internasq; eius perturbationes rectè formet & componat. Altera ratio est, quia rectus vsus bonorum ad solam virtutem moralem pertinet: eius enim conditio & officium est, vt ea & alijs rectè vtamur, adeò vt sine ea, reliqua non sint nobis bona: Hinc sola virtute morali non valemus male uti, cum rectus vsus sit in ratione eius, ceteris autem omnibus & rectè & perperàm uti ualemus. Demùm consideratione dignum est. Cum uaria sint bonorum genera, quodnam eorum obtineat Principatum? Hac de re cumulatè sum loquutus in libris de ciuili scientia; nunc breuibus, dico, Bona animi primum obtinere locum, cui succedunt bona Naturæ, infima sunt bona Fortunæ. Sine bonis animi reliqua non sunt nobis bona, cum eatenus sint nobis bona, quatenus sunt instrumenta bonorum animi. Similiter bona Fortunæ, sine bonis Naturæ, quorum Princeps est sanitas, inania sunt.

Pulchra dubit.

Sol.

Ordo bonorum.

MALVM.

MALVM DIVISIONES.

MALVM diuiditur in malum culpæ,& est recessus à Lege, quod absolutè malum est,& malum pœnæ, quod malum est pœna affecto,absolutè autem non est malum,sed bonū vtile. Insuper malum cum sit quædam priuatio, usurpatur tripliciter;uel pro negatione boni, ut Materia prima non formata dicitur mala,quia non includit formam, quæ bona est;uel pro priuatione, ut eadem Materia considerata tanquam priuata formis; uel pro deprauatione, ut quod aduersa dispositione est affectum. Tertiò malum uel ex se malum est ut priuatio, uel ex accidenti, ut materia per priuationem ab Arist.in 1.Phy.81.dicitur turpis & mala. Insuper malum,uel est malum externum,ut paupertas,uel corporis, uel animi: Si animi,uel est malum rationis,uel sensuum. Præterea malum,uel uerè est malum, uel solùm apparet. Insuper uel est malum absolutè,ut interitus;uel alicui,ut carere pennis est malum non homini,sed aui. Præterea,uel est malum summum, summo bono aduersum;uel non summum. At prætermissis diuisionibus minoris momenti,quoniam distinctio priuationis præsertim petenda est ex distinctione formæ,& habitus:& quot modis usurpatur unum oppositorum,tot modis usurpari dicitur alterum:Cum malum opponatur bono; & boni considerati sint octo gradus;ideò ex eis petenda est distributio malorum. Vsurpabatur primò Bonū pro bono uniuersè sumpto,cui opponitur Malum sumptum uniuersè. Secundò usurpabatur pro primo & supremo bono,qui erat Deus, cui bono ex opinione Manichæorum,& Plotini opponitur Materia ex se mala, & origo cunctorum malorum. Quæ sententia uera non est, Materia enim cum ex se sit ens, ex se etiam bona est; ideò rectiùs Arist.in 12.Met.ait, Deo nil opponi,& ea mala,quæ summo bono opponi uidentur, non summo bono absolutè,sed distinctis eius generibus opponuntur. Et dum dicitur, si datur unum oppositorum,datur etiam alterum. Dicendum id uerum esse de illis, quibus competit oppositum secundum affirmationem, non secundum priuationem;& de eo,cuius non repugnat esse,at dari summum malum absolutè, cui nil boni competat,includit controuersiam,quia si nil boni includit, nil penitùs erit: Propterea rectè Auer.in 2.post.28.dixit,Malum non constat ex se,neque est nisi pro eò boni,quod eius est:& Arist.9.Met.cap.11.enunciauit,Malū non esse præter res:& ob id Simpl.in Epictetum dixit, malum assistere potius, quàm subsistere: Quam ueritatem latiùs explicauit Magnus Dionysius Areopagita in lib.de Diuinis nominibus, manifestans malo nec causam, nec subsistentiam competere. Ideò progrediendo ad tertium gradum, nimirùm bonū Metaphysicum,quod reciprocatur cum Ente, ei pro malo opponitur non esse. Quarto gradui,nimirùm Bono Physico opponitur Malum Physicum, ut ægritudo, & deprauatio bonorum Naturæ. Bono Fortunæ aduersantur mala, quæ infortunia dicuntur. Bono morali opponitur malum morale,qualia sunt uitia, & prodeuntia ex illis. Et quemadmodum ad bonum morale redigitur Heroicum, ita ad malum morale redigitur Feritas & Impietas ei opposita. Septimo gradui,attinenti ad bonum Rationis,opponitur malum ei aduersum,

Malum culpæ & pœnæ. — *Malum tripliciter usurpatur.* — *Malum ex se,et ex accidenti.* — *Malum, uel externum, uel corporis, uel animi.* — *Verè, & apparens.* — *Absolutè, & alicui.* — *Summum & nō summum.* — *Octo gradus malorum.* — *Aduers' Manichæos.* — *Repugnat dicere dari penit' malum.* — *Auer.* — *Arist.* — *Simpl.* — *Dionysius Areopag.*

quod etiam est triplex, ut triplex erat bonum rationis, nimirùm Ignorantia, Imprudentia,& Inertia. Octauo gradui, hoc est bono Diuino, opponitur id malum, quod summum est hominis malum, nimirùm Damnatio, à qua liberet nos Deus omnipotens.

DEFINITIONES.

VT multiplex est Malum, ita variæ sunt eius descriptiones, quę peti possunt ex bono, ei aduerso. Et vt bonum erat perfectio, fœcundum,& optabile; ita malum deprauatio est rei,& operum eius, est sterile, vitandum,& longè arcendum. Insuper malum est id, quod ex se nullam subsistentiam habet,& solùm eatenus est, quatenus nititur bono. Insuper malū à Pythagora (referente,& approbante Ari. in 1. Nicomach.) dicebatur infinitum,& proprio termino carēs: Hinc Dionysius Areop. in li. de Diuinis nominibus c. 4. enunciauit, Bonū ex vna integra causa, malum ex singulis defectibus consurgere. Simpl. in Epict. cap. 51. inquit, Malum esse affectionem præter naturam, habētis ipsum, qua priuatur eo, quod secundum naturam est,& bonum est. Plot. in 1. lib. de Prouidentia ait, Malum esse defectionem boni. Nam cum malum sit negatio,& priuatio boni, ideò per negationem attinentium ad bonum circumscribi debet,& ob id dici potest recessus à Lege, recessus à Bono, à Mensura, à Recto, à Constitutione secundum naturam, ab Ordine, ab Ente, à Forma, ab Essentia, ab Vno. At dum distinctè consideramus octo relatos gradus mali. Primò malum vniuersè sumptum per communia singulis debet definiri dicendo quod sit conditio sterilis,& uitanda, quam mala sequuntur. Descendendo ad tertium gradum, prætermisso secundo, dici potest recessus ab Ente, eiusq; negatio, vel priuatio. Malum Naturę est deprauatio dispositionum secundum Naturam. Malum Fortunæ est priuatio, uel peruersio bonorum Fortunæ. Malum morale est uitium deprauans hominem, cuius est uitium,& actiones morales eius. Malum rationis est priuatio, uel peruersio bonorum rationis secundum tres eis competentes gradus. Malum diuinum est damnatio, qua homo diuino bono priuatur,& æterna pœna affligitur.

Malum infinitum. *Magnus Dionysius.* *Simpl.* *Plot.*

Malum uniuersè. *Malū pro cęteris gradibus.*

ANNO-

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò Manichæos, à quibus non longè recessêre Stoici, putasse duo esse principia prima, nimirùm Deum, & Materiam primam; quæ dixêre bonum, & malum inuicem dimicantia: Et ex imperio Dei dixêre prodire bona, ex imperio Materiæ mala. Aduersus quam sententiam disputat D. Tho. 3. contra Gentiles cap. 15. & cum refert Simpl. in Epictetum cap. 31. & Auer. in 3. disp. contra Algaz. in fol. 12. d. nec non Philop. contra Proclũ. Ea sententia eatenus est falsa, quatenus Materiam adeò statuit principium primum, vt non pendeat ex Deo, à priuatione non secernatur, sed ex se sit ipsum Malum. Quod dici non debet; Materia enim Secundum se est ens, bona, & pẽdens ex Deo: vt autem est mala, & non ens, dicere possumus, quòd nõ pendeat, sed sit recessus ab eo, & lapsus in non Ens. Considero Secundò, Malum omne quatenus malum, esse non Ens, & recessum: & cuncta reddi mala ob permixtionem cum non Ente. Nam mala considerari possunt dupliciter, vel pro esse absoluto, & ita sunt bona, sunt formæ, & prodeunt ex facultate aliqua efficiente, vel pro recessu à lege, regula, & ente, ac ita mala sunt. Recessus autem est non ens, quia non est id, à quo recedit aliquid, veluti calor febrientis, vt calor est bonus, ut recessus à regula, & temperamento, est malus. Considero tertiò, quòd cum Malum, vt malum, sit non Ens, etiam vt malum caret efficiente: & prodit ex deficiente: & caret fine, quia nil optatur sub ratione mali: & nulli fini per se conducit; si autem conducit, id ei competit per aliquod ei iunctum bonum. Considero quartò Deum quatuor modis posse dici causam mali. Primo quia est causa mali pœnæ, quod absolutè bonum est. Secundò quia Leges constituit, sine quibus non seruatur conditio peccati. Tertiò quia permittit, ut fiat. Quartò quia peccantibus tribuit vires operandi, & conspirat ad eorum operationes; Deo enim non conspirante, non posset homo interficere alium hominem. Deus tamen his quatuor modis dicitur causa, non tamen mali per se, vt malum est, sed vt boni aliquid includit; culpa autem solùm est hominis præeligentis & perperàm vtentis viribus, ei tributis. Demùm pro confirmatione relatorum considerandum, quòd Plotinus En. 1. lib. 8. ca. 5. inquit, Materia malum est, nullam boni possidens portionem, nam sanè neque esse habet. Et cap. 8. addit, Materia cum sit malum, quæcunque tangit, reddit mala: Arist. tamen ait, hæc competere materiæ ex accidenti, nimirùm ob priuationem, ei iunctam, vt dixi in præcedentibus.

Manichæorũ opinio.

Quid veri quidque falsi includat.

Malũ omne ex se nõ ens ex accidenti ens.

Quomodo Deus causa mali.

Sententia Plotini.

LVX.

DISTINCTIONES.

Octo cum Luce subordinata.

PRO distinctionum notitia considerandum primò, Octo subordinata reperiri, quæ sunt Lucidum, vt Sol. Lux, eius qualitas. Radius ex Lucido prodiens. Lumen ex radio proximè pendens per præsentiam Lucidi. Splendor ex repercussione radij à terso & leui, veluti à speculo, apparens in vmbra. Sextò sequitur Vmbra, in qua lumen apparet ex leui repercussione radiorum, ueluti umbra sub arboribus, sole existente supra horizontem. Septimò tenebræ, quæ sunt in aëre, absente Sole, & radiorum repercussione, & in cauitatibus Terræ. Octaua est Opacitas, cōpetens Terræ, & Terreis. Ego autem de Principalioribus loquar, nimirùm de Luce, & Lumine. Hæc vsurpantur dupliciter, vel propriè, uel per Metaphoram. Lux per Metaphoram dicitur ea animi & Mentis, quæ est duplex. Vna diuina & per essentiam, de qua legitur quod Deus est Lux vera, illuminans omnem hominem. Altera humana & per participationem, quæ etiam est duplex, uel per naturam & propriam conditionem humanæ Mentis, uel desuper à Deo proximè infusa. Lux propriè dicta est ea, quæ corporibus Lucidis competit, cui ut notiori nobis, primò impositum est nomen, quod deinde per analogiam translatum est ad alia. Insuper Lux corporum est duplex, una cęlestis, altera elementaris. Lux cęlestis est qualitas prima, non prodiens ex alia qualitate, facultate includens primas qualitates mortalium. Quæ ut subiecto sibi quali competit uniuerso cælo: facta comparatione inter orbes, primò competit octauæ sphæræ: comparatis inuicem stellis, primò competit Soli. Quæ etiam est duplex, uel propria, ut ea solis; uel aliena, ut ea Lunæ, quam recipit à Sole. Lux Elementaris est duplex uel spiritalis, apparens ex repercussione radiorum à nube, ut ea gemini solis, & uirgarum, quæ dicitur Elementaris, quatenus sub cęlo apparet; alia est realis & materiata, quæ est duplex, una sequens incensionem, ut ea flammæ, alia sequens temperamentum à fece Terrea immune, ac spiritum quendam igneum includens, qualis est Lux quorundam lapidum, nec non oculorum, & nitedularum. Ex dictis ualemus elicere septem gradus Lucis & Luminis. Datur enim primò Lux Diuina, & Lux Gloriæ. Secundò Lumen Fidei. Tertiò Lumen Naturale animi. Quartò, Lumen æternorum corporum. Quintò, Lumen incensionum. Sextò, Lumen depuratarum mixtionum. Septimò Lumen repercussionum, ut gemini Solis; Quorum Luminum quædam attinent ad oculum animi, alia ad oculos corporis & sensum uisus, de quibus modò agendum proponitur.

Lux propriè, & per Metaphoram.

Lux propriè dicta. Cælestis, et Elementaris.

Propria, et aliena.

Septē gradus Lucis.

Duplex Oculus.

DE-

DEFINITIONES.

IVLIANVS Academicus in lib. de Sole, ex sententia Iamblichi & Phœnicum inquit, Lumen esse actum purum ab actu Diuinæ Mentis per cuncta effusum. Iamblichus in lib. de Mysterijs Aegyptiorũ par. prima cap. 9. inquit, Lucẽ & Lumẽ esse facultatẽ cũcta nectentem, & conciliantem cum principio corporum. Marſ. Fic. in lib. de Lumine cap. 2. inquit, Lumen est ſpiritalis, ſubita, & latens, à corporibus ſine detrimento Naturę eorum emanatio: mox cap. 9. inquit, Lumen est incorporeum, cui neq; durities resistit, nec interuallum, ſed cum ſit cæleste, ſolùm ei resistit opacum, terreum, & sordidum. Plotinus dixit, Lumen esse actionem illuminantis, in alia progredientem. Alij dixêre, Lumen esse affectionem illuminantis, & cum Lucido uehi. Priſcianus Lydus in Theophraſtum de Anima dixit, Lumen esse actum totum ſimul Lucidę formę. Simplicius in ſexto Phy. 23. dixit, Radios & Lumen esse corpus materiæ expers cui non repugnaret meare per materiata corpora; In 2. de cęlo 29. inquit, esse corpus, & meare per poros corporum: In 2. de anima 69. inficiatur unà cum Arist. Lumen esse corpus, adeò ut parum ſibi constare uideatur. Arist. in 2. de anima dixit, Lumen esse præſentiam Lucidi corporis, & actum perſpicui. Nos ab Aristotele non recedentes, ordientes à Cęlesti Luce dicamus, Lucem esse qualitatem primam Cęlestis corporis, ſequentem natùram, & conditionẽ eius, uiſui congruentem, facultate includentem primas mortalium qualitates, & pręſertim calorẽ. Radius autem est ſpiritalis actio, ex Lucido tanquam eius imago ſecundum naturam prodiens, momento directè per corpora perſpicua effuſus. Lumen per modum cauſæ est præſentia lucidi: tanquam forma uerò est actus, perinde ac color perſpicui, ex radijs primò repercuſſis productus. Splendor est fulgor in umbra apparens, ex radio à ſpeculo repercuſſo prodiens. Vmbra est priuatio primæ repercuſſionis radiorum, ſeruans tamen ſecundam aliquam repercuſſionem. Tenebræ ſunt priuatio actionis Lucis, & repercuſſionis in medio perſpicuo. Inſuper poteſt Lumen ita quoq; definiri, quòd ſit actio ſpiritalis, & imago corporis Lucidi, tota ſimul effuſa per media perſpicua, reddens colores poteſtate uiſibiles, actu uiſibiles. Lux Elementaris ſiue corporum ſub orbe Lunæ contentorum, est qualitas ſecunda uiſui congruens, ex incenſione, ſiue proprio eorum temperamento prodiens, apta reddere colores poteſtate uiſibiles, actu uiſibiles.

Iulianus

Iamblichus.

Marsilius Ficinus.

Plotinus.

Priſcianus Lydus.

Simplicius.

Arist.

Quid Lux

Radius.

Lumen.

Splendor.

Vmbra.

Tenebræ.

Alia definitio. Luminis.

Lux elemẽtaris.

AN-

ANNOTATIONES.

Constat Lumen esse, latet quid sit. *Opiniones variæ.*

CONSIDERO primò, Lumen esse, ex se constare, quid uerò sit summoperè latere, & ob id uariæ de eo fuerunt ueterum opiniones. Nonnulli putârunt id esse corpus, uel materiatum ut Democritus, Leucippus, & Epicurus, uel materiæ expers, ut Academici. Arist. particula 11. prob. 33. inquit, Radios esse corpora: at id profert ex aliorum sententia, conspicuè enim in 2 de anima id inficiatur, & ob id aduersus Empedoclem negat ei competere motum. Alij itaq; putârunt Lumen non esse corpus, qui etiam non consenserunt: Nonnulli enim eorum putârunt per decisionem quandam, & effluxum extendi, non secùs ac aqua ex fonte fluit. Quam opinionem Priscianus Lydus in Theophrastrum de anima cap. 20. reijcit, & ex propria opinione ait, esse Actum lucidæ formæ: quam dicit esse opinionem Peripateticorum. At cum sit actus Lucidi, quid sit huiusmodi actus, non constat. D. Th. existimat lumen in aëre, & quouis perspicuo esse qualitatem realem, non secùs ac calor, & educi ex potentia materiæ. Alij ex aduerso, vt Scotus in secundo sent. dist. 13. putârunt, Lumen esse aliquid spiritale, & esse repræsentationem Lucidi, non secùs ac per spiritales actiones colorum, repræsententur colores. Quam sententiam ego veriorem existimo, eamq; approbaui in libro de sensu uisus. Et cum de natura, & conditione Luminis varij varia dicant; etiam de consequentibus dissentiunt. Nonnulli enim moto Lucido, putârunt continenter uariari Lumen, ut moto igne, variatur eius actio in corpora varia, recepta. Cuius opinionis fuit Philop. disp. contra Proclum; quod etiam cogitur dicere D. Tho. quia accidens non migrat ex subiecto in subiectum. Alij ex aduerso, putantes Lumen esse spiritalem repræsentationem, aiunt non variari, sed solùm fieri repræsentationem per partes varias medij. Considero Secundò sine controuersia Lumen dici posse actum primò Lucidi, secundò perspicui, tertiò Colorati, quartò Oculi. Est enim actus Lucidi, vt producentis; Perspicui, vt deferentis; Colorati, vt eius quod uirtute Luminis agit spiritaliter; Oculi demùm, tanquam Luce propria & lumine prædìti: ob quam consensionem & responsionem colorata agunt in oculos. Considero Tertiò, quòd cum in Luce, & Lumine considerentur octo gradus in distinctionibus relati, quia ex Luce, vel per metaphoram, vel propriè sumpta, cętera modo aliquo pendent; ideò in rebus quoq; gradus octo illis respondentes locum habent. Nam Lucido respondet Deus. Lux est eius sapientia, quæ est Lux vera. Radij sunt separatæ Mentes, ex Luce proximè prodeuntes. Anima rationis particeps est Lumen, ideò Aristoteles in tertio de Anima 18. Mentem hominis agentem dixit esse similem Lumini. Splendori respondet Anima sentiens & appetitus eius, vt est aptus obtemperare rationi, ita enim splendor rationis in eum effunditur. Anima nutriens, cum sit expers cognitionis, est tanquam Vmbra animæ. Reliquæ formæ infra animam constitutæ, cum sint infra Vitam, sunt tanquam Tenebræ. Materia est ueluti Opacum. Quæ octo ita se habent, vt Opacum prôximè nectatur cum Tenebris; Tenebræ perficiantur per Vmbras; Vmbræ per splendorem; Splendor per Lumen; hoc per Radios; Radij per Lucem, primò Lucido competentem. Et

Priscianus Lydus. *D. Thomas.* *Scotus.* *Varietas opinionum de consequentibus.* *An moto Lucido, mutetur Lumen?* *Lumen actum variorum.* *Octo gradus rerũ respondentes octo gradibus Luminis.* *Catena vere aurea cuncta nectens.*

hæc

hæc est catena, re vera aurea, nectens vniuersum orbem. Considero quartò sententiam fuisse quorundam Academicorum, Deum esse supra Lucem, & originem Lucis. Mentem non participatam, & participatam esse Lucem uel participatam uel non; Animam rationalem esse Lumen. Quæ etiam constituunt triplicem Solem, Diuinum, Intellectualem, & sensibilem. Diuinum dicunt Solis vtriusq; Solem. Intellectualem Solem Angelicum. Solisq; Mundani Solem, sensibilem demùm esse solem cęlestem. Et quemadmodum huius Lumen est imago, & actus Solis cęlestis: Ita Sol cęlestis, eiusq; Lux est imago, & actus Angelici, & Lux, ac Sol Angelicus, Diuini. Addunt etiam, quòd actus supremæ Mentis est Lux inuisibilis; Actus internus Animæ cælorum, & præsertim Mundi, est lumen inuisibile; Actus verò externus est Lumen uisibile ex Lumine inuisibili prodiens. Nam putant ex anima cęli prodire, ac refulgere extrinsecùs in cęlo Lumen, non secùs ac in viuente homine apparet quidam fulgor, qui in defuncto non inspicitur. *Triplex Sol.*

At hæc derelinquantur Academicis. Oritur dubitatio, quia si ex sententia Arist. Lumen in aëre, & perspicuo non educitur ex potentia materiæ, sed potiùs extrinsecùs aduenit, igitur creabitur. Respondeo spiritalia, ut actiones colorum & Lumen, non creari, quia non sunt nouæ productiones rerum, sed solùm repræsentationes præsentium, nil enim transit ex non esse ad esse. Ideò Arist. in secundo de anima dixit, Lumen esse præsentiam Lucidi; Lumen enim non est Lux propagata, vt calor aquę à calore ignis; sed est imago, spiritalis actio, & repræsentatio Lucidi. Dubitatur secundò, num per medium inane possent deferri radij, in eoq; valeat reperiri Lumen? Plotinus censuit radios deferri posse, quia non egent subiecto, nec sunt in subiecto, sed potiùs adsunt: Rectiùs Arist. id inficiatur, nam actus debet alicuius esse actus, & cum sint repræsentatio, egent medio repræsentante, & cum sint actio transiens, debet id reperiri, & quod transeant, ideò iure Arist. in secundo de anima 74. inquit, si inter nos & cęlum mediaret inane, nos non possemus videre Cęlum. *Dubitatio de Lumine. Sol. Altera dubitatio. Plotinus.*

TENE-

DE RERVM DEFINITIONIBVS

ANNOTATIONES.

Constat Lumen esse, latet quid sit. *Opiniones variæ.*

CONSIDERO primò, Lumen esse, ex se constare, quid uerò sit summoperè latere, & ob id uariæ de eo fuerunt ueterum opiniones. Nonnulli putârunt id esse corpus, uel materiatum ut Democritus, Leucippus, & Epicurus, uel materiæ expers, ut Academici. Arist. particula 11. prob. 33. inquit, Radios esse corpora: at id profert ex aliorum sententia, conspicuè enim in 2 de animæ id inficiatur, & ob id aduersus Empedoclem negat ei competere motum. Alij itaq; putârunt Lumen non esse corpus, qui etiam non consenserunt: Nonnulli enim eorum putârunt per decisionem quandam, & effluxum extendi, non secùs ac aqua ex fonte fluit. Quam opinionem Priscianus Lydus in Theophrastum de anima cap. 20. reijcit, & ex propria opinione ait, esse Actum lucidæ formæ: quam dicit esse opinionem Peripateticorum. At cum sit actus Lucidi, quid sit huiusmodi actus, non constat. D. Th. existimat lumen in aëre, & quouis perspicuo esse qualitatem realem, non secùs ac calor, & educi ex potentia materiæ. Alij ex aduerso, vt Scotus in secundo sent. dist. 13. putârunt, Lumen esse aliquid spiritale, & esse repræsentationem Lucidi, non secùs ac per spiritales actiones colorum, repræsententur colores. Quam sententiam ego veriorem existimo, eamq; approbaui in libro de sensu uisus. Et cum de natura, & conditione Luminis varij varia dicant; etiam de consequentibus dissentiunt. Nonnulli enim moto Lucido, putârunt continenter uariari Lumen, ut moto igne, variatur eius actio in corpora varia, recepta. Cuius opinionis fuit Philop. disp. contra Proclum; quod etiam cogitur dicere D. Tho. quia accidens non migrat ex subiecto in subiectum. Alij ex aduerso, putantes Lumen esse spiritalem repræsentationem, aiunt non variari, sed solùm fieri repræsentationem per partes varias medij. Considero Secundò sine controuersia Lumen dici posse actum primò Lucidi, secundò perspicui, tertiò Colorati, quartò Oculi. Est enim actus Lucidi, vt producentis; Perspicui, vt deferentis; Colorati, vt eius quod uirtute Luminis agit spiritaliter; Oculi demùm, tanquam Luce propria & lumine præditi: ob quam consensionem & responsionem colorata agunt in oculos. Considero Tertiò, quòd cum in Luce, & Lumine considerentur octo gradus in distinctionibus relati, quia ex Luce, vel per metaphoram, vel propriè sumpta, cętera modo aliquo pendent; ideò in rebus quoq; gradus octo illis respondentes locum habent. Nam Lucido respondet Deus. Lux est eius sapientia, quæ est Lux vera. Radij sunt separatæ Mentes, ex Luce proximè prodeuntes. Anima rationis particeps est Lumen, ideò Aristoteles in tertio de Anima 18. Mentem hominis agentem dixit esse similem Lumini. Splendori respondet Anima sentiens & appetitus eius, vt est aptus obtemperare rationi, ita enim splendor rationis in eum effunditur. Anima nutriens, cum sit expers cognitionis, est tanquam Vmbra animæ. Reliquæ formæ infra animam constitutæ, cum sint infra Vitam, sunt tanquam Tenebræ. Materia est ueluti Opacum. Quæ octo ita se habent, vt Opacum proximè nectatur cum Tenebris; Tenebræ perficiantur per Vmbras; Vmbræ per splendorem; Splendor per Lumen; hoc per Radios; Radij per Lucem, primò Lucido competentem. Et

Priscianus Lydus. *D. Thomas.* *Scotus.*

Varietas opinionum de consequentibus. *An moto Lucido, mutetur Lumen?* *Lumen actum variorum.*

Octo gradus rerũ respondentes octo gradibus Luminis.

Catena vere aurea cuncta nectens.

hæc

æc est catena, re vera aurea, nectens vniuersum orbem. Considero quartò ententiam fuisse quorundam Academicorum, Deum esse supra Lucem, & ori inem Lucis. Mentem non participatam, & participatam esse Lucem uel parti ipatam uel non; Animam rationalem esse Lumen. Quæ etiam constituunt trilicem Solem, Diuinum, Intellectualem, & sensibilem. Diuinum dicunt Solis triusq; Solem. Intellectualem Solem Angelicum. Solisq; Mundani Solem, sen bilem demùm esse solem cęlestem. Et quemadmodum huius Lumen est imao, & actus Solis cęlestis: Ita Sol cęlestis, eiusq; Lux est imago, & actus Angelici, t Lux, ac Sol Angelicus, Diuini. Addunt etiam, quòd actus supremæ Mentis st Lux inuisibilis; Actus internus Animæ cælorum, & præsertim Mundi, est luen inuisibile; Actus verò externus est Lumen uisibile ex Lumine inuisibili pro iens. Nam putant ex anima cęli prodire, ac refulgere extrinsecùs in cęlo Luen, non secùs ac in viuente homine apparet quidam fulgor, qui in defuncto on inspicitur.

Triplex Sol.

At hæc derelinquantur Academicis. Oritur dubitatio, quia si ex sententia rist. Lumen in aëre, & perspicuo non educitur ex potentia materiæ, sed potiùs trinsecùs aduenit, igitur creabitur. Respondeo spiritalia, ut actiones colorum Lumen, non creari, quia non sunt nouæ productiones rerum, sed solùm reæsentationes præsentium, nil enim transit ex non esse ad esse. Ideò Arist. in seindo de anima dixit, Lumen esse præsentiam Lucidi; Lumen enim non est Lux propagata, vt calor aquę à calore ignis; sed est imago, spiritalis actio, & repræsentatio Lucidi. Dubitatur secundò, num per medium inane possent deferri radij, in eoq; valeat reperiri Lumen? Plotinus censuit radios deferri posse, quia non egent subiecto, nec sunt in subiecto, sed potiùs adsunt: Rectiùs Arist. id inficiatur, nam actus debet alicuius esse actus, & cum sint repræsentatio, egent medio repræsentante, & cum sint actio transiens, debet id reperiri, & quod transeant, ideò iure Arist. in secundo de anima 74. inquit, si inter nos & cęlum mediaret inane, nos non possemus videre Cęlum.

Dubitatio de Lumine. Sol.

Altera dubitatio. Plotinus.

TENE-

TENEBRÆ.

DISTINCTIONES.

Tenebræ internę, & externæ.

QVANDO priuatio cognoſcitur per formam, vt docet Ariſtoteles in 3. de anima 24. proptereà ex dictis de Lumine refulgent attinentia ad tenebras. Et pro diſtinctionibus dico, Tenebras eſſe duplices, internas attinentes ad Mentem, & externas attinentes ad oculos corporis. Inſuper externæ diuiduntur, quia vel ſunt abſoluta priuatio Luminis; vel diminutio. In cęlo ſolùm tenebræ locum habent, ſumptę pro diminuto Lumine, vt apparent in Luna; at non pro abſoluta priuatione, ſemper enim cęlum ſecundum omnem eius partem aliquid Lucis, vel Luminis includit. Agitur de tenebris ad ſenſum viſus attinentibus, ſumptis pro abſoluta priuatione, non pro diminutione.

DEFINITIONES.

Definitio tenebrarũ.

DEFINIVNTVR Tenebræ, quòd ſint perſpicuum poteſtate. Inſuper quòd ſint priuatio Luminis in perſpicuo, vt legitur in ſecundo de anima cont. 70. Inſuper quòd ſint priuatio præſentiæ Lucidi in perſpicuo. Putarem exactè ita eſſe definiendas, Tenebræ ſunt Priuatio Luminis in perſpicuo ex abſentia Lucidi, & impedimento opaci conſurgens.

ANNOTATIONES.

Tenebræ Lumini opponuntur.

Nõ datur potẽtia ad tenebras

De Tenebris opiniones tres. Prima nõ dari.

Secunda Opinio. Dari & eſſe actum.

CONSIDERO primò Tenebras non opponi Lucido, ſed Lumini, nam conſiderantur in perſpicuo, apto recipere Lumen. Conſidero ſecundò, quòd cum Tenebræ ſint priuatio; & non detur priuatio priuationis, ſed formæ; ideò non datur potentia ad tenebras diſtincta ab ea, quæ eſt ad Lumen; potentia enim formam reſpicit. Conſidero tertiò, de tenebris tres præſertim fuiſſe opiniones. Nonnulli putârunt tenebras abſolutè in vniuerſo non reperiri, veluti, Iulianus in lib. de ſole. Fundamentum eorum eſt, quia Lumen adeò potens eſt, ut nullum corpus ei valeat obſiſtere, & cum ſit ſpiritale, nullum materiatũ valet ei eſſe impedimento, & adeò ſalutare eſt omnibus, vt cuncta id appetant, cum ab eo perficiuntur, & ſeruentur. Prætereà: vt inquit Simplicius in ſexto Phy. ne cęli ſint ſphæræ imperfectæ, debent vſque ad centrum per cuncta meare. Hinc Priſcianus Lydus in Theophraſtum de anima cap. 17. inquit, tenebras eſſe Lucem minimã, Lucemq; opacam. Cum itaq; cęlum mortalia ſeruet Lumine, & motu; oportet niſi motum, ſaltem Lumen per cuncta meare. Altera opinio eſt, tenebras re vera dari, easq. non eſſe priuationem, ſed actum Luci oppoſitum, vt nigredo eſt contraria albedini. Qui ſunt huius opinionis, inquiunt,

Cęlum

Cęlum & Terram opponi, oppositosq; actus producere: Cęlum emittit Lumē, ideò terra debet emittere tenebras, ei contrarias: Et quemadmodum Lumen sequitur color, ita tenebras frigus, quas etiam esse actum, & formam ex eo patet, quia lædunt oculos, ingerunt timorem, pariunt bilem atram, & frigus, quod facere non ualet pura priuatio. Verior tamen est opinio media, approbata ab Arist. quòd dentur tenebræ, & quòd sint priuatio Luminis. Eas dari sensu visus patet; Esse autem priuationem, ex eo constat, quia sequuntur absentiam Lucidi, prodeunt ex solo impedimento opaci, & in oculos nullam inferunt actionem, eosq; nulla specie formant; si autem videntur aliquid efficere, id eis competit ex accidenti; & ob connexa cum illis. Similiter rationes pro prima opinione facilè diluuntur: ideò eas missas facio. Considero quartò, quòd cum tenebræ opponuntur non Luci, sed Lumini, ideò dicuntur priuatio Luminis in perspicuo. Ex quo infero in terræ soliditate non reperiri tenebras, quia non est apta recipere Lumen, solùm dici debet opaca, non tenebricosa, ideò in visceribus terrę non reperiuntur tenebræ, præterquam in cauitatibus eius, aëre plenis. Similiter extra Mundum non reperiuntur tenebræ, cum non inueniantur corpora perspicua. Considero quintò, in dubium verti, quid sit prius, num Lumen, vel tenebræ? nam tenebræ uidentur præire, ortus enim progressus est ex priuatione ad habitum; Hinc in Genesi vespertinum tempus, denotans tenebras, præfertur matutino denotanti Lumen, nam legitur & factus est vespere, & mane, dies vnus, &c. Cui difficultati respondendum censeo, se habere de tenebris, & Lumine, perinde ac Arist 9. Met. dixit se habere de actu & potentia. nam vel considerantur in eodem tendente ex priuatione & potentia ad actum, ac ita potentia & priuatio origine antecedunt; vel considerantur absolutè, vt sunt in uniuerso, qua consideratione actus & forma prior est, vt etiam legitur in 3. de anima 27. quo loci additur pendere ex actu omnia, quæ fiunt; ac ita rectum est prius obliquo; Lex prior peccato; Bonum malo; & vniuersè actus priuatione; & illæ quæ ante primum ortum Lucis dicuntur tenebræ, non propriè sunt tenebræ, & priuatio, sed potiùs negatio Luminis. Demùm considero priuationes sensibilium non posse quidem iudicari sine externo sensu, vt tenebræ sine oculis, silentium sine auribus, non tamen ab eis perfectè iudicari. Nam docet Arist. in 3. de anima 25. pro iudicio priuationum duo requiri. Primum, vt iudicans sit potestate, ita enim percipere valet se non moueri ab obiecto; Alterum est, vt in eo sit forma opposita, ideò tenebræ iudicantur per Lumen, memoria seruatum: Memoria autem non competit externo sensui. Ex quo colligo prius ab animalibus iudicari Lumen, quàm iudicentur tenebræ, & quamuis dum oriuntur, frequenter primò prodeunt in tenebras, non tamen primò eas iudicant.

Tertia opinio uerior.

Diluuntur rationes aduersæ.

Intra terrā non sunt tenebræ.

Nec extra Mundū.

Quid prius nū Lumen vel tenebra.

Externi sensus nō exactè iudicāt priuationes.

MOTVS.

DIVISIONES.

Motus per Metaphoram. Propriè.

VSVRPATVR nomen motus per metaphoram & propriè. Per metaphoram extenditur etiam ad ea, quæ sunt soluta à corpore, veluti de Mente se intelligente dicimus mouere seipsam. Propriè autem solis corporibus competit, vt in sexto Phy. docet Arist. Insuper motus ad corpora pertinens adhuc diuiditur; vel enim vsurpatur latè pro quouis actu in corpore recepto, siue perfecto, siue imperfecto; vel præssiùs pro actu imperfecto, tendente ad perfectionem. In priore significatione illuminatio & actiones colorum in medium & in sensus, dicuntur motus. Dum verò vsurpatur pro actu imperfecto, etiam diuiditur; vel enim vsurpatur latiùs, vt includit etiam ortum, & interitum, in qua significatione definitur ab

Pro mutatione & pro motu ab ea distincto.

Arist. sub initio tertij Phy. vel, vt contradistinguitur ab ortu & interitu, vt explicatur ab Arist. sub initio quinti Phy. Præterea diuiditur motus; vel enim vsurpatur pro fluxu ac ita ad quantitatem pertinet, vt elicitur ex 5. Meta. cont. 18 vel pro forma, quæ per fluxum acquiritur: in qua significatione Arist. in 3. & in 5.

Pro fluxu.

Phy. ait attinere ad quatuor prædicamenta, nimirùm ad substantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi. Hæc distinctio traditur ab Auer. in 3. Phys. com. 4. & in 5. Phy. com. 9. Insuper motus sumptus pro forma, quę acquiritur, siue pro fluxu

Pro forma quæ acquiritur.

iuncto formæ Diuiditur in alterationem attinentem ad qualitatem, accretionem, & diminutionem, attinentes ad quantitatem; Lationem attinentem ad vbi, siue locum; & generationem ac interitum, attinentes ad substantiam. Quæ ab Arist. in quinto Phy. distinguuntur à motu præssiùs sumpto, & nomine mu-

Motus simplex & mixtus compositus.

tationis denotantur. Insuper diuiduntur motus in simplices, & compositos ex motibus distincti generis: simplices sunt duo soli, latio, & alteratio: hi enim soli fieri possunt seorsùm ab alijs, nam accretio non fit sine alteratione, latione, & generatione: Generatio & interitus non fiunt sine alteratione. Ideò iure Plato duos dixit esse motus, Alterationem, & Lationem, denotando simplices Plato-

Simplex & mixtus.

nem mox sequutus est Gale. in libr. de Methodo medendi. Insuper diuiditur motus in simplicem, & mixtum ex motibus eiusdem generis, qua diuisione vtitur Arist. in 1. de Cęlo, inquiens, Motum simplicem esse simplicium corporum,

Secundum Naturam & præter.

mixtum verò mixtorum. Præterea diuiditur motus, in secundum naturam, & præter naturam: si fuerit secundum naturam, vel erit secundum naturam, totius, & partium, ut motus ignis sursùm: vel secundum naturam totius, non autem partium, vt se habet de motu animalium, qui quamuis sit secundum naturam totius animalis, cum sit ab anima, quæ est internum principium; tamen est contra naturam corporis apti secùs moueri, vt docet Arist. in octauo Phy. cont. 27. Ex aduerso si fuerit præter naturam; vel erit contra naturam pro-

Secundum se secundum partem & ex accidenti.

priam, vt motus ignis deorsùm; vel erit non secundum naturam propriam, sed supra eam, & secundum naturam cōem, & vniuersi, veluti motus ignis in orbē, qui etiam dicitur raptus quidam diuinus, & eminēs. Insuper motus cōpetit mobili, vel secūdū se, vt homo ambulat; vel ex accidenti, vt albū ambulat; vel secū-

dum

dum partem, vt homo sanatur, dum curatur oculus. distinctio traditur ab Arist. sub initio quinti Phy. Motus secundum partem in 8. Phy. redigitur ad motum ex accidenti: differt tamen ab eo, quia motus ex accidenti non ualet esse secundum se, vt album non valet secundum se ambulare: at qui est secundum partem, ualet esse secundum se, veluti dum parti tribuitur, & dicimus, Oculus curatur. Prætereà diuiditur in motum nouum, qualis est motus mortalium, & æternum, qualem censuit Arist. esse motum cęli. Diuiditur etiam motus ab Ari. in 2. & 3. de anima, in motum siue passionem cum interitu, ut calefactio aquę cum interitu frigoris, uel sine interitu, sed cum sola perfectione, vt sensus dicuntur moueri à moderato obiecto, qui tamen minus propriè motus est, comparatis in uicem propriè sumptis motibus. Latio minimè omnium est cum interitu, solùm enim dicitur cum interitu, quatenus est recessus à termino à quo, qui non internus, sed externus est mobili. Insuper diuidi potest motus secundum naturam, quia uel est secundum naturam, infra animam constitutam, de quo id verum est, quòd in progressu & propè finem redditur uelocior, uel est secundum naturam ad animam extensam, qualis est motus animalium, & præsertim hominis, qui motus propriè dicitur animarius; Et est duplex, uel enim fit spontè, uel inuitò: Si spontè, uel absolutè, uel pro tunc, & pro oblata occasione, uelu ti nautæ imminente periculo naufragij, spontè dicuntur proijcere merces in mare. Diuidi etiam potest motus in artificiosum ex habitu artis prodeuntem, & sine Arte factum. At cum motus sit multiformis, præsertim quæritur definitio motus propriè sumpti, qui corporũ est, & intra suos terminos etiam ortum & interitum includit, ut definitur ab Aristo. in 3. Physicorum.

Motus nouus & ęternus.

Cum interitu et sine

Secundum Naturam infra animam et includentem animam.

Spontè & inuitò.

Arte & non arte factus.

DEFINITIONES.

CVM motus sit non species una, sed commune genus, non quidem uniuocum, sed ab uno; non actus perfectus, sed cum potentia iñ ctus; ideò difficile est una exacta definitione illum circumscribere. Inquit Arist. in 3. Phy. motum ab alijs nimirùm à Pythagora, & Platone fuisse definitum per alteritatem, inæqualitatẽ, & non ens. Nam Pythagoras pro contrario denotante priuationem & non ens, statuebat motum, cui opponebat statum: & Plato in Sophista modo aliquo motum dixit non ens; at non quidem absolutè, sed quatenus ob potestatem, & priuationem adnexam cum non ente est permixtus. Nec Pythagoras censuit motum esse absolutam priuationem, sed solùm nouit cum priuatione esse iunctum, & ob id denotare conditionem deteriorem, corporibus competentem: statum uerò denotare formam, & conditionem pręstantiorem, competentem formis à materia solutis. Et dum motum dicunt inæqualitatem, nil aliud indicant, nisi id quod nomen mutationis Ari. denotare dixit in quinto Phy. post aliud aliud. Nam in motu summa varietas est inter terminos, qui oppositi sunt; in medio autem continenter apparet varietas, dissimilitudo, & inæqualitas. Arist. motum sumptum pro fluxu iuncto formæ includentem etiam ortum & interitum in 3. Phy. definiuit, Primò, quòd sit actus eius, quod est potestate, vt est potestate. Secundo, quòd sit actus rei mobilis, vt est mobilis. Tertiò, quòd sit actus motoris, & mobilis, vt est potestate: nam motoris & mobilis pro fundamento & absoluto idem est actus; ratione tamen distinctus. Ob quam distinctã rationem, & formã, constituit duo prædicamenta, unũ actionis, alterũ passionis.

Quid motus ex Pythagora et Plat.

Definitiones ab Ari. tradita.

Definitio exactior. Ego autem non recedens ab Arist. sed progrediens per eius fundamenta dico, Cum motus sit affectio, pendens ab efficiente pro suo esse, & conseruatione; & dirigatur in finem; dum consideratur pro fluxu, iuncto formæ, potest per omne genus causæ hũc in modum definiri. Motus est actus mobilis, vt mobile est, prodiens ex motore pro assequendo fine, siue pro attingendo termino ad quẽ. Hęc definitio etiam competit ortui, & interitui. Si autem volumus motum definire contradistinctum ab ortu & interitu, cum Ari. in quinto Physicorum, debemus dicere, Motus est actus motoris & mobilis, vt est mobile, quo subiectum actu ex vno contrario in aliud tendit. Mutatio verò dicta de ortu, & interitu, est actus permutantis, & permutabilis, qui inter esse & non esse versatur. Motus autem consideratus pro solo fluxu, qui redigitur ad prædicamentũ quantitatis, & vnà cum tempore, dicitur quantitas cõtinua, hunc in modum definiri potest, quòd sit quantitas continua, constans ex partibus positione carentibus, contrarijs circumscripta terminis, ex motore prodiens, recepta in mobili & apta tempore mensurari.

ANNOTATIONES.

Primum. Motus pro fluxu est quantitas actio, & passio. CONSIDERO primò, quòd Auer. motum, pro fluxu consideratum, dixit esse passionem, & prædicamentum passionis constituere: at quamuis per relationem ad motorem sit actio, per relationem ad mobile sit passio, ex se tamen, cum includat continuum, ad prædicamentum quantitatis redigitur. Considero

Secundũ. Motus cũ energia ẽ, tùm entelechia. Secundò, motum ab Arist. dici & energiam, & endelechiam; nam est actio motoris, & perfectio mobilis, ex quo conspicuè patet endelechiã apud Ari. non denotare motum perennem, vt censuit Cicero, alioquin esset idẽ, ac definiendo motum dicere, Motum esse motũ perennem, quod est absurdũ.

Tertium. Omnis motus est generatio quædam & interitus. Considero tertiò, quòd cum per omnem motum aliquid deperdatur, & aliud acquiratur: omnis motus potest dici quædam generatio: & quidam interitus; Hinc generatio diuiditur in generationem simpliciter, quæ est substantiæ, & generationem secundum aliquid, & est accidentiũ, quæ per cęteros motus acquiruntur. Et hoc affirmauit Ari. tum in 5. Phy. tum in octauo, cont. 23. tum in primo de ortu & interitu, tum demùm in 4. de cęlo, per omnem enim motum aliquid deseritur, & aliquid acquiritur, vel secũdum totũ, vel secundũ partes; ideò omnis motus est ex non esse ad esse, nam termini motus sunt duo contraria; termini ortus & interitus sunt duo contradictoria; de omnibus cõtrarijs vera sunt contradictoria, vt de albo & nigro, dicimus album & non album, ut non de cũctis contradictorijs vera sunt contraria, quia substantię competit contradictio, non autem contrarium; ideò omnis motus est quædã generatio: non vice versa.

Quartum. Sententia Academicorum. Plot. Quarto loco considero, quòd cum ex sententia Ari. omnis motus sit mutatio, nõ autem vice versa. Ex sententia Academicorum contra se habet, nam motum statuunt communiorem mutatione, adeò vt omnis mutatio sit motus, non è cõtrario. Hinc Plot. En. 6. li. 3. de generibus entis c. 21. inquit, Probabilius pro genere motum ponimus, quàm transmutationem, quia transmutatio naturam rei mutans aliud in alio, in medium affert; motus autem & hoc quidem significat, & præter hoc denotat etiam progressionem quamlibet, priore interim natura seruata. At lis est de voce, vt rectè considerauit Simpl. in quinto Physic. cont. 9. *Simpl.*

Quintum. Considero quintò, Aristotelem tribuere motum, includentem etiam ortum

& in-

& interitum, solùm quatuor prædicamentis: cum tamen cuncta sub prædicamentis contenta ortui, & interitui sint obnoxia. Hinc Simplicius cunctis prædicamentis motum tribuit, & iure Simpl. id affirmat, quia mos eius est, Arist. exponere per Platonem, vt eos, velint nolint, reddat concordes. Plato enim cunctis sub Deo positis motum tribuebat, ut mox referam. Nunc autem cum Arist. dico motum attinere ad prædicamenta intelligi posse varijs modis. Primò, sumendo motum pro forma, quæ per motum acquiritur, & est terminus per se motus; qua consideratione Arist. solùm quatuor prædicamentis motum tribuit: ea enim sola valent esse termini per se & primi motus. Secundò considerari potest absolutè, & vniuersè pro omni quouis modo tendente ex non esse ad esse: ac ita extenditur ad omnia decem prædicamenta, nam cætera prædicamenta præter quatuor relata, uel sunt quidam motus, vt actio, & passio: motus autem non valet esse per se terminus ad quem motus, vel variantur non primò sed per consecutionem, ut denotantia relationem, quę dicuntur esse & non esse sine ortu & interitu, propriè sumpto, vt dicitur in 1. li. de Cęlo. Si autem tertiò motus consideratur pro solo fluxu, ita est quantitas continua, adeò ut sine controuersia dicere ualeamus, motum esse in solo prædicamento quantitatis, esse in quatuor prædicamentis, & demùm in omnibus. *Quomodo motus sit, & non sit in omni prędicamento.*

Considero sextò, Aris. in 3. Phy. negasse motum posse statui genus unum, cum non sit natura una in omnibus eadem, sed aliquid ab uno in uarijs uarium: Plato tamen motum numerat inter quinque communia genera rerum, quę censuit esse, Essentiam, Motum, Statum, Identitatem, & Alteritatem, quæ cunctis sub Deo positis competere iudicauit. Nam in Deo solùm habet locum Essentia, Status, & Identitas: in cęteris autem ob recessum à Deo locum habet potentia, & ob eam alteritas quædam, & motus. Nam Plato latiùs sumpsit nomen motus, quàm Arist. Et per genera rerum non denotauit prædicamenta, quæ sint genera uniuoca, sed communia quædam ab uno, adeò ut lis præsertim pendeat ex nominibus generis & motus, uario modo sumptis. *Sextum. Motum nõ esse genus. Cõmunia genera ex sententia Platonis.*

Quod ut distinctiùs pateat, considero septimò, Apud Academicos latiùs usurpari nomen motus, quàm apud Peripateticos. Ideò Simpl. in 3. Phy. 11. inquit, Plato omnem actum dicit esse motum, considerando agentis actionem secundum exitum ex substantia in operationem: At Arist. motum esse actum fatetur; uerùm non omnem, sed solum imperfectum. Academici quatuor considerant motuum genera, Primum tribuunt Menti, quam moueri aiunt ab esse ad agere. Alterum tribuunt Animę, quam moueri dicunt per rationes, essentiali quodam non transeunte, sed immanente motu. Tertium corporibus, quæ mouentur motu transeunte, ab alio recepto. His addunt quartum, quod est incompositum, inordinatum, primáq; excitatio, & propensio ad generationem, quo motu, ante Mundi ortum dicebat Plato in Timæo moueri materiam Mundi. Constat itaq; apud Academicos motum latiùs usurpari. *Septimũ. Quatuor motuum genera.*

At redeundo ad Arist. considero octauò, Ex definitione motus ab Arist. tradita, elici primò actum agentis & patientis eundem esse, ideò dicitur actus motoris & mobilis: Secũdò elici, quòd cum motus dicatur actus agentis & patientis, vt sunt potestate: potestatẽ illá tributá motori esse efficientem; tributá uerò mobili patientẽ. Tertiò elici aliquid non posse mouere se sine vlla distinctione, nam motus debet esse actus non vnius, sed duorũ, nimirũ mouentis & mobilis per potentias oppositas, vnam agentem, alteram patientẽ. Quartò elici in ratione motus esse, vt sit continuus; omnis enim actus imperfectus ad perfectionem tendens, necessariò continuation em includit, vt in lib. de motu latè patefeci. Demùm elici motum non gigni, sed esse ortum vnius, & in- *Octauum. Primum quod elicitur ex diff. motus. Alterum. Tertium. Quartum. Quintum.*

 teritum

teritum alterius; nam per actum imperfectum motoris, & mobilis res aptę gigni ex potestate, rediguntur ad actum. propterea minus rectè nonnulli aiunt, motum continenter fieri; rectiùs dicimus, per motum continenter res gigni; generationis enim non datur generatio. Considero nonò, quòd cum motus definiatur ab Aristotile: primò, quòd sit actus eius, quod est potestate, quatenus est potestate. Secundò, quòd sit actus rei mobilis, vt est mobilis; non debemus dicere primam esse definitionem secundum formam, alteram secundum materiam, vt ait Auer. Ambæ enim materiam, & formam explicant. Sed dicendum, primam esse per voces magis Metaphysicas, alteram magis Physicas; nisi dicamus primam dici secundum formam, quatenus est per voces communiores; alteram secundum materiam, quatenus est per voces magis proprias.

Motus non fit, sed eo fiunt alia. Nonum.

QVIES,

QVIES AC IMMOBILITAS

DISTINCTIONES

EX declaratione motus multa refulgent attinentia ad quietem;& præsertim distinctiones variæ,ob id in paucis morabor. Aristoteles in quinto Phy.cont.20.accipit Imobile,& ait vsurpari quatrupliciter, Primò pro non apto moueri, vt inane dicitur immobile. Secundò, pro eo quod cum difficultate incipit moueri, vt magnus Lapis in culmine Montis. Tertiò, pro eo quod tardè mouetur, vt testudo dicitur immobilis. Quartò, pro eo quod cum sit aptum moueri, non mouetur vbi, quando,& quomodo aptum est moueri, vt homo sedens,& lapis sursùm detentus, quæ immobilitas propriè dicitur quies. Quæ quies, vel est violenta, vel secundum naturam. Insuper vel est quies, quæ sit priuatio motus secundum locum, vel quæ sit priuatio alterius motus, vt accretionis, siue alterationis. Insuper quies consideratur, vel in termino à quo, vel in termino ad quem. Præterea dantur hæ voces Nō moueri, Immobile, Manens, Stans,& Quiescēs videlicet quæ aliqua affinitate sunt coniunctæ, quarum Non moueri latior est, cum enim sit vox infinita, conuenire potest tum his quæ sunt, tum his quæ non sunt, vt dicitur in lib.de interpretatione: nam de inani dicimus Non moueri. Sequitur deinde Stare & Manere, quæ solùm his competūt, quæ sunt, latiores tamen sunt uocibus reliquis: nam Quiescentia omnia & Immobilia dicuntur stare, & manere, non autem uice versa. Demùm datur Immobile & Quiescens, quæ non sunt subordinata, sed opposita; nam uerè Immobile non est Quiescens; nec Quiescens est Immobile, sed id solùm dicitur propriè quiescere, quod cum aptū sit moueri, vbi, quando, & quomodo aptum est moueri, non mouetur. Horum tamen principalia sunt Quiescens & Stans, quæ etiam principaliter considerabuntur.

Quadruplex Immobilitas.

Voces variæ explicantur.

DEFINITIONES.

QVIES, vniuersè sumpta, est priuatio motus in subiecto nato moueri. Quies violenta est mansio in termino quiescenti aduerso ex principio externo prodiens. Quies secundum naturam est mansio in termino ad quem mobile per naturam, est procliue. Insuper est actus naturæ corporis apti quiescere, ut aptum est. Status cum immobilitate iunctus, quieti autem oppositus, est constans, & inuariabilis conseruatio conditionum rei stantis, vt stare dicitur.

Quies uniuersè. *Violenta.* *Secundum Naturā.* *Status, siue immobilitas.*

ANNO-

DE RERVM DEFINITIONIBVS

ANNOTATIONES.

Primum: Status antecedit.

CONSIDERO primò, qnòd cum dentur hæc tria, Status cum immobilitate iunctus, Motus, & Quies; Si in vniuerso absolutum ordinem consideramus, Status antecedit, sequitur Motus, postrema est Quies. ratio est, quia principium motus Deus est, qui stare dicitur de quo cecinit Boëtius,

Stabilisq; manens das cuncta moueri.

Quies autem præsupponit motum cum presupponat aptum moueri; non au tem motus præsupponit quietem, ut patet de cęlo. Hinc rectè enunciauit Simplicius in 8. Phy. quòd qui destruunt motum, etiam destruunt quietem, non tamen destruunt Stare, & Manere. Considero secundò, ea, quæ stare, manere, & immobilia dicuntur, præsertim esse quatuor in vniuerso, nimirùm Deus, Poli, Centrum, & Mundus totus; quorum quatuor Deus primus est, & est origo immobilitatis Cęterorum. Ideò rectè Arist. in 8. Phy. 52. enunciauit, manente primo, necessariò manere vniuersum, quod continuatur cum eo. Considero tertiò, quietem & mansionem siue statum considerari posse in attinentibus ad omnem motum, & mutationem, quia tamen latio est motus principalior, ideò præsertim considerantur in attinentibus ad eam. Considerò quartò, Primò Pythagoram, mox Platonem dixisse statum & quietem denotare formam, & actum; motum verò potentiam & priuationem. Arist. uerò dixisse quietem esse priuationem motus. Ideò non exigua refulget controuersia, quam tamen non est difficile componere, nam Pythagoras & Plato considerarunt immobilitatem, & mansionem, competentem Deo, & seperatis Mentibus quæ est conditio eminens, verè actus, vereq; perfectio, cui opponitur conditio mobilitatis & inconstantiæ corporum, quæ ex potentia prodit, & imperfectionem denotat, quod sententiæ Arist. ne dum non aduersatur, verum maximè est consentaneum. Si autem mox loquimur de propriè sumpta quiete, ea si fuerit violenta; verè est priuatio & praua; At si fuerit secundum Naturam ea potest dupliciter considerari. Primò cum relatione ad actum motoris, ac ita dicitur priuatio. Secundò cum relatione ad locum proprium, siue terminum ad quem, quiescenti per naturam consentaneum, qui dicitur forma quiescentis, ac ita dicitur actus, & perfectio, non priuatio: hinc Arist. in 4. de cęlo 24. dixit tendere in suum locum est tendere ad formam: & de Elementis dicimus ea moueri, vt quiescant, adeò ut quies sit finis motus eorum; finis autem forma est. Ex quo elicio naturæ mortalium magis consentaneam esse quietem ipso motu: declaratur tamen magis per motum, quia motus magis cadit sub sensum, & lucidiùs patefacit vires naturæ, quàm quies. De hoc tamen est lis aliqua inter Auer. & Them. quam missam facio. Considero quintò ne dum motum, uerùm etiam quietem posse dici actum principij eius, & rei quiescentis, quod ostendo, quia Arist. in 2. Phy. circumscribens causam efficientem, eam circumscripsit ne dum per esse principium motus, verùm etiam mãsionis & quietis, quia etiam quies est actus. Quod confirmatur, quia in calce secundi de cęlo ostenditur, naturam terræ esse principium quietis Terræ in suo loco, quod non rectè diceretur, nisi quies esset quidam actus naturæ, & propterea etiam quies mensuratur tempore: & ut quies violenta est actus quidam inferentis violentiam & detinentis, ita quies secundum naturam; Et confirmatur, quia (vt apparuit) quies secundum naturam est quædam

Secundum. Quatuor, quæ in universo verè stant. *Tertium.* *Quartum. Status denotat formam.* *Motus priuationē, & uice uersa.* *Arist. cū Pythagora conciliatur.* *Quies est affinior Naturæ mortaliū; motus tamē clarius eam explicat.* *Quintum.*

quædam forma,& propterea quidam actus naturæ seruantis eandem dispositionem. Et hinc dubia mihi est sententia Auer.in 5.Phy.con.62.dicentis,quietem solùm esse priuationem motus;motui autem contrarium esse motum. Nā quamuis sit priuatio eius actus qui est motoris vt motor,absolutè tamen,& penitùs priuatio non est;ut patuit. Considero sextò,quòd quamuis maxima oppositio consideretur inter quietem violentam,& motum naturalem; comparādo tamen cęteras oppositiones,magis quies uiolenta uidetur opponi quieti naturali, quàm motus violentus motui naturali.Ratio est,quia inuicem magis opponuntur extrema,quàm media:quies uiolenta,& naturalis,sunt duo extrema, cum sint in oppositis terminis; motus autem mediant; dicantur tamen motus magis opponi,dum illi considerantur,vt actus;hæ uerò ut priuationes. Considero septimò,motum,& statum siue mansionem opponi inter se,& Simplicius in 8.Phy.ait opponi oppositione contraria;ambo enim formam denotant.At uerè contraria dici non debent,quia Deo, cui maximè competit manere & stare nihil est contrarium,ut inquit Arist.in 12.Metaph.possunt tamen dici contraria, sumendo contrarium latè pro conditionibus ualdè diuersis. Considero octauò, dari in uniuerso exactissimam mansionem, cum nullo motu permixtam, qualis saltem est mansio Dei,non tamen dari motum sine iuncta mansione,siue quiete,ut in calce quinti Phy. docet Arist. Nam omne quod mouetur partim est in termino à quo,partim in termino ad quem,& mouetur quidem ut est in termino à quo,ut autem est in termino ad quem,dicitur quiescere, quia illum possidet, & alium quęrit. Similiter non datur motus sine quiete, quia omne, quod mouetur,exposcit aliquid manens circa quod moueatur,ut in lib. de môtu animalium,docet Philosophus.Dubium tamen est,an detur aliquid ita quiescens,ut nullo pacto penitùs moueatur? Heraclitus,Eratilus,Academici id negārunt. Propterea dixit Plotinus,quæ uidentur quiescere, non absolutè quiescunt,sed tardiore motu mouentur. Id ipsum uidetur affirmare Arist. in lib. de long.& breu.uitæ;in 8.tamen Phy.cont.23.eam sententiam arguit. At ab Arist. non recedens dico,dari quidem quietem aliquam, ueluti in loco sine motu in loco, non tamen ita ut id tunc, motu aliquo non moueatur & præsertim alterationis. Rerum enim definitum est tempus conseruationis secundum maximum, ut dicitur in primo de cęlo cont.100. & ideò continenter ad finem illum accedunt; ut de hoc alibi latiùs. Nam de motu latiùs sum loquutus in lib. de communibus affectionibus corporis Physici.

Sententia Auer.

Sextum.

Septimū.

Octauum. Datur mā sio exactissima nō autem ita motus.

An detur quiescens penitus?

GENE-

GENERATIO, ET INTERITVS.

DISTINCTIONES.

Generatio per metaphoram. Ad animã attinens. Attinens ad corpus.

VSVRPATVR generatio, uel per metaphoram, ut ſolem & Stellas oriri, & occumbere dicimus, uel propriè pro omni tendente ex non eſſe ad eſſe. Generatio huiuſmodi, uel ad animum pertinet, uel ad attinentia ad corpus: ad animũ pertinet generatio habituum animi ſecundarum notionũ, poëmatum, & ſimilium: Generatio attinentium ad corpus, triplex eſt, uel ſuper naturam, ut creatio Mundi; quæ etiam poteſt eſſe rei incorporeæ, uel infra naturam, ut quæ fiunt Arte, uel per naturã. Generatio ex natura pendens duplex eſt, uel ſimpliciter, uel in parte. Generatio ſimpliciter; uel eſt ſimpliciter abſolutè, ſecundum quam dicimus ſubſtantiã ſimpliciter gigni, accidentia autem in parte; uel ſimpliciter non abſolutè, ſed facta comparatione, & tunc comparatis ortibus accidentium ad inuicem, ortum præſtantioris, uelun caloris, dicimus ſimpliciter, imperfectioris uerò ſecundum aliquid; ſimiliter comparatis ortibus ſubſtantiarum, ſi fuerint perfectiorum, ut hominis, dicuntur ſimpliciter, imperfectiorum uerò, ut cadaueris, & uermium, ſecundum aliquid, ut docet Philoſophus in primo de ortu & interitu. Ex aduerſo generatio in parte, quæ eſt accidentium, uel eſt primò ut quantitatis & qualitatis, uel eſt per conſecutionem, vt relationis, & indiuiſibilium, quę dicuntur eſſe, & non eſſe, ſine ortu & interitu, ut legitur in primo de cęlo & in 8. Phy. Inſuper Ariſt. in primo de cęlo, pro eliciendis ſignificationibus Geniti, Ingeniti, Corruptibilis, & Incorruptibilis, quatuor indicauit eſſe conſideranda, nimirùm actum, facultatem, modum, & facilitatem, ſiue difficultatem, ex quibus quatuor eliciuntur earum uocum principaliores ſignificationes. Nam, ſi actum inſpicimus, omne quod ex non eſſe tranſiuit ad eſſe, dicitur genitum; ſi conſideramus facultatem, omne quod ex non eſſe ualet tranſire ad eſſe, dicitur generabile; ſi conſideremus modum, ſolùm id, quod per generationem ex non eſſe tranſiuit, uel tranſire poteſt ad eſſe, dicitur genitum, uel generabile; demùm ſi conſideramus facilitatem, uel difficultatem, ſolùm facile aptum gigni dicitur generabile, oppoſitum uerò ob difficultatem, dicitur ingenerabile. Id ipſum dicendum de alijs uocibus, nimirùm de Ingenito, corruptibili & Incorruptibili. Demùm prętermiſſis Metaphoris, ſeptem retulſerunt ſubordinatæ ortus, & interitus conſiderationes, ſecundum quas uario modo generationem definiam, relatis primò opinionibus uarijs Veterum Philoſophorum.

Simpliciter, & in parte.

Quatuor conſideranda ꝑ ſignificationib⁹ Geniti.

Septẽ conſiderationes ort⁹, et interitus.

DEFINITIONES.

Generatio ex ſententia Anaxagorę. Ex opinio Emp.

VETERES cum putárint non ſubſtantiam, ſed ſola accidentia uariari, non ueram, ſed ſolam apparentem generationem conceſſerunt. Ideò ex ſententia Anaxagoræ definitur generatio, quòd ſit rerum in mixtione latentium ſecernentis ope in Lucẽ exitus. Ex opinione Empedoclis, quòd ſit quatuor Elementorũ conſpiratio, & connexio; ex quorum uaria proportione uaria prodirent. Ex

ſententia

sententia Thaletis, Diogenis, Heracliti, & multorum, quòd sit condensatio, vel rarefactio eius Elementi, quod materiam rerum esse putârunt. Ex opinione Democriti, Leucippi, & Epicuri, quòd sit conspiratio, & connexio variarum atomorum, conditioni rei producendæ congruentium. Ex opinione Parmenidis, quòd sit constitutio à calido, & frigido earum dispositionum, quæ rebus varijs sint consentaneæ. Ex opinione Pythagoræ est participatio essentialium numerorum, conditionem rei gignendæ constituentium: numeri autem essentiales erant Ideæ. Demùm ex Sententia Platonis, generatio est imitatio Idearum, à permutante per materiæ semina in materia refulgens. At prætermissa opinionum varietate, considerans gradus uarios generationis singulorum distinctas, tradam definitiones. Potest primò considerari generatio latissimè, ut intra suos terminos etiam creationem includit, & definietur, Quòd sit cōstitutio rei, cui non repugnet esse, à generante ex non esse in esse. Secundò, vt excludit creationem, includit tamen etiam generationes in parte, & definitur ab Arist. in 3. Phy. quòd sit actus generantis, & generabilis, vt est potestate. Tertiò consideratur, ut contra distinguitur à motu, saltem ratione: & definitur in 5. Phy. quòd sit transmutatio ex non esse ad esse, interitus uerò ex esse ad non esse: & ambæ hæ mutationes diuiduntur. Nam, vel uersantur in substantia, & dicūtur transmutationes ex non esse simpliciter ad esse, siue ex esse simpliciter ad non esse; vel uersantur in accidentibus & dicuntur ex non esse aliquid, siue in parte. Hinc omnis motus est generatio quædam, mutatis terminis contrarijs, in contradictorios. In omni enim contrarietate includitur contradictio, at non vice versa; ideò non omnis generatio potest dici motus. Quartò consideratur generatio ut contradistinguitur ab ea accidentium, & est communis omni substantiæ mortali, & definitur ab Arist. in 1. de ortu & interitu, quòd sit mutatio ex nō toto in totum, nullo sensibili manente, ut subiecto eodem, nam in motu seruatur idem subiectum actu sub utroq; termino: in generatione autem subiectum actu uariatur: adeò ut uarietur & absolutum nomen, & absoluta definitio. Quintò consideratur, & definitur sub initio quarti Meteorum pro ortu mixtorum consimilium, opposito Putredini, & dicitur permutatio à primis quatuor qualitatibus, cum agentes rationem susceperint à patientibus, congruentem naturæ rei gignendæ. Sextò adhuc pressiùs consideratur, quatenus est officium animæ nutrientis, & dicitur officium naturæ, maximè consentaneum animæ nutrientis per semen, quo uiuens perfectum seruat se æternum specie. Septimò cōsideratur, ut affectio corporis uiuentis, per generationem constituti, & definitur in lib. de Morte & uita, quòd sit prima participatio animę nutrientis in proprio calore: uita autem est mansio eius.

[Margin: Thaletis. Diogenis. Heracliti. Democriti Leucippi. Epicuri. Parmenidis. Pythagoræ. Platonis. Generatio latissimè sumpta. Minus cōmunis. Contradistincta à motu. Generatio substātiæ. Pro ortu mixtorū. Generatio viventiū. Ut affectio viventis.]

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, quòd cum ex definitione motus, tradita ab Arist. in 3. Phy. eliciatur continuatio, & ea definitio etiam competat ortui & interitui; ortus quoq; & interitus continui erunt. Quod eis competit duplici ratione. Primò, ut fiunt, & iunctā habēt alteratione. Secundò, quia sine Elementorū permutatione, nulla fit generatio; ut dicitur in con. 3. Secundi de ortu & interitu. Elementa autem & formæ mixtorum, ut suo loco patefeci, recipiunt magis & minùs. Considero Secundò, quòd cum priuatio accipiatur in definitio

[Margin: Primum. Generatio duplici ratione est continua. Secundum]

ne

Priuatio est principium per se ortus. ne ortus & interitus: & Ingredientia definitionem competant per se, ea iudicari debet per se principium ortus, & interitus, non autem rei genitæ, ut recte etiam in 1. Phy. affirmauit Simplicius. Considero tertiò Arist. in 1. Phy. 71. & in 1. de ortu & interitu 11. dubitare, an detur Generatio? in 1. tamẽ Phy. cõmunius dubitat an ens fiat? in lib. autem de ortu & interitu præssius, an detur generatio simpliciter? illæ tamen duæ difficultates in unam ueniunt, quia Veteres nomine entis solam substantiam denotabant. Fundamentum difficultatis est, quia omne quod fit, ex sui negatione dicitur fieri; quare si fieret ens, fieret ex non ente: & si fieret ens simpliciter, fieret ex simpliciter non ente; at simpliciter non ens est nihil, ex nihilo autem nil fit. Considero hanc rationem vim habere, & cogere pro ostensione, quòd ens vniuersè & absolutè sumptum nõ fiat; quod profectò verissimum est, & approbatur ab Arist. nono Met. Nam per naturam ens absolutè gigni non potest, sed solùm hoc & illud ens, quod fit ex negatione sui, & ex ente potestate, vt patefeci in primo Physicorum. Considero quartò, ortum & interitum iure posse in dubium verti, quia omnis transmutatio est media inter suos terminos; termini ortus & interitus sunt cõtradictiones; contradictio autem est oppositio, cuius non est medium secundum se, vt dicitur in 1. post. Confirmatur, quia Indiuisibile caret medio, forma per generationem dicitur momento educi, & per interitum momento desinere, quare ortus & interitus non mediant. Pro solutione primæ instantiæ considero, quòd cũ ea, quæ fiunt, dicantur fieri ex sui negatione, non tamen fiunt ex negatione absolutè, sed ex negatione sui, iuncta cum facultate. Ideò dicebat Philosophus in 1. Phy. 43. & 44. album fieri ex non albo non ex quolibet, sed ex nigro, vel medio, hoc est ex negatione sui, iuncta cum potentia & priuatione. Et quamuis contradictio absoluta, & vniuersè sumpta careat medio; contradictio tamen considerata in parte est medio prædita, veluti inter album, & non album, non quidem omne sed aptum fieri album, cum sit priuatum albedine, multa mediant, veluti generatio, nec est album aliquid, nec tale non album vt sit aptum fieri album. De altera difficultate, quia in indiuisibili non reperitur medium, dico primò generationem non fieri momento, vt iam apparuit. Addo secundò, quòd dum considera tur fieri aliquid indiuisibile, veluti relationem, illuminationem, & similia, id semper sequitur motum aliquem antecedentem, tamquam medium; id autem indiuisibile terminus est, non autem aliquid medio præditum.

Tertium. An detur generatio simpliciter? Fundamentum. Ens uniuersè non fit. Dub. Sol. Contradictio considerata in parte, non caret medio.

LATIO.

LATIO.

DIVISIONES.

DIVISIONES lationum conſpicuæ ſunt ex diuiſionibus motus: plurimæ enim earum competunt Lationi, vt præſtantiſſimæ omnium motuum. Ariſt. nomine Lationis denotauit omnem motum ſecundum locum, quamuis id nomen propriè denotet motum ab alio,& in alio factum, veluti dũ onus ab aliquo deferẽ, ea propriè cùm latio tùm de latio dicitur,vt monet Ariſt. in quinto Phy. 18. Diuiditur Latio,vel enim eſt ſecundum naturam,vel præter naturam:Si fuerit ſecundum naturam diſtribuitur in tres gradus,vel enim eſt cęleſtis & æterna; vel animaliũ ab anima,vt à propria natura prodiens ; vel inanimorum per propriam eorum naturam,infra animam poſitam. Motus præter naturam ſimiliter eſt triplex; Vel enim eſt ſupra naturam,vt ignis mouetur in orbem,qui frequenter dicitur motus ſecundum naturam totius,& raptus diuinus;Vel eſt contra naturam, vt motus ignis deorsùm ; Vel infra naturam,vt motus artificioſus, qui etiam contra naturam,& mixtus eſſe poteſt. Inſuper motus contra naturam, & violentus diuiditur;vel enim eſt tractio,vel pulſio,vel vectio,vel vertigo & reuolutio quorum prima ſunt tractio & pulſio,vt patet ex 7.Phy.Prætereà diuiditur motus in vnum,& plures;Vnus eſt qui eſt vnius mobilis,ab vno motore, in vno tempore,ad terminum vnum;Plures uerò,qui carent aliqua harum conditionum, nã pro deſtructione ſatis eſt vnum,pro conſtructione requiruntur omnia. Inſuper motus vnus diuiditur in rectum,orbicularem,& mixtum; Rectus, in motum ſursùm,& deorsùm.

Latio vel ſecundum naturam uel præter.
Latio ſecũdum naturã triplex.
Præter naturam triplex.

DEFINITIONES.

LATIO, vniuersè ſumpta,eſt actus motoris & mobilis ſecundũ locum,vt poteſtate eſt. Latio ſupra naturam eſt motus ſecundũ locum,quo contenta ſub orbe ſuperiore,vt partes vniuerſi reuoluuntur,vt eis licet,motu diurno,qui motus totius nuncupatur. Latio ſecundum naturam eſt motus ſecundum locum,prodiens ex propria natura rei mobilis,vt eſt mobilis. Latio uiolenta eſt motus ſecundum Locum, pendens ex motore externo cum oppoſita propẽſione ad illum motum.Latio artificioſa eſt motus ſecundum Locum, à motore externo,habitu Artis directo.Pulſio eſt latio,prodiens ex pellẽte recepta in re pulſa,ut apta eſt pelli,per intermedium,quod pellẽti inſeruiat. Tractio eſt latio ad ĩd,quod trahit,rei quæ trahitur,ut trahi poteſt.Vectio eſt actus uehentis,& rei, quæ uehitur,ut apta eſt uehi.Vertigo,& Reuolutio,ſunt actus uertentis ſiue reuoluentis,& rei quæ uertitur,ſiue reuoluitur,ut apta eſt uerti,ſiue reuolui. Motus ſimplex ſecundum naturam,eſt motus per lineam ſimplicem, uel à medio, uel ad medium,uel circa medium,competens corpori ſimplici per propriam eĩus naturam.

Latio uniuersè ſumpta.
Supra naturam.
Secundum Naturam
Violenta.
Artificioſa.
Pulſio.
Tractio.
Vectio.
Vertig.
Motus ſimplex.

DE RERVM DEFINITIONIBVS

ANNOTATIONES.

Circumlatio principatum obtinet.

Cur latio simplex circumscribatur per medium?

Motus rectus Elementorum.

Scoti sententia.

CONSIDERO primò, Arist. in octauo Phy. ostendere lationem præstare cæteris motibus, & inter lationes circumlationem principatum obtinere. Insuper ex eiusdem sententia in 1. de Cęlo elicitur, Lationes simplices esse circumscribendas per medium. Cuius ratio prima est, quia medium vniuersi est nobis notius, quàm extremum. Altera, quia est vnum, simplex, & indiuisibile, cui conditio mensuræ optimè competit. Tertia, quia maximè indicat connexionem omnium trium simplicium motuum. Insuper omnes concedunt in vniuerso medium, non autem ita concedunt sursùm, & deorsùm ex natura rei, veluti Academici. Secundò considero motum rectum Elementorum ab Academicis non iudicari secundum naturam, sed reditum in naturam. Aiunt enim elementa, vel secundum naturam moueri in orbem, vt tria superiora, vel secundum naturam in suo loco manere, vt terra. Considero tertiò, Scotum in 2. sent. putasse motum debere dici secundum naturam solùm ratione principij patientis: adeò vt nisi patiens fuerit ad eum motum procliue, motus ille non valeat dici secundum naturam. Eius tamen sententia Aduersatur Aristo. qui in 8. Phy. 27. ait motum animalium esse secundum naturam, quamuis sit contra propensionem mobilis: Aduersatur etiam rationi, quia denominatio præsertim petenda est à principio præstantiore; huiusmodi autem est ea natura, quæ est forma, non autem materia. Quartò considero, quòd cum detur motus supra naturam, qui & motus totius, & diuinus raptus dici potest, dum comparatur cum motu secundum naturam. Ille absolutè eminentior, prętantior, & saluberior iudicari debet; Hic verò magis proprius, naturæq; propriæ magis consentaneus. Demùm considero iure quæri posse, num omnis Latio exposcat aliquid quiescens? ac etiam num omnis Latio fiat trahendo & pellendo? quas difficultates, cum diluerim in digressione de motu, & in lib. de motu animalium, missas facio.

Motus super naturã præstat alijs.

AL-

ALTERATIO.

DISTINCTIONES.

ALTERATIO præsertim quatuor modis vsurpatur. Primò, prò spiritali permutatione, & repræsentatione, qualem dicimus esse illuminationem per Lucidi præsentiam, & actiones visibilium. Secundò, pro permutatione vnius consimilis substantiæ in alteram, vt nubis in aquam, & sanguinis in carnem, quæ ab Arist. in 1. Phy. 63. nuncupatur alteratio secundum materiam. Tertiò usurpatur prò permutatione facta secundum magis & minus in eâdem specie motus, ueluti Medici frequenter aiunt pulsum esse alteratum. Hoc denotauit Arist. in 5. Phy. 19. inquiens, Quæ autem est in eâdem specie mutatio secundum magis & minus alteratio est: & dicitur alteratio quia permutatur constitutio, ordo, & dispositio motus, quæ sunt tamquam qualitates eius. Quartò usurpatur maximè propriè pro qualitatum tertiæ speciei permutatione, quæ primò competit quatuor primis qualitatibus, mox cæteris, quæ ex illis pendent. Diuidi potest Alteratio, in simplicem & mixtam; in secundum naturam & præter naturam; in spiritalem, & materiatam; In Alterationem animi, corporis, & congregati. Animi alterationes nuncupantur illæ, quæ etiam dicuntur perturbationes eius, vt ira, timor, & similes, quamuis non fiant sine instrumento corporis. Similiter diuiditur in Alterationem cum interitu, & fine interitu, vt diuiditur ab Arist. in 2. de anima.

Alteratio usurpatur quadrupliciter.

Variæ diuisiones alterationis.

DEFINITIONES.

DEfiniri primò potest Alteratio cum Arist. in 3. Phy. quòd sit actus alterantis & alterabilis, vt alterabile est. Insuper quòd sit motus primarum quatuor qualitatum, ad tactum attinentium, vel pendentium ex illis, prodiens ex alterante, receptus in alterabili, vt alterabile est. Alteratio spiritalis est actus perfectus spiritaliter ex agente prodiens, in perspicuo receptus, pro medij perfectione & obiecti repræsentatione. Alteratio, sumpta pro vnius substantiæ in alteram permutatione, definiri debet; vt generatio: Sumpta verò pro permutatione in aliquo motu facta secundum magis & minus, vt dicitur alterari pulsus, est permutatio in motu secundum velocius & tardius sine ordine, & varietate speciei motus. Dico sine ordine, quia quamuis motus grauium, & leuium in suum locum continenter reddatur velocior; non propterea alterari dicitur, cum seruet ordinem, suæ conditioni competentem.

Alteratio propriè sumpta.

Alteratio spiritalis.

ANNOTATIONES.

Duo capita alterationum.

ALTERATIONES in duo prima capita rediguntur: uel enim sunt spiritales, & momento factæ, quæ dicuntur actus perfecti; uel sunt ueri motus, & permutationes corporum. Actus perfectè non dicuntur fieri, sed esse, & non esse, sine ortu & interitu, ut etiam cuncta indiuisibilia: & quamuis sint sine motu; sequuntur tamen motum in alio factum, ut illuminatio sequitur præsentiam Lucidi. Oritur dubitatio de disciplina, quæ ab Aristo. in 3. Physi. cont. Septimo (ut legenti græca uerba patet) inter motus numeratur, & ad solam alterationem pertinere uidetur; nec patet ad quod relatorum capitum redigatur. *Dub.* Similiter in 7. Phy. cont. 20. legitur, Patet itaq;, quòd alteratio in sensilibus est, & in sensitiua animæ parte, in alio autem nullo, nisi ex accidenti &c. In 2. etiam de anima cont. 37. inquit Philosophus, Sensus autem quædam alteratio esse uidetur, nihil autem sentit sine anima. Insuper dubitationem pariunt perturbationes animi, ut Ira, Timor, & similes, ob quas frequenter homines alterari dicuntur, cum tamen ex primis quatuor qualitatibus huiusmodi alterationes prodire non uideantur. Pro solutione relatarum difficultatum dico, *Sol.* Alterationem attingere facultatem sentiendi primò ratione spirituum; ei inseruientium, secundò ratione proprij organi. Vt pertinet ad spiritus, sola eorum effusio, uel contractio non est alteratio, sed motus secũdum locum; tunc solùm adest alteratio, dum spiritus excalescunt, uel refrigerantur, uel suo calore partes alterant, in quas effunduntur. Vt uerò pertinet ad propria instrumenta, ea & per spiritus, & per uehemens sensibile alterari possunt. Insuper in sensu, & disciplina locum habent, tum alteratio quædam spiritalis, tum latio spirituum, tum aliqua per primas qualitates alteratio uel ex spirituum agitatione, uel ex alio pendens. Loquens demùm de animi perturbationibus dico, similiter in eis considerari posse cùm spirituum effusionem, tùm eorum in primis qualitatibus permutationem, quæ re uera est alteratio; Addo etiam in perturbationum commotionibus, frequenter eam solam perturbationis originem dici alterationem, quatenus qui turbatur, secùs tunc se habet ac priùs. Et est modus quidam alterationis similis tertię significationi eius, quem puto denotasse Arist. in 7. Physi. cont. 20. dicentem, sedantur autem, & desinunt perturbari aliquando à natura, aliquando uerò ab alijs, in utrisq; autem his alterari aliquid accidit, sicuti dum excitatur, & redditur uigilans. ad actum &c. ita communi uoce uiros, perturbatione commotos, dicimus alteratos.

AC-

ACCRETIO.

DISTINCTIONES.

IN libro de accretione, cumulatè attinentia ad eam explicaui; ideò breuis ero. Accretio, & Diminutio tribuuntur varijs, quibus vel magis vel minus propriè competunt. Vt autem significationes in ordinem redigantur, ita dicēdum puto. Accretio est motus, attinens ad quantitatem. Quantum duplex est, vnum ex accidenti, alterum secundum se. Ex accidenti qualitates extensæ in subiecto quantæ dicuntur, quæ crescunt, vel extensione, vel intensione. Quantum secundum se duplex est, unum Discretum, alterum Continuum: De Discreto dicimus numerum crescere in infinitum: Loquendo de Continuo, hoc uel crescit adueniente aliquo externo, uel nullo; si nullo hoc contingit dupliciter, uel cum interitu, ut dum aqua uertitur in vapores, uel sine interitu, ut dum aër densus rarefit. Si crescit adueniente aliquo externo, uel adueniente simili, uel dissimili; Simili quidem adueniente crescunt flumina per pluuias; Si uerò accretio fit adueniente dissimili, uel id mutatur in naturam alterius, uel ne. Si non mutatur, sed solùm apponitur, tunc uel consurgit uerè unum, ut de quadrato aiunt Geometræ, apposito gnomone, uel non consurgit uerè unum, sed simul, tantùm, ut crescit aceruus hordei, addendo grana tritici. Si conuertitur in aliud; uel id fit non uera conuersione, ut crescit uinum, infundendo aquam; uel uera conuersione, & hoc uel non seruatis omnibus conditionibus principalissimæ accretionis, ut ignis crescit per ligna apposita, uel seruatis conditionibus omnibus, qualis est ea uiuentium per animam nutrientem, quæ, ut est principalissima, ita præsertim consideratur.

Accretionis diuisio.

Principalissima accretio.

DEFINITIONES.

DEfinitur Accretio ab Arist. in 3. Phy. quòd sit actus augentis, & rei, quæ augeri potest, ut res apta est augeri. Similiter Diminutio est actus minuētis, & rei, quæ minui potest, ut apta est minui. Hę definitiones de omni Accretione & Diminutione ueræ sunt. At si Accretionem maximè propriè sumptam definire uolumus, dicēdum puto, Accretionem esse motum, quo ex imperfecta ad perfectiorem molem corpus uiuens perducitur, per alimentum ab anima nutriente permutatum, quod sua quantitate ampliores reddat omnes partes, secundū formam consideratas, ut uiuens naturalia opera exactiùs perficere ualeat. Diminutio, ei opposita, dici potest motus, quo ex perfectiore in imperfectiorem molem omnes partes corporis uiuentis secundum formam consideratæ perducuntur, ob imbecillitatem attinentium ad animam nutrientem, quæ minus alimenti ualet in substantiam uiuentis conuertere, quàm fuerit dissolutum.

Definitio communis

Principalis.

DE RERVM DEFINITIONIBVS

ANNOTATIONES.

Accretio est motus maximè mixtus.

Termini accretiōis.

Cur in definitione Diminutionis non apparet finis?

Quomodo verū definita sit moles?

CONSIDERO primò accretionem omnium mutationum maximè esse compositam; includit enim mutationem in Substātia, Quanto, Quali, & Vbi, vt consideranti veriorem accretionē notum est. Considero Secundò non leuem esse difficultatem de terminis eius. Ego tamen vnà cum Arist. in 3. 5. & 8. Phy. sumpsi perfectam molem, & imperfectā, quæ relata ad varia viuentia varia sunt; Perfectum autem definitur in quarto Meteorum, vt sit id, quod valet simile procreare. Tertiò considero in definitione Diminutionis iure non fuisse relatum finem, nam Diminutio cū sequatur materiam, & imbecillitatem, non est propter finem, nisi ex accidenti, quatenus vnius interitus est ortus alterius. Quartò considero rerum molem, naturā constantium, definitam esse per maximum & minimum, vt legitur in 1. Phy. contra Anaxagoram, & in 2. de Anima 41. Quod tamen maximum, & minimum variorum varium est. Hinc eorum, quæ crescunt, & minuuntur, definiti sunt termini, quod maxime verum est ex parte formæ, nam ex parte materiæ, & continui, Physicus corpus ait, esse aptum diuidi in infinitum: non autem inquit posse crescere in infinitum: quia hoc aduersatur etiam conditioni materiæ, non aptæ in infinitum rarefieri, & extendi: Id tamen dicitur à Mathematicō, quia abstrahit à materia sensibili. At occurrit dub. quia Arist. in 2. de anima 41. inquit, Ignem crescere in infinitum, si adesset cōmbustibile, quare id non repugnat formæ. Respondeo, secùs se habere de numero indiuiduorum speciei, qui definitus non est, secùs verò de mole singulorum indiuiduorum, de qua dictum est, quòd sit definita: Elementa autem ita se habent, vt sint eorum indiuidua iuncta, quorum maximum, & minimum fundamento est idem, & sola ratione distinguitur, & est id quod valet seorsùm subsistere, & simile generare. Quomodo Accretio, & Diminutio valeant esse motus continui, & alia ad hunc motum attinentia, partim in lib. de Motu, partim in eo de Accretione latè patefeci: ideò missa facio.

Dub.

∴

ACTVS.

DIVISIONES.

ACTVS, qui ab Arist.& ἐντελέχεια, & ἐνέργεια dicitur, est vox latissima, quæ effunditur per omnia prædicamenta; eleuatur super ea; & descendit etiam ad collocata sub eis. Diuiditur actus, quoniam vel vsurpatur pro superaddita relatione ad potentiam; vel pro absoluto: Dum consideratur cum superaddita relatione, dicitur opponi potentiæ, & esse ad aliquid: Dum uerò usurpatur pro absoluto, diuiditur ab Arist.in 2.de Anima cont. 5. nec non in 8. Phy. 31.in actum primum, & secundum. Actus primus est duplex; Vel est actus præsentiæ, siue existentiæ extra suam causam in ordine rerum, & dicitur entitatiuus, respondens potentiæ obiectiuæ; Vel est actus essentiæ, qui adhuc est duplex, vel latè sumptus, pro ratione propria, & specie cuiuslibet rei. In qua significatione Arist.in 1.Phy.cont.60.& 66.dixit Materiam à Priuatione distingui specie, hoc est, ratione, & forma, quæ dicitur propria cuiuslibet rei ratio, & formalitas. Vel hic primus actus essentiæ magis propriè vsurpatur, nimirùm pro eo, qui propriè forma est. Qui adhuc est duplex: vel enim est secretus à materia, vel est materiatus. Secretus est duplex, vel primus absolutè, & huiusmodi est solus Deus, quem Aristo.in 12.Metaph. 49.appellat endelechiam primam, vel pendet ex primo, quales sunt reliqui motores Cœlorum, & cum eis Mens hominis. Ex aduerso actus primus Materiatus, uel est substantia, uel accidens: utrumq; enim frequenter Arist. appellat nomine entelechiæ. Insuper vel est forma totius, vel partis. Actus autem secundus operatio est, & magis propriè dicitur ἐνέργεια, qui est duplex uel enim est idem cum essentia operantis, ut in Deo se per essentiam intelligente, vel ab ea distinguitur, ut in mortalibus, & materiatis. Qui etiam diuiditur, in immanentem & transeuntem 9. Met. 16. Prætereà secundus actus à primo distinctus est duplex; uel enim est perfectus, & totus simul, ut illuminatio, & creatio; uel imperfectus, tendens ad perfectionem, ut motus. Actus præsertim definiendi sunt quatuor, nimirùm Actus præsentiæ, Actus primus, Actus secundus; & Actus relatus ad potentiam, nam Actus uniuersè sumptus

∴

non est natura una, in omnibus eadem.

∴

Actus est latissimus.

Actus primus, & secundus.

Act' præsentiæ, & essentiæ.

Actus perfectus & imperfectus.

Quatuor actus definiendi.

DEFI-

DEFINITIONES.

Academici. — Actus latè sumpt⁹. — Actus præsentiæ. — Actus primus secundus. — Actus entis pro absoluto. — Pro relato.

NOnnulli Academicorum definiunt Actum, quòd sit splendor Diuini boni, competens Deo per essentiam, cæteris per participationem. Actus latè sumptus est conditio propria uniuscuiusq; , per quam est, cognoscitur, & distinguitur ab alijs. Actus præsentiæ est rei essentia extra suam causam constituta. Actus primus est forma, quam apta est sequi operatio. Actus secundus est operatio, sequens formam. Actus sumptus in diuisione entis, dū diuiditur per actū, & potentiam, est gradus, modus, & tamquam differentia prima & potissima entis, à potentia, tanquam ab altero gradu contradistincta, quæ uel est forma, uel formam sequitur. Actus pro relato ad potentiam, est perfectio, qua id, quod est potestate, perficitur, & ex eis pro fundamento sumptis per se unum constituitur, ex octauo Met. 15.

ANNOTATIONES.

Quomodo ens dicitur de actu? — Endelechia. — Actus secundus est operatio. — Actus est idē suo fundamento. — Actus, & potentia quomodo opponantur?

CVm actus non sit natura vna, sed apprimè uaria, non rectè ualet una definitione circumscribi; nec ei genus propriè competit; neque etiam propriè dicitur differentia entis, cum ens non sit uerè genus: propterea dicitur gradus primus entis, & modus quidā, eius, & per similitudinem quandam eius affectio: & cum non sit propriè differentia, sed gradus, & modus, dubitare non debemus, quomodo ens de eo dicatur, cum genus non prędicetur de sua differentia, ut est sententia Arist. nam commune, de modis & gradibus eius dici potest. Insuper considero, quòd cum Actus latè sumptus ab Arist. dicatur ἐντελεχεια minus rectè Cicero in Academicis, & Tusculanis suis dixit, id nomen denotare essentiam quintam, ex qua Sydera & Animi constarent, ab Arist. pro anima denotanda formatum, quo nil cum sententia Arist. pugnantius dici potest, ut alibi patefeci. Præterea tertiò considero, quòd cum Arist. diuidat in 2. de Anima Actū in primum, & secundum, & conspicuè per actum secundum denotet operationem, ut uarijs exemplis patefacit; minus rectè Auer. per actum secundū censuit denotari formam operantem. Nam forma operans non est actus unus, sed aliquid conflatum ex utrisq; : ideò non actus dicitur, sed forma actu prædita, ut alibi declaraui. Quartò considero, Actum sumptum pro absoluto non distingui à fundamento, sed solùm distingui pro superaddita relatione, dum consideratur, vt relatus ad potentiam, veluti etiam de potentia dicendum est. Demùm considero, quòd Auer. in 1. de anima com. 8. inquit, Actum & Potentiam esse differentias valdè oppositas, & ambire omne genus: dicūtur autem opponi per relationem, vt etiam materia & forma inuicem referri dicuntur in 2. Physi. 26. Nec obsunt quorundam instantiæ dicentium, relata non mutuò se destruere, sed simul esse Naturā; at potentia, & actus mutuò se destruunt, & præsente vno abest alterum. Soluitur autem hæc instantia, quia relata, vt sint simul, debent eodem modo accipi: potentia respicit futura, & ideò dum adest potentia, actus futurus est; pro fundamento autem sumpta simul sunt, vnum perficit alterum, & ex eis per se consurgit vnum, adeò vt non propriè se mutuò destruere dicantur, sed potiùs perficere.

POTENTIA.

DIVISIONES.

DIVISIONES Potentiæ præſertim patent ex diuiſionibus Actus. Diuiditur potentia nam uel propriè ſumpta eſt, uel per Metaphoram, ut ea Mathematicorum, ſecundũ quam dicimus lineam poſſe extendi in infinitum. Potentia propriè ſumpta, uel eſt efficiendi, uel patiendi, Scotus addit tertium membrum, & eſt non repugnantia ex parte obiecti; at quia ea nil ponit, quod in rerum ſerie inueniatur præter facultates agentis vel patientis: ideò ad eas redigi debet, & præſertim ad eã agentis; id autem, cui nil repugnat vt ſit, rectiùs dicitur obiectum potentiæ agentis. Inſuper Potentia, vel eſt uiolenta, vt lapis poteſt proijci ſursùm, vel eſt ſecundum naturam, vt lapis valet deſcendere ad centrum. Præterea uel eſt potentia ad actum primum, hoc eſt, ad formam, vel ad actum ſecundum, nimirùm ad operandum. Inſuper Potentia ad actum ſecundum, uel refertur ad actum perfectum, ut facultas illuminandi, uel ad imperfectum, ut potentia ad motum. Præterea Potentia efficiens, uel operatur cum ratione & ſelectione, uel per naturã: ſi operatur cum ratione, uel eſt facultas contemplandi, vel agendi vt Prudentia, vel efficiendi, vt Ars. Inſuper vel ea Potentia eſt nobiſcum genita, vel aſſuetudine ſiue Arte acquiſita, vt dicitur 9. Met. cont. 10. Diuiditur etiam Potentia in eodem nono Met. cont. 2. nec non in 5. Met. cont. 17. quia vel abſolutè eſt Principium operandi, vel ipſius bene & facilè operandi, vt quæ competit agentibus maximè paratis, ac etiam patientibus. Præterea diuiditur ab Ariſt. in lib. de interpretatione, quòd vel excludit actum, vt ſedens poteſt ambulare, vel actum includit, nam etiam de ambulante dicimus, quòd poſſit ambulare, niſi enim poſſet ambulare, non ambularet, ut etiam dicitur 5. Met. cont. 17. Inſuper diuiditur, quia vel uſurpatur pro fundamento, uel pro ſuperaddita relatione; & eſt idem ac ſi dicamus, vel conſideratur intrinſecùs uel extrinſecùs. Demùm diuiditur, quia potentia uel ſequitur naturam & conditionem rei, ut poteſtas primæ materiæ, uel conſurgit ex diſpoſitionibus eius, ut potentia materiæ proximæ.

Potentia propria, et per metaphoram. Efficiendi & patiendi. Violenta, & ſecundũ Naturã. Ad actũ primum, & ſecundum. Ad actum perfectũ, & imperfectum. Vel cũ ratione, vel ſine. Vel principium operandi, uel ipſi⁹ bene. Vel actum includit, vel excludit. Pro fundamento, & pro ſuperaddita relatione. Vel ſequitur conditionem ſubiecti, vel cõſurgit ex diſpoſitionibus.

DE-

DEFINITIONES.

Potentia cõmunis. *Potentia ipsius bene.* *Potentia ad actũ primum.* *Potentia efficiendi, & patiendi.* *Potẽtia relata ad mẽsuram.* *Potẽtia pro gradu entis.*

POTENTIA communis Agenti & Patienti est principium primum permutandi aliud, quatenus aliud, vel per quod patiẽs ab altero permutatur, vt elicitur ex 5. Metaph. cont. 17. & ex 9. Metaph. cont. 2. Potentia facilè, vel bene operandi, siue patiendi definitur, quòd sit Principium facilè, operandi in aliud, vel ab altero patiendi, consurgens ex congruente dispositione, primo agenti, vel patienti super addita. Similiter addendo congenitum, vel assuetudine, siue Arte acquisitum, explicantur ea, quæ sunt propria, vel congenitæ, vel acquisitæ potentiæ. Potentia relata ad actum, qui forma est, siue potentia ad actum primum, est subiectum priuatum forma, & aptum eam recipere. Insuper dici potest affectio subiecti priuati forma, vt aptum est eam recipere. Potentia verò efficiendi est principium producendi in alio formam, vel specie, vel genere, uel uirtute consimilẽ. Insuper Potentia patiens; pertinens ad materiam, ut pro absoluto, ab ea non distinguitur, potest definitionibus materiæ circumscribi, ut potentia agens, definitione efficientis. Insuper potentia efficiens, relata ad suam mensuram, est facultas, quæ per maximum quod potest definitur: Impotentia uerò per minimum quod non potest. Ex aduerso Potentia patiens definitur per minimum, à quo pati ualeat: Impotentia uerò per maximum, à quo non potest pati, ut elicitur ex primo de cęlo cont. 115. & 116. Demùm Potentia sumpta pro gradu entis, contradistincto ab actù, est modus siue gradus secundarius entis, ab actu contradistinctus, ad materiam pertinens.

ANNOTATIONES.

Potẽtia refertur ad varia. *An potẽtia distinguatur à fundamento.* *An potentia agat in aliud, uel patiatur ab alio?* *Solutio.* *Scotus.* *D. Th.*

PRIMO' distinctè considerare debemus, quòd potentia uel consideratur pro gradu secundario entis uel cum relatione ad agens, uel ad patiens, uel ad formam, uel ad actum secundum, uel ad mensuram, uel ad esse absolutè, ut ea non repugnantiæ, & quouis modo consideretur, ex dictis elicitur eius definitio. Secundò considerandum occurrit, quòd Ex attinentibus ad potentiam, & eius definitiones, non leues emergunt ambiguitates. Quarum principalissima est, an potentia sit distincta à suo fundamento? Insuper est dubitatio quomodo Potentia definiatur per esse principium transmutandi aliud, cum multa transmutentur ab interno principio, adeò ut transmutent seipsa, ueluti Physica. Insuper cum dentur operationes immanentes, ut uisio, ac etiam cum dentur potentiæ efficientes sine permutatione, ueluti natura, quæ est Principium quietis; Mens, quæ est Principium intelligendi; Sol, qui est principium illuminandi sine motu: & creans; & Mentes abiunctæ se intelligentes dicuntur operari seorsùm à permutatione. Ordiens à prima difficultate, num potentia distinguatur à suo fundamento, adeò ut sit qualitas fundamẽto superaddita, uel ipsummet fundamentum, solùm superaddita relatione? Scotus negat distingui, Diuus Th. id affirmat, Ego uerius puto non distingui, nisi ratione. Nam ea, quæ sunt, non debent iudicari multa sine necessitate, & Arist. nũquam indicauit distingui. Quod patet, quia definitiones potentiarum ab eo traditæ, præsertim ueræ sunt de fundamento, ueluti quòd sint principia permu-

tandi,nam etiam ueræ sunt de Potentia Dei,quæ proculdubio non distinguitur ab essentia. Et confirmatur per secundam animæ definitionem, quæ est, quòd sit Principium nutriendi,sentiendi,intelligendi & mouendi secundum locum. Id ipsum patet ex 9. Met. cont. 3. quo loci Artes omnes dicuntur potentiæ, & cont. 10. sensus dicitur potentia,& cont. 13. Natura quoq; dicitur potentia: hæc autem fundamenta sunt. Insuper nunquam Arist. seorsùm potentiam pro aliquo distincto à fundamento declarauit:sed in 2. de Anima cont. 33. solùm tria in anima considerauit, nimirùm obiectum, officium, & facultatem, quæ est ipsamet anima: 2. in cont. 50. inquit, Est autem id, quo alitur duplex, ut quo gubernatur,& manus,& temo,indicando ea duo esse animam & calorem,dimittēdo potentiam distinctam,alioquin essent tria: Hinc semper potentiam cum essentia coniunxit,ueluti in 2. de Anima 21. ait de Intellectu & contemplandi potentia; & in cont. 34. Anima nutriens dicitur cōmunis potentia,per quam inest ui uere omnibus; & in 48. legitur huiusmodi animæ principium potentia est talis ut saluet habens ipsum; Et sub initio lib. de Iuu.& sen. inquit Philosophus, Aliæ igitur,Animę aut partes aut Virtutes,quomodo oportet nuncupare dimittatur nunc; & demùm in 2: de Gen. Anim. cap. 3. declarat Philosophus potestates Animæ educi ex potentia seminis,non autem ex anima fluere. Eadem fuit sententia Alexandri,approbata ab Auer. in 7. Phy. con. 20. nec non in 5. Metph. 19. & iure nam ea potentia est relatio quædam,quæ nec à fundamento secernitur,nec internam constituit compositionem,sed solùm superaddit externam relationem,& distinctam rationē,ut declarat Auer. in 3. disp. in fol. 14. d. Eiusdē quoq; opinionis fuit Galenus in lib. quòd animi mores sequantur corporis temperamentum cap. 2. Et confirmantur hæc omnia,quia Arist. frequenter potentias animæ nuncupat partes,cum tamen qualitas non sit pars sui subiecti, & in 3. de Anima 29. negat facultatem appetendi seiungi à sensu; & in cont. 42. inquit distingui inter se ratione, ut si essent qualitates absolutè dicerentur distinctæ. Verùm obijciunt, nonnulli,quia ut esse se habet ad posse, ita essentia ad Potentiam: at in mortalibus esse, & posse distinguuntur; quare etiam essentia à Potentia. Insuper potentia & impotentia ab Arist. constituitur pro secunda specie qualitatis,cum tamen fundamentum sit substantia. Prætereà dempta omni relatione,& ratione, potentia uidendi differt à potentia ambulandi, quòd non contingeret si cum tertio,nempè cum fundamento essent idem. Insuper si potentia solùm addit externam relationem,uel est relatio secundum esse, uel solùm secundum dici: si secundum esse,igitur differt à substantia: si secundū dici, contra,quia ante omnem operationem Mentis,facultas uidendi differt ab ea audiendi. Prætereà conspicuè Arist. in 3. Phy. duplici ratione in cont. 9. & 10. ostendit potentiam à suo fundamento distingui. Demùm addunt actum & potentiam esse eiusdem generis,cum itaq; actus secundus,qui est operatio,sit accidens; potentia quoq; eius principium,debet esse accidens. Ex aduerso tamen conspicuè Arist. in 1. Phy. 82. uolens affirmare materiam secundum propriam essentiam non interire,dixit non interire secundum potentiam, sumens potentiam pro essentia. Rationes aduersæ facilè diluuntur. Dicebatur primò, ut esse ad posse &c. ea ratio peccat per fallaciam æquiuocationis,nam dum Arist. in 3. Phy. 31. ait in æternis esse & posse non distingui, considerauit esse & posse pro obiecto adeò ut quod potest esse,etiam fit. modò autem dubitatio est de potentia,relata ad fundamentum,adeò vt esse pro fundamento, & posse operari nec in æternis nec in mortalibus distinguantur. Dicebatur secundò Potentiam esse qualitatem. Respondeo, Potentiam pro dispositione subiecti esse qualitatem, at non

Alex.

Gal.

Obiectio.

Solutiones

ACTIO ET PASSIO

DIVISIONES.

ACTIO, latè sumpta, uel est eadem cum essentia agentis, ut sapientia Dei, uel est ab ea distincta. Actio distincta uel est sine motu, ut creatio, uel cum motu; si cum motu, uel est actio spiritalis, cum motu metaphorico iuncta, ut colores dicuntur agere in sensum uisus, uel realis. Et hęc est duplex uel enim usurpatur latè, uel pressiùs pro opposita ei Passioni, quæ est alteratio: si usurpatur latiùs, tunc est communior motu, & tanquam genus eius; si verò pressiùs, est species motus, vt dixi, & dicitur alteratio: Præterea hæc Actio, sumpta pro quauis operatione, vel est πρᾶξις & propriè Actio, vel est ποίησις, hoc est effectio. Actionis Principium est selectio; finis verò est id bonum, quod in muneris functione positum est. Hinc soli homini competit agere, vt dicitur in 2. Phy. cap. de Fortuna. Principium verò effectionis est forma, & habitus, qui dicitur Ars: finis verò est opus, quod effectum remanet; de quibus cumulatè in Ciuili scentia differui. Insuper effectio vel pendet ex ratione, vt Attinentia ad Artem, vel ex natura, siue ex forma, naturæ iuncta, vt calefactio. Ex diuisionibus actus & potentiæ, necnon ex diuisionibus motus, elici possunt variæ diuisiones Actionis, & Passionis, quas vt notas ex illis missas facio.

Principium actionis.

Effectionis

DEFINITIONES.

ACTIO, latè sumpta, est operatio ex actu prodiens, qui forma est. Actio sumpta propriè, quæ πραξις dicitur, est functio muneris, cuius finis est id bonum, quod in ea includitur: Principium verò est selectio; Effectio est operatio cuius Principium est forma, de habitu etiam dicta, finis uerò est opus, quod superest effectum. Effectio Artificiosa est operatio prodiens ex recta ratione efficiendorum, quæ Ars dicitur. Effectio Physica latè sumpta est operatio agentis per naturam in altero recepta. Effectio Physica, pressiùs sumpta, est operatio alterantis per Naturam, cui pressiùs sumpta passio opponitur. Actio eadem cum essentia, est muneris functio formæ à materia solutæ, quæ pro absoluto est eadem cum eius essentia, & sola ratione secernitur.

Actio latè. *Propriè.* *Effectio.*

ANNOTATIONES.

Actus & potētia cō muniora motu. Origo Actionis & Passionis.

CONSIDERO primò vnà cum Arist. in 9. Met. cont. 1. actum & potentiam ad plura extendi, quàm sint ea quæ dicuntur secū dum motum tantùm. Hinc dantur actiones, quæ non sunt motus, ut præsertim patet de ea, quæ est per essentiam. Considero secundò, Principium cuiuslibet actionis esse formam; Principiū verò passionis esse materiam: Hinc Arist in 1. de ortu & interitu enunciauit, quòd si daretur calor, à materia seiunctus, non pateretur: nam contraria inuicem pugnant pro cōmunis subiecti possessione. Cōsidero tertiò, Actionem, quæ πρᾶξις dicitur, vel vsurpari propriè, vel latiùs: si vsurpatur propriè, principium eius est selectio, siue Prælectio, & soli competit homini, ut dicitur in 2. Phy. at si effundatur latiùs, visio, etiam, & officia cæterorum sensuum & alia quoq; actiones dicuntur.

PRINCIPIVM.

DIVISIONES.

Primum & principium reciprocantur. Nō datur Principiū rei tātum. Principia cognitionis.

INQVIT Philosophus in primo Poster. Primum & Principium idem voco; & iure nam reciprocantur. Propterea, vt vnum, ita alterum diuiditur. Principium uel est primum absolutè, uel in aliquo genere. Primum absolutè est Solus Deus. Primum in aliquo genere, vel est primum siue Principium rei, uel cognitionis, uel vtriusq;. Principium tantum rei, vt puto non datur, nullum enim est Principium, quod in suo genere non conducat pro cognitione rei, cuius est Principium: nam & materia, & termini, & quæuis alia Principia pro distincta cognitione modo aliquo sunt necessaria. Principia cognitionis tantùm sunt effecta, & accidentia. Principia vtriusq; sunt causæ & Elementa. Hinc Principium cognitionis diuiditur, quia vel est Principium ex parte nostri, quod dicitur nobis notius, vel ex sui natura, vt causæ. Insuper Principium rei est duplex, vel quantitatis, vel alterius præter quantitatem: Si fuerit quantitatis, uel discretæ, vel continuæ: discretæ, vt vnitas, numeri, & Prooemium, ac Elementa orationis; continuæ, vt punctum Lineæ, Instans temporis, Momentum, Motus; ipsius tamen motus non propriè assignatur primum, nisi uel secundum sensum, uel per negationem præsentis, ueluti dicēdo numerus & non est motus, & statim post erit, ut elicitur ex sexto, & octauo Phy. Similiter terminus à quo est Principium loci. Si fuerit alterius præter quantitatem; uel erit primum dignitatis, ut Rex; uel originis, ut subiectum sua proprietate; uel temporis, ut antiquius; uel appetitionis siue instituti, ut finis; uel abstractionis, ut genus supremum;

Principiū quātitatis

mum; uel ordinis, ut in loco; uel productionis, ut quæuis causa est prior suo effectu; uel conseruationis, ut id quod seruat aliud. Præterea diuiditur etiam Principium in Principale, & organicum; in proximum, & remotũ; in Principiũ secundum se, & ex accidenti; in Principiũ actu, & potestate; & demùm in Principium externum, ut efficiens, & internum, ut materia.

DEFINITIONES.

PRINCIPIVM latè sumptum est id, cui ut primum est, nil antecedit, sed cętera, ad quæ refertur, sequuntur illud. Hæc cum sit definitio communissima, redditur deinde propria singulorum primorum, contrahendo eam per illa, quorum unumquodq; fuerit. Primum, ut primum dignitate est id, quod dignitate cæteris præstat, id autem nulli subijcitur. Primum molis est id, cui altera moles non antecedit, sed id antecedit cæteris. Demùm Principium est id, ad quod referuntur, & per quod mensurantur cuncta, quorum est Principium. *Principiũ latè.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò dari nonnulla, quæ sunt Principia generationis tantùm, ut Priuatio: Alia rei genitæ tantùm, ut Principia magnitudinis, dignitatis, loci & ordinis: Nonnulla utriusq;, ut materia & forma. Insuper considero, ex uarijs significationibus Principij, siue Primi, elici etiam significationes uarias Prioris, & eius quod est esse simul. Quotuplex enim est Primum, totuplex quoq; est Prius, ac etiam Simul, ut Simul tempore, dignitate, origine, ordine, & sic de cæteris, ut consideranti redditur notum. *Quotuplex est Principium, totuplex est prius, & simul.*

CAVSA.

DIVISIONES.

PRINCIPIVM, Causa, & Elementum sunt voces satis affines, & frequenter vna pro altera vsurpatur: & propterea simul sunt explicandæ. Diuiditur Causa, in causam & concausam. *Causa.* Causæ absolutè dicuntur externæ, quæ liberæ sunt & dominantur alijs, huiusmodi est efficiens & finis, ad quas Academici redigunt exemplaria, tamquam media per quæ efficiens attingit finem. *Concausæ.* Concausæ sunt materia & forma, & dicuntur concausæ, ne dum quia sunt simul cum re effecta, verùm præsertim quia liberæ non sunt, sed pendent ex externis, ad quas Academici redigunt instrumenta, quæ inseruiunt efficienti: & frequenter concausæ nomine instrumenta denotantur. Insuper diuiduntur causæ in adæquatas, quæ reciprocantur cum re effecta, & non adæquatas; in principales, & organicas; in proximas & remotas; in primas & secundarias; in causas secundum se, & ex accidenti; in causas actu, & potestate; in complexas & incomplexas, vt diuiduntur ab Arist. in 2. Phy.

DEFINITIONES.

Causa qd. CAVSA est Principium, ex quo effecta pendent secundum esse & cognitionem. Insuper causa est ratio, per quam dissoluitur omnis quæstio & per quam respondemus interrogantibus propter quid de vnaquaque re. Causa contradistincta à concausa est principium externum, ex quo effecta pendent secundum esse & cognitionem. Concausa est principium, intrinsecùs compositum constituens per transmutationem ex causis pendens.

ANNOTATIONES.

Causa qd apud Platonem. CONSIDERO primò, Platonem nomine causæ solam efficiētem putasse denotari, ut patet ex Philebo. Arist. tamē id nomen latiùs usurpauit. Confidero Secundò, ex causis ueteres primò nouisse materiam, quam putārūt esse uniuersam rerum essentiam, *Ordo inuētionis causarum.* secundariò, per transmutationem excitati, inuenerunt efficiens; Finem uerò & formam non putārunt causas, sed rem effectam, cum non uideantur antecedere. Insuper quia non putārunt Naturam operari propter finem, sed cuncta sequi necessariò materiam; ac etiam quia formas non putārunt essentias rerum, sed affectiones & accidentia. Confidero tertiò, Causas *Causæ cur quatuor.* iure statui quatuor; tum quia per quatuor dissoluitur quæstio & non per plura; tum insuper quia effecta ex alio pendent uel externo, uel interno; si pendent ex interno id uel est subiectum, vel in subiecto; subiectum est materia, in subiecto

iecto uerò forma; Si ex externo, id uel antecedit secundum esse, uel sequitur. Primum est efficiens, alterum verò finis. Præterea causa vel est essentia rei, qualis est forma; vel essentiam, defert, & est materia; vel eam producit, & est efficiens; vel perficit, vt finis. Demùm quatuor sunt capita eorum, quæ nos quærimus, nam quærimus quid sit aliquid, in quo, à quo, & cuius gratia. Cõsidero quartò, differre causas secundas ab instrumentis, quia causæ secundæ aliqua ratione possunt esse primæ, nam tanquam propriæ contrahentes primas cõmunes, dicuntur primæ, veluti cum Sol & homo generent hominem, quia prima ratio ob quam id, quod gignitur, homo est, alia non est, nisi quia producitur ab homine, ideò hac ratione prima est; instrumento verò repugnat, vt sit primum, cum in eius ratione sit, vt inseruiat alteri. Quintò considero, in causis multiplicem posse considerari ordinem, primò enim occurrit ordo nostræ inuentionis, quo ordine prima est materia, secunda est forma, tertium efficiens, postremum finis. Ratio est, quia primò nobis occurrunt composita, in quibus primò materia reperitur, sine qua res non cadunt sub sensum. Secundò forma, per compositum autem excitamur ad indagationem componentis, quod est efficiens; & quoniam efficiens operatur propter finem, ideò postremò nobis occurrit finis. Secundò in caussis consideratur ordo dignitatis, quo finis Principatum obtinet, ei succedit efficiens, tertia est forma, infima est materia. Tertiò occurrit ordo conspirationis ad rerum productionem, per quem finis excitat agens, ad permutandam materiam, pro educenda forma, qua præsente absoluta est generatio. Quartò consideratur ordo explicationis rerum, nam forma & materia patefaciunt; quid res sit, efficiens uerò & finis à quo & propter quid. Hinc duæ primæ constituunt definitionem, quæ est conclusio demonstrationis, alteræ verò eam, quæ est principium. Duæ primæ intrinsecùs rem magis patefaciunt; aliæ uerò eminentiùs, cum per eas noscamus propter quid aliarum. Considero sextò, ueteres materiam dixisse Principium, at non causam, quia causæ nomen efficienti tribuebant, ut etiam Plato. At oritur dubitatio, quia Aristoteles in tertio Metaph. cont. 11. inquit. Principium & causam oportet esse præter res quarum sunt principium & posse ab eis seiungi, quare nec materia nec forma erunt Principia & causæ. Pro solutione dico primò, Aristotelem eo loci disputare & dilucidare, non autem absolutè suam sententiam proferre: & propterea uti uocibus in ea significatione, in qua Plato, & ueteres, eis utebantur. Addo secundò causam & Principium dupliciter usurpari, uel latè, ut dum genera causarum dicuntur quatuor, quæ omnia etiam sunt Principia, uel pressiùs, ut Principium & causa contradistinguuntur ab eo, quod est essentia rei: ac ita externæ dicuntur causæ & Principia: internæ dicuntur concausæ & essentia rei, in qua significatione Aristo. in 3. de Anima 19. Principium accipit pro efficiente, idq; distinguit à materia inquiens, Semper enim honorabilius est agens patiente, & Principium materia. Insuper aliquando causa apud Arist. usurpatur latiùs, quàm Principium: & diuiditur in Principium & elementum, hoc est, in externas & internas causas, ut in 12. Metaph. 23. Demùm Principij nomen aliquando usurpatur latè, & est communius quàm causa; Aliquãdo minus latè, ut cum reciprocatur cum causa, sic in 1. cont. 5. Metaph. legitur, tot modis dici causam, quot Principium; tertiò pressiùs pro solis internis Principijs generationis, in qua significatione ueteres eo utebantur, quos sequutus est Aristo. in 1. Physi. ideò proponit in eo libro agendum de principijs, & in Epilogo colligit se Principia declarasse, & in cont. 48. ait, omnes ueteres Elementa, quæ ab eis nuncupabantur Principia, putasse

Causa secunda distinguitur ab instrumento.

Multiplex ordo inter causas.

Ordo inuentionis.

Dignitatis.

Productionis.

Explicationis.

Apud Veteres materia est Principiũ, non autem causa.

Dub.

Solutio.

Dub. contraria. At oritur altera dubi. nam in definitione causæ dictum sit causam esse Principium, ex quo effecta pendent secundum esse & cognitionem. Quod uidetur dubium, tum quia forma sola ea est, per quam effecta sunt, nam per materiam res dicuntur fieri, per formam esse, per efficientem produci, per finem bene esse, tum insuper quia materia non uidetur Principium cognitionis, cum secundum se sit ignota.

Sol. Respondeo, aliud est dicere, quòd aliquid sit esse, & aliud dicere, quod ex eo pendeat esse: sola forma est esse compositi, ut ex omni genere causę pendet modo eis consentaneo, esse totius compositi, & cum ex fine pendeat absolutio, & perfectio rei, ex eo etiam dicitur pendere ut sit, non enim dicitur esse aliquid nisi suo interno fine fuerit præditum. Et præsertim quia finis dirigit omnes causas ad rei constitutionem. De materia, quòd sit ignota, & non ualeat declarari. Respondeo, eam nosci modo illi consentaneo, & cum per aliud fuerit nota, ualet ea quoq; unà cum aliijs causis patefacere quid sit compositum, & propter quid uaria ex ea pendeant. Considero demùm, causæ nomen sublime esse. Hinc Deus hoc sibi proprium seruauit; ut omnium esset causa, semper causa, solùmq; causa, non autem effectus.

ELE-

ELEMENTVM DIVISIONES

ELEMENTVM duplex est, vel corporeum, vel absolutè. Elementum corporeum est primum & simplicissimum inter corpora: Et hoc est duplex; vel solùm compositionis Mundi, quale est Cęlum; uel compositionis Mundi & mixtorum, vt quatuor nuncupata Elementa, sub cęlo posita. *Elementũ corporeũ.* Elementum absolutè est id, quod absolutè in quouis genere est principium internum & primum, vt materia & forma sunt Elementa Physicorum, litteræ sunt Elementa grammaticæ. *Elementũ absolutè.* Insuper esse Elementum contingit dupliciter; vel secundum se, ut materia & forma; uel ex accidenti, ut Priuatio, quæ ab Arist. in primo Physi. frequenter inter Elementa numeratur, veluti in cont. 48. & alijs. Prætereà Elementum vel est actu, vt dum est in eo, cuius est Elementum, vel potestate ut literæ seorsùm prolatæ. Diuiditur etiam Elementum, quia vel est Elementum compositionis tantùm, ut litterę, & Cęlum; uel compositionis & alterationis simul, vt Elementa mixtorum; vel alterationis tantùm, vt Nubes aquæ, & vapor incensionis, quæ ab Arist. in 1. Phy. dicitur alteratio secundum materiam.

DEFINITIONES.

DEFINITVR Elementum à Philone Iudęo in lib. de uita contemplatiua, quòd sit materia inanimis, seipsa mobilis, subiecta opifici suo, à quo formatur in omnia qualitatum genera. *Philon.* Quam definitionem missam facio. Definitur secundò à Gal. in primo de Elementis cap. 1. quòd sit rei particula sui natura prima, & simplicissima quæ in alias diuidi non potest. *Gal.* Tertiò definitur ab Aristotele in 3. de cęlo 31. quòd sit id corpus, in quod alia corpora resoluuntur, inexistens potentia uel actu, non aptum diuidi in partes distinctæ speciei. *Arist.* Insuper quartò definitur in 5. Methaphysicæ cont. 4. Quòd sit id, ex quo cõponitur aliquid primò, inexistente & indiuisibili specie in aliam speciem. Quintò definitur in 7. Met. cont. 60 quòd sit id; in quod compositum diuiditur inexistens, vt materiam, putà syllabæ A. & B. Ego Arist. sequens, Elementum vniuersè sumptum ita puto definiendum, Elementum est Principium primum, ex quo intrinsecùs secundum se compositum constituitur, & in partes distinctę speciei diuidi non potest. *Elementũ vniuersè.* Elementum Mundi est principium primum corporeum suo ordine, & congruente molis ratione Mundum constituens. *Elementũ Mundi.* Elementum mixtorum est principium corporeum, sua contrarietate, mutuaq; actione, & passione, nec non congruente facultatis ratione, mixtum tanquam medium constituens, in quo potestate seruatur. *Elementũ mixtorũ.* Demùm Elementum, sumptum pro materia & forma, est Principium primum internum, ex quo per se composita Physica fiunt, & constant, & in quod vltimò resoluuntur. *Pro materia & forma.*

ANNO-

DE RERVM DEFINITIONIBVS

ANNOTATIONES.

Elementa solùm dicitur de internis. In ratione Elementi quatuor includuntur.

CONSIDERO primò Elementi nomen esse minus commune nominibus Principij,& causæ:nam solùm dicitur de internis, adeò vt omne Elementum sit Principium & causa:non vice versa. Considero secundò in ratione Elementi quatuor includi. Primò,vt referatur ad id,cuius est Elementum, vt monuit Arist. in 10.Met.cont.2.inquiens,non idem esse igni & Elemento esse;nam ignis est aliquid absolutum;Elementum verò relatum, quod confirmauit Auer.3.cęli 31.nec non Gal.1.de Elementis cap.6. Secundò, In ratione elementi est,ut sit primum. Tertiò,vt sit internum. Quartò, vt sit eiusdem generis cum eo,cuius est Elementum.Has conditiones suis definitionibus indicauit Arist.Dantur etiam conditiones Elementorum Mundi, quas ego retuli in lib. de Elementis.Considero tertiò,quòd cum Elemētum dicatur de materia & forma:magis propriè dicitur de materia, vt affirmauit Arist.in quinto Met.cont.4. inquiens,Genus magis dici Elementum,quàm differētia,quoniam est prius ea: & id ipsum affirmauit in 7.Met.cont.60.& iure,cum ea sit origine prior. Considero quartò,inter conditiones Elementi hanc referri, ut sit eiusdem generis cū eo,cuius est elementum,quam approbauit Arist. 12.Met.19.inquiens, Elementa substantiæ esse substantias,relationis relationes.Auer.id ipsum affirmauit.12. Met.commentario 20.& ex sententia Alexandri dixit,Elementum, & id cuius est Elementum,esse eiusdem naturæ. At oritur dubitatio,quia Arist. in secundo de ortu & interitu,quatuor primas qualitates nuncupat Elementa simpliciū corporum,quæ tamen sunt distincti generis. Pro solutione Considero, quòd Gal.in lib.de Elementis,cap.6. & 8. & in 1. de Natura humana cap. postremo conditionem hanc ne dum approbat,verùm insuper adeò coarctat,ut patet elementa corporum debere esse corpora, & qualitatum qualitates, ac propterea inficiatur materiam & formam debere dici Elementa corporum,cum non sint corpora,sed solùm ait debere dici Principia, veluti qualitates negat esse Elementa mixtorum,sed solùm temperamenti.Plutarchus in lib.de Placitis cap.2.considerans Elementa mixtorum,& secernens principium ab Elemento dixit,Principium debere esse primum & simplex:Elementum verò compositum. Gal. sequitur Hippocratem & uetustiores Philosophos,non autem Platonem, & Aristotelem;nam ut ait Simplicius in prooemio Phy.ex sententia Eudemi,Plato primus fuit,qui interna & prima principia nuncupauit Elementa, quem sequutus est Arist.in 1.Phy.48.inquiens, Elementa & à ueteribus nuncupata Principia. Hinc ex sententia Arist.materia prima,& forma uerè & absolutè sunt Elementa Physicorum corporum.Et Plato in Timæo figuras Elementis corporeis congruentes eorum Elementa appellat. Et propterea dum dicimus Elementa debere esse eiusdem generis, sat est ut Elementa per se substantiæ sint substantiæ. Instantia de quatuor primis qualitatibus soluitur. Primò, quia illæ sunt Elementa simplicium corporum,non quatenus sunt substantiæ,sed quatenus sunt sensibilia sensu tactus. Secundò,quia circumscribunt ueras & latentes formas eorum. Tertiò,quia sunt Elementa temperamentorum. Quartò,quia per eas qualitates Elementa,ut per instrumenta,redduntur miscibilia,& ut talia constituuntur. Demùm considero,quòd cum in postrema Elementi definitione dicatur, in quod ultimò composita resoluuntur,id præsertim uerum est de materia,

Materia magis propriè Elementum, quàm forma. — *Dub.* — *Sol.* — *Plutarch'.*

ria, quia seruatur, minus propriè de forma, quia in interitu compositi euanescit: tamen etiam modo aliquo competit formæ, quatenus saltem ratione compositi dicitur in materiam & formam resolui, vt de homine musico dixit Arist. in primò Phy. quòd ratione resoluitur in hominem, & Musicam.

MATERIA.

DISTINCTIONES.

MATERIA est duplex. Vna intelligibilis. Altera sensibilium. Materia intelligibilis est duplex. Vna Mathematicorum. Altera separatarũ formarũ Materia Mathematicorũ, *Materia Mathematicorum.*
quæ ab Arist. in 7. Met. 35. & in 8. Met. 15. intelligibilis nuncupatur, est duplex. Continuum, vt dicitur in 3. de anima 10. & partes, vt elicitur ex 7. Met. & 2. Posteriorum. Materia intelligibilis separatarum formarum ex sententia Arist. *Separatorum.*
etiam est duplex, cum enim materia denotetur per potentiam, in separatis formis sub Deo constitutis duplex consideratur Potentia. Vna eis competit per recessum à prima forma, quatenus, vt entia sunt, eis non repugnat maior perfectio. Altera quatenus intelligunt aliud supra se positum, & intelligendo perficiuntur per illud. Ex sententia autem Academicorum, Mentibus, sub Deo cōstitutis, materia competit, quatenus in omnibus considerârunt infinitum, & alteritatem, quæ per terminum & identitatem contraherentur. Hinc Plot. in lib. *Plot.*
de duplici materia latissimè ostendit, superis formis, insignitis Ideis materiam competere. Ex aduerso materia rerum sub sensum cadentium duplex est, una Cœli, altera mortalium. Materia mortalium etiam est duplex, vna constantium *Materia cęli materia mortalium.*
Arte, altera constantium naturâ: Et hæc insuper est duplex. Vna accidentium, & est subiectum actu. Altera formarum substantiæ. Quæ duplex est, vel prima & communis, vel propria, & proxima. Distinctiùs autem distribuitur in quatuor gradus, nam prima origine, est materia prima, quæ pro absoluto una est vt autem quatuor primis potentijs est prædita, respicientibus quatuor primas Elementorum formas dicitur quadruplex, vt inquit Arist. in 4. de cœlo 37. Secundò, Elementa sunt materia mixtorum consimilium. Tertiò, hæc sunt materia membrorum. Quartò, membra sunt materia corporum viuentium. Demùm *Materia prima est quadruplex.*
materiæ in quinque genera tanquam capita redigi possunt, nam datur materia Logica, quæ est non repugnantia ex parte obiecti, vt sit Materia Diuinorum formarum: Materia Mathematicorum: Materia Arte constantium: & Materia Physica. Quæ duplex est, nimirùm Cęli & mortalium. Quæ materia mortalium in quatuor gradus est distributa. Definienda præsertim est materia prima mortalium, quæ magis propriè est materia: reliquæ enim sunt vel materiæ per participationem eius, vel per similitudinem, ex ea deprompta m. *Quinque gradus Materiæ.*

DEFI-

FORMA.

DISTINCTIONES.

Nomina formæ. FORMA, quæ & Idea, & Species, & Perfectio, & Actus, & Terminus, & Ratio, & Totum, & Habitus, & Essentia, & Exemplar, & Id quod res est, esse dicitur, duplex est, vel separata à materia vel ex materia pendens. *Forma separata.* Forma separata, adhuc duplex est; vel seiuncta est à corpore mortali, vt motores Cęlorum, vel cum mortali corpore iuncta, vt Mens hominis. Forma seiuncta à corpore mortali etiam est duplex; vel enim ex superiore forma non pendet, & huiusmodi est solus Deus; uel pendet, quales sunt cæteri cælorum motores. *Forma ex materia pendens.* Ex aduerso forma ex materia pendens, vel est Physica, vel Arte producta. Forma Physica, vel est accidens, vel substantia: Si accidens, vel exposcit definitum subiectum, & hæc à solo Physico consideratur; vel non exposcit definitum subiectum, & huiusmodi est quantum & forma Mathematica. Si fuerit substantia, vel est forma quæ dicitur totum, siue forma totius, respondens materiæ totius; vel est forma partis, quæ est altera pars compositi, cui respondet materia partis, de qua egi in libris de Materia. Si fuerit forma partis, vel est natura infra animam posita, vel est natura ad animas mortalium viuentium extensa. *Tres gradus formarum.* Hæ omnes formæ in tres gradus rediguntur; vel enim sunt abstractæ, attinentes ad Diuinum; vel ex abstractione, attinentes ad Mathematicum; vel concretæ attinentes ad Physicũ. Insuper diuidi potest forma in assistentem & formantem: & Hæc in simplicem siue primam, & compositam. Nam quamuis forma omnis sit essentia simplex, nonnullæ tamen dicuntur compositæ; vel quia ex mixtione prodeunt, vt temperamenta, & formæ mixtorum consimilium; vel quia mixtionem prępupponũt, mixtoq; superueniunt, vt animæ. *Septẽ gradus formarũ substantiæ.* Demùm formæ, ad substantiam attinentes in septem gradus distribuuntur; vel enim sunt formæ quatuor Elementorum; vel mixtorum consimilium; vel Plantarum; vel stirpanimalium; vel Animalium absolutiorum; vel hominis; vel cælestium Orbium. *Accidẽtia* Formæ, quæ sunt accidentia; vel attinent ad Animam; vel ad corpus: si ad animam; uel ad sensum, ut perturbationes animi, & mores; uel ad Mentem, vt habitus rationis. Si ad corpus; uel ad corpus æternum, vt accidentia Cæli; uel ad corpus mortale. Et hęc vel sunt actiones & passiones, vel relationes, uel quantitates, vel qualitates. Quæ qualitates uel sunt primæ ut calor, frigus, humor & siccitas, uel ex primis pendent, & prodeunt, quæ dicuntur qualitates secundæ. *Qualitates primæ & Secundæ.* Quæ secundæ qualitates adhuc sunt duplices; uel propriè sunt secundæ, & sunt illæ, quæ prodeunt ex temperamento, & solis mistis competunt, ut colores; uel per similitudinem sunt secũdæ, quatenus sequuntur non temperamentum, sed qualitates primas, ut grauitas, leuitas, densitas, raritas, opacitas, & perspicuitas Elementorum, uel sequuntur incensionem, siue percussionem, ut Lux mortalium, & sonus. *Accidentia Cęli.* Ex aduerso accidentia Cęlestium corporum, sunt nouem, Magnitudo, Nũmerus, Figura, Lux, Dẽsitas, Raritas, Perspicuitas, Opacitas, & Motus: His addere possumus Differentias positionis, de quibus agitur in 2. de Cælo. Demùm forma nonnunquã latè usurpatur pro quauis essẽtia & ratione rei, ueluti Arist. in 1. Phy. inquit, Materiã à priuatione distingui forma, hoc est ratione, et inde ducitur nomẽ formalitatis rerũ.

DEFI-

DEFINITIONES.

VETERES putantes solam materiam esse essentiam rerum dixerunt formas esse dispositiones, siue habitus entis. Pythagoras dixit formas esse numeros essentiales rerum, siue eorum participationes. Plato numeros essentiales in Ideas permutans, dixit formas esse rerum Ideas, Menti insitas: formas verò materiatas dixit esse Imitationes, Participationes, & Vmbras, & Vestigia quædam Idearum. At his dimissis, dicamus cum Aristotele quòd forma est ἐντελέχεια siue Actus, & Perfectio prima, initium secundę, quæ est operatio, ut declaratur sub initio secundi de Anima. Insuper in secundo Phy. dicitur λόγος ὁ τοῦ τί ἦν εἶναι, siue ratio ipsius quid erat esse. Insuper Forma dicitur id bonum, & perfectio, quæ à materia optatur, ut dicitur in primo Phy. 81. Præterea dicitur terminus indefinitæ conditionis materiæ. Ac insuper dicitur fundamentum vniuersalium, & ex causa qua præsente res est. At distinctiùs definiendo formas, ex sententia Arist. dicamus. Si forma vsurpetur vniuersè, ea est gradus & differentia prima entis, per quam vnumquodq; quod actu est, dicitur id quod est. Insuper est actus primus, & prima perfectio, Si verò sumatur pro forma abiuncta, est Actus simplex, Actus à materia solutus, ac etiam sui essentia actio, vt dicitur 12. Metaph. Si vsurpetur pro altera parte Compositi, forma est Actus, per quem Compositum est aliquid illius generis, ut per albedinem est album, per formam domus est domus, & sic de cæteris. Si vsurpetur pro forma substantiæ compositæ, est Actus, quo compositum est hoc aliquid, vt dicitur sub initio secundi de anima. Si vsurpetur pro forma totius, est totum esse compositi, ex forma & materia partes consurgens, excludens ea, quæ accidentia sunt, ut homo, caro, os, & similia. In qua significatione in primo de cęlo inquit Aristoteles, quòd Cęlum denotat formam: hoc cęlum formam in materia. Demùm forma sumpta latissimè pro quauis essentia, & conditione rei, est id quod per cuiusuis rei nomen denotatur, & ratione conditionem eius patefaciente explicatur.

Vetustiores. *Pythagoras.* *Plato.* *Forma uniuersè.* *Forma abiuncta.* *Pro parte compositi.* *Forma totius.* *Forma latissimè sumpta.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, quòd forma uniuersè sumpta, & considerata pro suo esse absoluto, non est causa, sed gradus & differentia entis. Nam causa relationem includit, solùm dicitur causa, dum refertur ad compositum, & ad id cui largitur esse. Hinc Deus non propriè dicitur causa in genere formæ, cum nulli composito largiatur esse, tanquam altera eius pars, dicitur forma latè, quatenus uniuersè actus omnis forma dicitur, potentia uerò materia, & quatenus Vniuerso, & præsertim primo mobili ex sententia Arist. assistit, eiq; dat uitam. Considero secundò, quòd cum forma dicatur causa compositi, & prior eo origine; quæritur quæ sit propria ratio, per quam causa dicitur? Pro solutione dicendum est formam ad duo referri posse, ad Compositum, & ad Materiam: si refertur ad Materiam, quemadmodum Forma à Materia habet ut fiat, eiq; inhæret; ita Materia habet à forma, ut actu subsistat, & termi-

Forma pro esse absoluto non est causa. *Propria ratio formæ.*

Forma relata ad materiam. netur. Hinc dum consideramus esse absolutè cùm materiæ, tùm formæ, materia prior est origine; si consideramus actu subsistere, contra se habet, sic materia est prior in genere materiæ, forma verò est prior in genere formæ. Ideò Auer. in primo Phy. 70. ait, formam esse causam materiæ, quia complet eam, & non ualet ab ea nudari secundum subsistentiam. *Forma relata ad compositum.* At si referatur forma ad compositum, cuius propriè est principium, & causa; dico rationem, per quam eius sit causa, esse hanc, ut sit id per quod compositum est id quod est, quod explicatur ab Arist. dum causam definit in 2. Phy. & dum in 2. de anima sub initio ait formam esse id, per quod compositum est hoc aliquid, ex qua formæ ratione elicitur, ut ea sit Essentia, Natura propria, Definitio, Ratio, Quid res est, ac Id per quod compositum collocatur in specie, definitur, & denominatur. *Forma formans, & assistens.* Tertiò considero, quòd cum forma sit actus, diuiditur huiusmodi actus ab Arist. in 2. de anima 11 in assistentem & formantem. Cum dicat non patere, num ita anima sit actus, ut nauta nauis, ea quæ format præsertim, & magis propriè est forma; ea uerò, quæ assistit, est eminentior, & præstantior; quia magis est libera, & non pendet ex eo, cui assistit; quæ assistentia est duplex, uel per naturã, ut motores proprij cœlorum, proprijs orbibus assistunt; vel ad libitum, ut nauta Naui, & Rex Regno. *Verior assistentia.* Prior tamen est uerior assistentia, & semper simul sunt, nimirùm id quod assistit, & cui assistit. Quartò considero, Formam omnem formantem largiri esse Composito in suo genere, ut etiam dicitur ab Auer. in 2. Phy. 17. Sic forma Arte constantium dat eis, ut sint artificiosa, qualitas constituit quale, & sic de cęteris. Ideò Arist. 13. Metaph. inquit, Albedinem accipi in definitione hominis albi, nam ei dat, vt sit albus. Quintò considero, quòd Arist. consueuit uti hoc loquendi modo, formam esse quod quid erat esse, *Forma cur dicitur qd erat esse.* hoc est, esse id quod res est, & essentiam rei. Quæritur, cur dicat erat & non est? Alexander in primo Topic. ait Arist. vsum fuisse præterito pro præsenti more Græcorum: ac ita dicemus forma est ratio eius, quod res est: nam forma est ratio, ob quam id quod est, dicitur esse id quod est: nec eius alia ratio est assignanda, ut legitur in octauo Metaph. Possemus etiam dicere Aristotelem eo loquẽdi modo fuisse usum, ut denotaret æternitatem essentiæ rerum: de æternis enim dicimus, quod sint id quod erant. *Cur dicitur ratio.* Sextò considero, Formam dici γὐλον, siue rationem, nã Ratio si latè usurpatur, petitur ex omni causa, & afferre rationem est afferre causam rei. At si vsurpatur pressiùs, dum loquimur de attinentibus ad actionem, uel effectionem; Ratio sumitur ex fine. Si uerò loquimur de Natura rerum, Ratio est forma, per quam ea sunt id quod sunt, & eis competunt affectiones, quæ dicuntur ex forma fluere. Demùm occurrunt tria dubia. *Prima Dubitatio.* Primum est, An forma sit totum id quod compositum est (& ut aiunt) num forma sit tota rei quiditas, adeò ut materia non sit pars eius? De qua latè disserui alibi & præsertim in lib. de Materia. *Secunda. Tertia.* Altera dubitatio est, num definitio formæ competat cùm formæ partis, tùm totius? Tertia, An competat formæ assistenti? *Soluitur secunda.* De secunda difficultate dico, dum forma dicitur ratio ipsius quid erat esse, id cõuenire utriq; formæ, primò tamen formæ partis, illa enim est id quod res est in prima significatione, altera uerò in secunda. Insuper forma partis est ipsum esse formæ totius; sic dicit Arist. in 3. de anima cont. 9. quòd aliud est caro & esse carnis, in reb. materiatis. De altera difficultate dico, Formã assistentẽ dupliciter posse considerari. Primò secundũ se, ac ita de formis à materia nõ pẽdẽtib. dicimus in eis nõ distingui quid est ab eo cuius est, ut patet ex 8. Met. 16. propterea de illis dicimus, ꝙ sunt id quod sunt. Si uerò secũdò cõsideretur causa relatione ad cõpositũ; tũc forma assistẽs nõ est id quod est corpus illud cui assistit, cum ei

esse

esse non largiatur, ut nauta non est ipsum esse Nauis, nec motores cęlorum sunt ipsum esse orbium, quibus assistunt: sed solùm dici potest ratio alicuius totius, quod ex ea assistentia consurgit, ut motores cęlorum tribuendo motum, dicuntur tribuere cęlo uitam, nam motus est quędam uita ex primo cont. 8. Phy. ac ita sunt id quod Cęlum est, quatenus est uiuens: & Nauta est id totum, quod est nauis, rectè gubernata, ut talis est; sic Rex dicitur uita Regni, & id quod regnum est rectè gubernatum, ut tale est.

FINIS

DISTINCTIONES.

FINIS usurpatur dupliciter, uel propriè, ut causa est, uel latè & per metaphoram. Dum usurpatur propriè, duas exposcit conditiones; unam, ut sit quid ultimum; alteram, ut sit optimum, ut dicitur in 2. Phy. 23. & in 5. Met. 21. Dum uerò usurpatur latè, & per metaphoram, Omne ultimum dicitur finis, ueluti mors per metaphoram finis dicitur, ut inquit Arist. in 5. Met. 21. Nec ob id defendi potest Poëta, qui carpitur ab Aristo. in 2. Physi. 23. quia dixit mortem esse finem, cuius gratia nati sumus. Nam mors potest quidem per metaphoram dici finis; at non debet addi, Cuius gratia nati sumus; hoc enim denotat, ut sit quid optimum. Finis latè sumptus ille dicitur, qui Principio opponitur; ideo quotuplex est Principium, totuplex potest excogitari Finis. Ita & temporis, & motus, & itineris, & dimensionis, & similium datur Principium, & Finis. Finis propriè sumptus duplex est, uel generationis, uel rei genitæ. Finis generationis adhuc est duplex, uel generationis absolutè, uel generationis perfectæ. Primus idem fundamento est cũ forma, quæ per generationem acquiritur. Alter verò viuentibus competit, dum molem fuerint adepta, cũm qua valent simile procreare. Perfectum enim id dicitur quod valet gignere simile, vt legitur in 4. Meteorum. Insuper Finis rei genitæ duplex est; vel cuius gratia, qui scopus dicitur, vt fęlicitas hominis; vel cui, & hic est duplex; vel enim est finis cui rei genitæ, ut Nauta est finis, cui inseruit genita Nauis, & Deus cui omnia seruiunt; uel est finis cui ipsius scopi, ut homo est finis cui fęlicitatis. Prætereà diuiditur Finis per ultimum & non ultimum; vltimus tamen absolute est finis; non vltimus verò solùm est finis in parte, & per relationem ad antecedentia. Insuper cum conditio finis sit bonum, potest finis vel esse verè bonus, vel quod solùm appareat, ut diuiditur in 2. Phy. 31. Ille tamen, qui sui conditione, & verè est bonus, absolutè est finis: qui uerò solùm apparet, solùm est finis eius, cui apparet bonus. Insuper esse bonum contingit dupliciter, vel absolutè, vel alicui, vt diuiditur in 2. Phy. ueluti habere quatuor pedes non est bonum absolutè, non enim aui bonum est, sed equo. Demùm diuiditur Finis ab Aristo. in procemio primi Nicomachiorum, quia vel est opus, quod effectum superest, vt domus est finis ædificationis, vel est id bonum, quod in actione includitur, vt finis moralium virtutum, & actionum.

Finis propriè. *Finis latè.* *Finis propriè sumptus.*

DEFINITIONES.

Finis latè sumptus. Propriè. FINIS, latè sumptus, est id vltimum, quod Principio rei, cui competit, respondet, eiq; opponitur. Finis, propriè sumptus, vniuersè consideratus, est id, cuius gratia sunt cætera, primum in intentione agentis, vltimum in exequutione. Insuper est causa, cuius gratia agens operatur, excitans illud ad permutandam materiam, pro educenda forma. Prætereà est causa excitans ad operandum, opusq; perficiens, & ob id est prima secundum institutum, postrema verò extra institutum. Insuper est causa in instituto agentis pro eo esse, quod assequi debet extra institutum. *Finis generationis.* Finis generationis est essentia formæ, quatenus eius gratia parata est materia, & ea præsente absoluta est generatio. Finis rei genitæ est causa, cuius gratia quicquam uel constat, uel constitutum est, ut dicitur in 1. de partibus animalium cap. 5. Finis cui est causa, pro qua finis cuius gratia quæritur, & paratus est. His addere possumus de fine rectè dici, Quòd sit causa causarum; Quòd sit causa excitans, & dirigens efficientia ad operandum; Quòd, sit id ultimum & optimum cuius gratia sunt principia & media; Quòd sit causa in cuius ratione adeò includitur bonum, ut ea dempta dematur omne bonum; Quòd sit id, quo præsente, absoluta est generatio: Demùm quòd sit causa, quæ cum sit prima in instituto agentis & ex alia non pendens, est postrema, & maximè pendens pro eo esse, quod seorsùm ab instituto ei competere debet.

ANNOTATIONES.

Stoici. Democritus. Arist. CONSIDERO primò, Stoicos Finem inter causas non numerasse. Democritus, Empedocles, & Epicurus putantes cuncta fieri impetu, & necessitate quadam materiæ, conditionem ueri finis Naturæ euertebant. Arist. in primo de partibus Animalium cap. 1. ait, Principatum sanè inter causas ea obtinere uidetur, quam hoc uerbo cuius gratia significamus, hæc enim ratio est, ratio au- *Ratio finis* tem Principium est, similiter in rebus tam Arte, quàm Naturâ constitutis; nam ex fine sumitur ratio rei, quæ sit, & cur ita fiat. Insuper considero, Non leuem esse dubitationem, in quo sit posita propria ratio, per quam sit causa contradistincta ab alijs causis. Et breuibus dico, illam esse, quæ per definitionem explicatur, dum finem definientes dicimus, quòd sit id cuius gratia. Nam finis referri potest cùm ad efficiens, tùm ad media: relatus ad efficiens est id cuius gratia operatur: relatus ad media est id cuius gratia parantur & parata sunt. Tertiò considero, quòd Aristo. in 1. de partibus Animalium cap. 5. in definitione Finis ait, quòd sit id cuius gratia quicquam uel constat, uel constitutum est. Puto ita fuisse loquutum duplici ratione, primò ut seruetur conditio finis etiam in rebus non genitis, ut in Mundo & motoribus cœlorum, secundò, ut indicaret ex fine elici rationem tũ rei quæ fit, tum modi & mediorũ, per quę fit. *De fine sũt uera, quæ inuicem pugnare uidentur.* Quartò cõsidero, quòd de Fine dicuntur duo, quæ inuicẽ pugnare uidẽtur. Nã primò dicitur, quòd sit aliquid & primũ & ultimũ; Secũdò quòd minimè & ma-

ximè ex alijs causis pendeat. Quæ cum ei competant distincta ratione & relatione, non propriè inuicē pugnant. Finis enim est primus in intentione, postremus in exequutione. Vt consideratur in intentione, non pendet ex alia causa, sed aliæ ex eo, hinc dicitur causa causarum: pro eo autem esse, quod seorsùm ei competit, maximè pendet. Quintò considero, de fine iure dici, quòd eo dempto demitur omne bonum. Nam Bonum triplex est, nimirùm Vtile, Honestum, & Delectabile: hæc duo postrema fines sunt, Vtile verò non est finis, sed conducit pro fine, & dempto fine, non amplius Vtile & Bonum est, ut dempto diuitiarū usu, non amplius bonæ iudicantur. Sextò considero, cum Finis resideat in instituto agentis, illum in instituto eius posse duplici modo reperiri, uel cum cognitione eius, ueluti in instituto Medici est sanitas, uel sine cognitione, ut lapis expetit centrum: nam quia ea quæ naturâ constant, pendent ex bono, includunt rationem & conditionem boni, per quam in suum bonum tendunt: ratio autem boni insita rebus, naturâ constantibus, est ipsa met eorum forma, ideò dicimus in ea insitum esse appetitum finis. At non leuis est dubitatio, quomodo Finis cum sit postremus, dici possit Principium & causa; quorum conditio est, ut sint prima? Auic. in sexto Met. cap. ult. putat finem esse causam ut est in appetitu & instituto agentis, nam extrinsecùs est res effecta, & aliquid ultimum. Quæ sententia est dubia, quia effecta non sunt intentiones, & spiritalia, sed res, quæ propriè & absolutè sunt; quare eorum causæ debent propriè esse, non autem eis competere solum esse spiritale & cognitum. Præterea finis obtinet rationem boni, quod ei non competit, ut est in appetitu agentis, sed ut reperitur seorsùm. Præterea tunc Finis non esset aliquid ultimum; nec ex eo possemus alia, tamquam antecedentia inferre; nec eo præsente absolutus esset motus; nec esset aliquid præstantius cæteris. Et confirmatur conspicua auctoritate Arist. in 2. Phy. 30 dicentis, Causas esse sibi inuicem causas; & sanitatem esse causam exercitij in genere finis; exercitium uerò sanitatis in genere causæ efficientis; at exercitium non est causa sanitatis considerata in intentione agentis, sed existentis in corpore. Propterea alij dicunt Fini duo competere, unum per quod sit causa, alterū sine quo non sit causa. Primum ei competit ut est extra. Alterum, ut est in appetitu: adeò ut esse extra, principatum obtineat in constitutione causæ. Quæ sententia etiam est dubia, quia ea est potissima ratio, ob quam finis est causa, qua posita ponitur, remota remouetur; at statim quòd res optatur, dicitur finis, & eo remoto remouetur quod sit finis, ueluti dum bona eueniunt forte fortuna. Propterea dico pro constitutione Finis utrumq; conspirare, cùm esse extrinsecùs, tùm esse in instituto; per primum explet appetitum; per alterum antecedit, excitat & dirigit; adeò ut in fine consideremus id quod est causa, & id pro quo. Per esse in appetitu est causa; per esse extra, est id, pro quo est causa. Per primum excitat, dirigit & antecedit; per alterum est optimum aliquid & appetitum explet. Primum est tanquam forma, & præcipua ratio finis, alterum tanquam materia. Res itaq; in instituto agentis pro eo esse, quod ei debet extra competere, dicitur finis. At instare aliquis poterit per Auer. in 12. Met. 36. dicentem, Balneum in anima mouere, ut efficiens; extra uerò, ut finem. Respondeo primò per Ari. in 1. de ortu, & interitu dicentem, quòd finis mouet, at per metaphorā. Ad do secūdò, appetibile in anima ad duo posse referri; uel ad facultatē noscētē, & dirigētē, ac ita est efficiēs, ut etiā in li. de motu animaliū affirmat Ari. uel ad appetitū, & sic dicitur finis eius, non tamē sine esse, quod ei extra cōpetere ualet. Sed alia emergit non leuis dub. Nā si Finis constituitur per illud esse quod ei cōpetit in instituto agentis, non poterit reperiri finis sine efficiente; ac ita in æternis,

Quomodo fine dempto, dematur omne bonum?

Quomodo finis sit Principiū. Auicen. Euersio.

Alia opinio.

Opinio propria.

Instantia. Sol.

Alia dub.

quæ uaria sunt ex sententia Ari. non habebit locum finis, cum tamen ex aduerso dicamus, Deum esse finem Intelligentiarum, & Mundi. Auer. in 2. ca. de substantia orbis id approbare uidetur inquiens, Finem necessariò indicare efficientem; & Arist. in 3. Met. cont. 3. ait, Immobilia carere fine. Respondeo, causam efficientem esse duplicem, uel denuò efficientem, uel conseruantem; collocata sub Deo saltem habent causam efficientem conseruantem. Insuper quamuis non sint facta, tamen perinde se habent ac si eminenti ratione facta essent, ob id Arist. in 1. de Cælo 31. & in 2. de Cęlo loquendo de orbibus Cęlorum & stellis ait, Deum & Naturam nil facere frustrà. Insuper dum dicitur, Immobilia carere fine, Arist. per Immobilia denotauit Mathematica. Nam scientiæ Mathematicæ, quamuis ut sint scientiæ, & habitus animi nostri, sunt præditæ fine, & utiles; tamen ut demonstrantes, fine carent; quia non eo utūtur pro medio suarum demonstrationum. Insuper abstrahunt à principio motus, & à fine per motum acquirendo.

Sol.

EFFICIENS.

DIVISIONES.

Efficiens per Metaphoram.

EFFICIENS est duplex, uel per Metaphoram, uel propriè. Per Metaphoram Finis dicitur mouere & efficere, ut legitur in 1. de ortu & interitu cont. 55. immò per metaphoram omnis causa dicitur efficere, hoc est constituere rem effectam, & præsertim includens conditionem formę. In qua significatione Arist. in 1. Phy 55. ait, Veteres dixisse duo principia agere, quæ contraria sunt, unum uerò pati.

Propriè.

Efficiens propriè etiam est duplex, uel conseruans, uel propriè producens; Conseruans adhuc est duplex: uel sine ulla uarietate conseruati, ueluti ex sententia Arist. Deus est causa efficiens conseruans intelligentiarum, quatenus si per imaginationem Deus non esset, nihil esset: uel cum aliqua uarietate, ut Cęlum dicitur efficiens conseruans elementa ut ait Auer. in 1. de Cęlo. 105. Efficiens propriè producens est triplex; Vel supra Naturam sine transmutatione, vt creans; Vel per Naturam cum transmutatione, vel quiete Naturali, vt agens Physicū; Vel infra naturam, cum transmutatione violenta, vt Artifex. Insuper diuiditur Efficiens in proximum, & remotum; Secundum se, & ex accidenti; Actu & potestate. Prætereà diuiditur; quia vel antecedit rei effectæ tempore, vt ædificator est prior domo; vel solùm origine, vt motores Cęlorum sunt priores suo motu. Insuper diuiditur; quia vel solùm dirigit, vt consultor; vel constituit rem effectam cum sui interitu, ut semen; uel sine sui interitu, ut medicus curans: Diuisionem hanc per hæc tria exempla denotauit Arist. in 2. Phy. 30. Diuiditur etiam Efficiens in externum, ut Ars, & internum, ut Natura. Prętereà in efficiens per Naturam & per cognitionem; per uim, & spontè; in agens per essentiam, & per potentiam, ut diuiditur à Plot. in lib. de Generibus entis cap. 12. Prætereà uel eius finis est ipsamet actio, uel opus peractū, ut diuiditur sub initio Nicomachiorum Demùm diuiditur Efficiens, quia uel ab eo solùm producitur opus, uel ne dum producitur sed etiam conseruatur, ut Eclypsis à Terræ interpositione, & elicitur ex Auer. in 4. disp. in sol. 1. dub.

DEFI-

DEFINITIONES.

PERTINENTIA ad definitionem Efficientis satis patent ex dictis de Potentia actiua; ideò breuibus dico, Causam efficientem esse Principium, unde opus. Insuper esse Principium transmutandi alterum quatenus alterum. Insuper esse Principium deducendi id quod est potestate ad actum. Prætereà definitur ab Arist. in 2. Phy. 29. quòd sit Principium mutationis primum, aut quietis.

ANNOTATIONES.

QVAERITVR, in quo sit posita propria ratio constituens causam efficientem, distinctam ab alijs causis? Ari. per definitionẽ, ab eo traditam, indicat in hoc esse positam, ut sit Principiũ motus vel quietis. Auer. 8. Met. 15. & 12. Met. 18. & alibi ait, Actionem agentis nil aliud esse nisi educere id quod est potestate ad actum. Theologi cum noscant creationem, seiunctam à motu, aiunt, rationem efficientis hanc esse, vt sit Principium vnde opus. Pro solutione considero primò cum Arist. in 8. Phy. 35. tria considerari, nimirùm mouens, quo mouet, & quod mouetur: ita datur Efficiens, quod efficitur, & quo. Ex sententia Theologorum Deus seipso, & sine vllo medio attingit essentias rerum: & ideò sine medio creat; & est principium ex quo opus sine medio prodit. Ex sententia Arist. efficientia naturalia considerantis, Efficiens nil facit sine motu, vel quiete, ac ita ratio efficientis est, vt proximè sit principium primum motus, vel quietis. Considero Secundò, addi primum in definitione Efficientis, tum vt excludantur instrumenta, tum insuper quia primum maximè mouet; cætera autem non mouent sine eo, & mouent virtute eius, vt nos docet Arist. in 8. Physicorum. Considero tertiò, quòd esse primum contingit dupliciter; vel absolutè, & huiusmodi est solus Deus; vel in proprio aliquo genere, vt Ars ædificandi est prima in genere ædificiorum, quæ causa prima, est etiam propria, & hanc denotat Arist. in definitione. Considero quartò, Efficiens posse ad quatuor referri; ad motum quo efficit; ad Materiam, quam permutat; ad formam, quam educit; & ad compositum, quod constituit. Dum refertur ad motum vel quietẽ proximè prodeuntem, dicitur esse Principium vnde motus. Dum refertur ad materiam, dicitur principium permutandi aliud quatenus aliud. Dum refertur ad formã, ratio efficientis in hoc est posita, vt educat eam ex potestate ad actum, ut dicit Auer. Dum demùm refertur ad opus, dicitur esse principium vnde opus: ac ita seruantur omnia. Considero quintò, Arist in 1. Rhet. septem numerare gradus Efficientium, ait enim ea quæ fiunt fieri vel Fortuna, vel violentia, vel Naturã, vel consuetudine, uel ratione, uel irã, uel cupiditate: Quæ tamen in 12. Met. in quatuor capita redegit, nimirùm in Artem, Naturã, Fortunam, & Casum. Quæ quatuor in duo prima capita rediguntur in Naturam, & Rationem, ex quibus duobus uel secundum se, uel ex accidenti, pendent cuncta quæ fiunt. Deus ex sententia Arist. operatur cum conditionibus agentis per naturam, & ideò sub eo capite continetur: ad id tamen ita redigitur, ut eminenter includat vniuersam perfectionem operantiùm per rationem.

Propria ratio causæ efficientis.

Resol.

Theologi.

Arist.

Efficiens ad quatuor refertur

Septem per quæ res fiunt.

INSTRV-

INSTRUMENTUM.

DIVISIONES.

Sex significationes nominis instrumenti.

INSTRUMENTI nomen uarijs modis usurpatur, & præsertim septem. Nam primò dicitur de causa secunda; in qua significatione dicimus Deum solum absolutè esse causam, cętera esse instrumenta eius. Hinc Simplicius in 2.Phy.21.dixit, Deus cum utatur Natura, cuncta pro iure & æquitate dirigit. Secundò dicitur de partibus uiuentium dissimilium partium, quæ membra nuncupantur, & pręsertim de manu, quæ est instrumentum instrumentorum, quatenus est instrumentum hominis efficiens instrumenta Artium, eisq; utens. Tertiò usurpatur pro qualitate inseruiente formæ principali, ut grauitas & leuitas sunt instrumenta formarum Elementorum, pro motu secundum locum. Quatuor uerò primæ qualitates, sunt instrumenta earundem formarum pro similis productione, & constitutione mixtorum. Quartò pro instrumentò externo, inseruiente Artifici quod non mouet nisi moueatur, ut Gladius, & Malleus. Quintò pro disciplina alteri famulante, eiq; instrumenta parante, ut Grammatica, & Logica dicuntur instrumenta Scientiarum, & Artium, & Ars Fabrilis instrumentum Naualis. Sextò pro omni ordinato in finem, quod inseruiat principali agenti pro assequendo fine, in qua significatione medicus pro acquirenda sanitate dicitur uti triplici instrumento, nimirùm Dieta, Emissione sanguinis, & Medicamentis. Sic diuidi potest Instrumentum, quia uel est uiuens, uel non; uel est pars operantis, uel ne, uel est instrumentum principale, uel minus principale; uel necessariū, uel ne; uel proximum, uel remotum; uel actu, uel potestate; & si fuerit actu, uel est tale per actum primum, qui est forma instrumenti, uel per actum secundum, qui est eius operatio.

DEFINITIONES.

INSTRUMENTUM est concausa inseruiens Principali causæ pro assequendo fine. Et quoniam puto id, cui inseruit, esse causam efficientem, ideò distinctiùs dicere valemus, Instrumentum est concausa inseruiens efficienti, pro assequendo fine. Instrumentum est id, quod alteri inseruit, à quo dirigitur, & cuius virtute operatur. Insuper Instrumentum est id, quo vtitur principale agens pro suo fungendo munere, vel quod agenti inseruit pro sui muneris functione.

ANNOTATIONES.

Instrumenta cur concausa?

CUM instrumenta sint varia, non est facile communi circumscriptione ea complecti. Considero primò, quòd rectè pro genere sumendam puto concausam: nam causa principale denotat; concausa verò, quod principali inseruit, quo principale operatur. Et quamuis id nomen Academi-

citri.

ei tribuant etiam materiæ & formæ: Aristoteles autem in primo Phy. 80.id tribuat materiæ, magis propriè tamen competit Instrumentis,per quæ agens operatur. Considero secundò, quòd de Instrumento tria explicanda occurrunt; Primò, quæ sint conditiones eius; Secundò,cur non sit causa; Tertiò,cui causæ inseruiat,ad quam modo aliquo redigatur. Loquendo de conditionibus ait Auer.in Paraphrase secundi de Gen. animalium tres esse Instrumenti conditiones;Primam,vt instrumentum non sit pars rei, quæ efficitur;Alteram, vt absoluto opere seiungatur ab eo;Tertiam, vt tangat omnem partem rei,quæ permutatur,intus,& extra. Primæ duæ sunt communes Physicis, & Artificiosis. Tertia est propria Physicorum. At prætermittere videtur principalem, quæ est,vt inseruiat alteri,& operetur, quatenus ab eo dirigitur. Ac etiam prima, & secunda conditio in Physicis non semper veræ sunt,vt patet de dispositionibus pro educenda forma. Tertiò considero,quòd Instrumenta propria agentis Physici magna ex parte sunt partes eius,vt oculi,pedes,& similia, quia natura non producit facultatem sine suis instrumentis;ideò ait Arist. in secundo de Gen. Animalium cap.tertio consimilem esse rationem de facultatibus animæ, & de earum instrumentis. Loquendo verò de Instrumentis Artis ea quæ sunt propria artium,distincta à communibus per naturam homini tributis, nō sunt partes artificum. Quartò considero, quòd cum sit explicandum, cur Instrumentum non numeretur inter causas; Ratio est,quia conditio caussæ,vt causa est ut sit aliquid primum; conditio autem Instrumenti est,ut non sit primum, quare ut famulo repugnat dici dominum, ita Instrumento dici causam. Propterea hæc est differentia inter causam secundam, & instrumentum, quia instrumentum non ualet esse causa prima, & propria;at causa secunda in suo genere, & prima, & propria esse potest. Nam quòd,qui generatur sit homo, vel Leo, non habet à sole, sed à proprio generante. Quintò dum consideratur, ad quod genus causæ tanquam eius famulus instrumentum redigatur: Aiunt nonnulli redigi ad materiam,quia mouetur ab alio,& concausa dicitur, ut etiā materia Philosophus in secundo Phy.27.inquit,In Physicis redigi ad materiā, quia euadit rei pars, ut calor. Alij aiunt in Artibus redigi ad efficientem, cui inseruit, in Physicis uerò ad materiam, quia pars rei euadit. Hinc Ars utitur igne tantùm pro instrumento: Natura uerò eo utitur etiam pro parte,ut inquit Arist.in lib.de spiritu cap. 3. Quòd autem redigatur etiam ad materiā patet de dispositionibus subiecti,inseruientibus pro educenda forma. Et id confirmat Zim.Theor.85.quia perspicuum est instrumentum inseruiens pro deferendis radijs solis,& Lumine,cum tamen non sit efficiens: Similiter Arteriæ, & venæ instrumenta sunt deferentia spiritus & sanguinem,nil tamen efficientia. Ideò aiunt nonnulli Instrumentum redigi ad eam causam, cuius est Instrumentum: Si fuerit instrumentum efficientis,redigi ad causam efficientem: Si materiæ, ad materiam. Alexander Instrumentum censuit redigi ad efficientem; & hanc puto ueriorem sententiam. Nam Arist.in primo de ortu,& interitu 53.ait,Medicum & uinum producere sanitatem,Vinum,ut instrumentum;Medicum, ut causam efficientem principalem. Clariùs in 8. Phy.cont.33 & 35.Instrumentum ad causam efficientem redigit affirmans Instrumentum esse id,quo principale mouens mouet. Confirmatur;quia Instrumentum ad quatuor referri potest,ad motorem,ad mobile,ad formam, & ad compositum quod producitur. Et ad quoduis referatur,semper seruit efficienti pro obeundo suo munere,& ea tantùm ratione dicitur Instrumentum Dispositiones materiæ, ut materiam disponunt, & seruantur cum forma,non dicuntur instrumenta,sed dispositiones subiecti;

Tria de Instrumento explicanda.

Conditiones Instrumenti.

Cur instrumentū non sit causa?

Cui causæ inseruiatur.

Zim.

Alexander.

Instrumentū ad quatuor referatur.

subiecti; solùm dicuntur instrumenta, ut agenti inseruiunt pro educenda forma, qua consideratione ad efficiens rediguntur. Instantiæ de Perspicuo. Arterijs, & Venis facilè reijciuntur. Hæc enim eatenus seruant conditionem instrumenti, quatenus agenti inseruiunt pro fungendo suo munere, ut Perspicuum inseruit Lucido pro illustrandis corporibus, Venæ autem, & Arteriæ inseruiunt Animæ pro fungendo munere nutritionis, & uitæ. Colligo itaq; Instrumentum redigi ad causam efficientem, non quidem tanquam speciem eius, sed tanquam famulum, & concausam, ideò rectè Arist. in 2. de Anima. 41. inquit, Nutritionis, & accretionis ignem esse quodam modo concausam, causam autem esse Animam. Similiter in cont. 38. instrumentum redigebat ad efficientem, & dicebat distingui instrumenta ab inuicem opere. Sic etiam rectè aiunt Academici, Instrumentum mediare inter efficiēs & materiam, quatenus est id, quo efficiens materiam permutat, ut Idea ab eisdem dicitur mediare inter efficiens & finem, quatenus est recta ratio attingendi finem.

INSTRVMENTVM PROPRIVM.

Scientiarum, & Artium.

DIVISIONES.

Diuisio instrumenti disciplinarum. *Ordo.*

CVM uniuersè in præcedentibus de Instrumento egerim, quia instrumenta propria scientiarum, & Artium varia includunt utilia cognitu, & satis obscura; ideo seorsùm distinctiùs de illis agendum censui. Instrumentum disciplinarum, uel refertur ad distributionem partium, uel ad earū explicationem: si ad primum, dicitur Ordo; qui duplex est, uel simplex uel mixtus; Ordo simplex est duplex, unus cōpositionis alter resolutionis. Ratio huius distinctionis est; quia uel cupimus inuenire partes disciplinæ, & partium afferre rationem, quæ ea petitur ex fine, & utimur resolutione; uel cupimus disciplinam construere, & alios per eam instituere, & utimur compositione. Primus ordo emulatur institutum Naturæ; alter uerò productiones eius. Nonnunquam tamen ob uarias occasiones, & commoditates; in partibus mutamus ordinem, & modò compositione, modò resolutione utimur. Ex aduerso si inseruit Instrumenum pro explicandis partibus disciplinarum, dicitur Methodus, & Via, qua progredimur in cognitionē rerū.

Methodus

Quę Methodus uel est uniuersalis, uel particularis: vniuersalis dicitur vniuersa disciplina methodo formata, & tradita, ut Dialectica, Rhetorica, Ars Medendi & similes, quæ sæpè nomine Methodi denotantur. Si fuerit particularis, ea uel est sine ratiocinatione, uel cum ratiocinatione: si fuerit sine ea, uel est per prima absolutè, & secundum Naturam, uel nobis tantùm; si per prima absoluè, ea est diuisio, & compositio membrorum diuisionis, constituendo ex eis definitionem; quæ est Methodus, ut mox per causas explicatur definitum. Si per prima nobis ea est compositio, & resolutio: Compositio quidem, qua progredimur ascendendo, & ex pluribus indiuiduis constituimus unam speciem, ac ex pluribus speciebus componimus genus vnum: Resol. uerò, quatenus inferiora composita in superiora & priora principia resoluimus. Dum inferiora consideramus

Diuisio & Cōpositio.

ramus

ramus tamquam multa,& ea in unam speciem uel genus redigimus,dicitur Cõ positio.Dum uerò inferiora consideramus,vt unum & id in sua principia componentia redigimus,dicitur Resolutio,ut dum hominem in Animal, & rationale resoluimus,uel in corpus & animam. Methodus itaq; sine ratiocinatione est Diuisio,Definitio,Resolutio,& Compositio. Nec est absurdum,quòd distincta consideratione Resolutio & Compositio cùm ad ordinem,tùm ad Methodum pertineant;nam pertinent ad ordinem,ut post unum eo ordine explicamus aliud; Ad methodum uerò, dum ex uno notiore progredimur ea uia in inuentionem,& explicationem alterius. Ex aduerso si Methodus fuerit cum ratiocinatione,ea erit quadruplex,Syllogismus,Enthymema,Inductio,& Exemplũ, quæ communi Argumentationis nomine denotantur. Syllogismus deinde triplex est,uel omninò est Cathegoricus,uel penitùs hypotheticus,uel mixtus.Insuper Cathegoricus uel est ostensiuus,uel dialecticus, uel Sophisticus. Ratio quaternarij numeri argumentationum hæc est;nam ratiocinando, uel progredimur ex toto ad partem per dictum de omni;uel de nullo, & inde consurgit syllogismus;Vel à partibus omnibus,siue actu siue facultate sumptis,ad totum, & dicitur Inductio;uel à parte consimili nota,ad partem alteram, & dicitur Exemplum;uel quartò partim ex toto,partim ex partibus, progredimur ad partem,& dicitur enthymema,nam dicitur progressus ex toto,quatenus utimur uniuersali,dicitur ex partibus, quatenus id uniuersale collegimus ex uarijs particularibus,ut si dixero Alcibiades noctu uagatur, est itaq; fur, mente seruo eam maiorem,quicunque noctu uagatur, est fur, quæ colligitur ex uarijs particularibus experientia notis in multis.Hinc Enthymema uim habet multorum exemplorum;Et quia non ambas proferimus propositiones,ideò dicitur Syll. detruncatus & nomen recipit ex cogitatione, quoniam uim includit per enunciationem mente seruatam.

Methodus sine ratiocinatione. 4.

Cum ratiocinatione.

Cur Argumento sit. 4.

Non ualemus imaginari plures progressus, facultate inferendi præditos,nam ex uno toto distincto,ad aliud totum, cum aliquo nexu necessitatis progredi non ualemus, cum ea sint seiuncta, nec consideretur aliquid uel commune uel consimile, ea nectens, & ob id genera argumentorum non sunt plura, quæ ego in compendio Logicæ distinctiùs explicaui.

INSTRV-

DE RERVM DEFINITIONIBVS
INSTRVMENTVM LOGICVM
Addiscendi.

- Vel refertur ad distributionem partium disciplinæ, & est ORDO
  - Vel est simplex
    - Vel institutum ordinātis est inuenire partes earumq; rationē afferre & utitur Resolutione, cum prænotione finis, respondente ordini appetitionis.
    - Vel institutum ordinantis, inuentis partibus, est alios instituere, & distinctè disciplinam tradere, & utitur Cōpositione, respondente ordini cōpositionis naturę.
  - vel Mixtus
- Vel ad explicationem attinentium ad disciplinam, & dicitur Methodus, & Via
  - Vel vniuersalis, & est tota disciplina, Methodo tradita.
  - Vel Particularis
    - Vel est cum ratiocinatione
      - Vel ex toto ducit ad partem, & est Syllogism⁹.
        - Vel omninò est cathegoricus.
          - Vel est ostensiuus.
          - Vel Dialecticus.
          - Vel Sophisticus.
        - Vel omninò hypotheticus.
        - Vel mixtus.
      - Vel ex partibus omnib. ad totum, & est Inductio.
      - Vel ex parte ad partem, & est Exemplum.
      - Vel partim ex toto, partim ex parte ut Enthymema.
    - Vel sine ratiocinatione
      - Vel est per prima absolutè.
        - Vel ea prima cōsiderātur, tamquā unū totū, vel commune genus, & oritur Diuisio.
        - Vel considerātur, ut simplicia cōponentia, & oritur Compositio definitionis.
      - Vel per prima nobis tātùm.
        - Vel ea cōsiderantur, ut plura redigenda in unū, & est Cōpositio opposita Diuisioni cōmuniū.
        - Vel tanq̄ unū redigēdū in sua principia, & oritē Resolutio.

Ordo itaq; simplex, duplex est, Compositionis & Resolutionis.
Methodus cum ratione 4. Syllogismus, Enthymema, Inductio, Exemplum.
Methodus sine ratiocinatione 4. Definitio, Diuisio, Compositio, Resolutio.
Genera Logica instrumentorum sex, Ordo, Argumentatio, Definitio, Diuisio, Compositio, Resolutio.

DEFI-

DEFINITIONES.

INstrumentum Logicum est concausa, per quam breuiùs, distinctiùs, faciliùs, & veriùs, disciplinas addiscimus, vel alijs manifestamus. *Instrumentũ Logicũ.* Ordo est congruens dispositio plurium, vel disciplinarum, vel partium eiusdem disciplinæ, cùm inter se, tùm ad unum primum, ex rerum Natura à dirigente deprompta, vt disciplinæ pro facultate Naturam rerum emulentur, distinctèq; legentium animis eam offerant. *Ordo.* Ordo Compositionis est congruens dispositio plurium, vel disciplinarum, vel partium, cùm inter se, tùm ad vnum primum, origini rerum respondens, vt distinctè addiscentes instituantur. *Compositionis.* Ordo Resolutionis est congruens dispositio plurium, vel disciplinarum, vel partium, cùm inter se, tùm ad vnum primum appetitui agentis respondens, vt per rationem, ex fine sumptam, refulgeant partes redigendæ in ordinem. *Resolutionis.* Methodus vniuersalis est disciplina tota, Methodo tradita: Methodus particularis est via, qua arte per nobis nota, in cognitionem latentium progreditur. *Methodus.* Argumentatio est ratio rei dubiæ fidem faciens. Siue Argumentatio est ratio, qua ex nobis notiore, in latentius progredimur. Insita enim via est ex notioribus nobis, vt dicitur in procemio primi Phy. *Argum.* Syllogismus est ratiocinatio, in qua positis quibusdam, necessariò per ea quæ posita sunt, aliud sequitur; siue ex forma connexionis eorum, aliud sequitur. *Syllogism.* Demonstratio est Syllogismus generans scientiam, constans ex primis, veris, immediatis, notioribus prioribus, & causis conclusionis. *Dem.* Syllogismus dialecticus est Syllogismus opinionẽ pariens, cõstãs ex his, quæ probabilia sunt. *Syll. Dialecticus.* Probabile est, quod approbatur vel ab omnib. vel à pluribus. uel à sapiẽtib. et ab his, vel ab omnibus, vel à pluribus, vel à maxime fama cõspicuis. Syllogismus sophisticus est syllogismus vel verè vel apparens, aptus decipere, uel per apparentem Syllogismi formam, uel per principia, quę apparent uera, cum non sint. *Sophistic.* Enthymema est ratio, in qua ex toto per plures partes noto, partem aliquam inferimus. *Enthymema.* Inductio est ratio, per quam ex partibus omnibus uel actu uel facultate assumptis, totum inferimus. *Inductio.* Exemplum est ratio, per quam ex parte nota alteram partem consimilem inferimus. *Exemplũ.* Diuisio est Methodus, qua sumpto commu ni toto, id per proximas oppositas & secundum se differentias diuidimus, ut in contentorum sub eo inuentionem ducamur. *Diuisio.* Definitio est Methodus, qua per inuenta simplicia principia quid uel propter quid explicantia, in rei definitæ notitiam ducimur. *Definitio.* Compositio est Methodus, qua ex partibus confusè notis in notitiam communis eleuamur. Vel Compositio est Methodus, qua per communia competentia partibus confusè nota, in notitiam ipsius communis eleuamur. *Cõpositio.* Resolutio est Methodus, qua compositum confusè notum, in Elementa eius resoluentes, in notitiam Elementorum ducimur, ex quorum inuentione distincta compositi notitia con surgit. *Resol.*

∴

L ANNO-

DE RERVM DEFINITIONIBVS

ANNOTATIONES.

ANIMADVERTENDVM primò, quòd ego pertinentia ad ordinem, in Introductione ad Ciuilem Scientiam, & in Comite Politico exactè explicaui. Definitiones autem cęterorum instrumentorum non magni sunt ponderis, ideò eas breuissimè protuli, nec mihi fuit curæ varias referre. Animaduertendum secundò, Ratiocinatione non esse conditionem necessariam methodi, adeò vt in eius ratione includatur, ut perperàm nonnulli putant. Quod paret ex diuisione, quæ ab Arist. in procemio de anima cont. 5. nuncupatur Methodus, cum tamen non includat rationem. Quod si Alexander (referente Simpl. in procemio Phy) & Philop. dixère, Methodum includere rationem, ipsi non de quauis particulari Methodo loquebantur, sed de uniuersali, quæ est scientia tota Methodo tradita. Tertiò animaduertendum, quòd Arist. loquens in Logica de instrumentis scientiarum, præsertim de Argumentatione loquutus est, cum qua, nimirùm cum demonstratione, definitio iungitur, quoniam Methodus cum ratione magis Artificiosa est, & maiori eget explicatione: De cęteris est loquutus, quatenus huic opem ferunt, ut de Diuisione, & Compositione in 2. post. Ordo parum artis includit, in ordine enim naturam sequimur, ideo Arist. fuit satis affirmare & monere, Ordinem ex Natura esse petendum, quod sæpè fecit, ut in Introductione ad Moralem Philosophiam patefeci.

Ratiocinatio non est conditio necessaria Methodi.

Ordo parū Artis includit.

PRIVA-

PRIVATIO DISTINCTIONES.

VSVRPATVR nomen Priuationis nonnunquam pro contrario deteriore;in qua significatione in 1.Phy. ait Ari. Contrariorum unum continere,& esse excessum, alterum uerò contineri & esse defectum, & lucidiùs hoc indicauit in tertio Phy.cont.5.Nonnunquam uerò usurpatur pro ab sentia formæ: & tunc etiam usurpatur multipliciter: non nunquam enim usurpatur pro quouis denotato per particu lam priuatiuam,ut ait Arist.in 5. Metaph.27.quæ particula apud Græcos est.α. apud latinos, in, & huius modi Priuatio ualet competere omnibus; & denotat bonum,si remouet malum;denotat autem malum, si remouet bonum. Sic Deus dicitur infinitus,immobilis,immateriatus;Homo inuidus,iniustus, & sic de cæteris,adeò ut sic dicatur de omni negatione, quæ cum priuatiua particula denotatur,ut uox dicitur inuisibilis. Nonnunquam autem usurpatur pressiùs, pro remotione aliqua ab eo,cui id non repugnet: & hoc contingere potest uarijs modis.Primò pro his,quę non reperiuntur,& apta sunt reperiri per creatio nem,ueluti dicimus creationi Mundi, eius priuationem præcessisse. Secundò pro eo cui non repugnat forma ratione generis remoti,ut Planta est cęca. Tertiò,cui non repugnat ratione generis proximioris,ut Talpa dicitur cæca. Quartò,cui non repugnat ratione propriæ speciei, repugnat tamen ratione temporis,ut catuli,dum oriuntur,cum non uideant,dicuntur cęci:Quintò,cui non repugnat neq; ratione propriæ speciei,nec ratione tēporis, ut si catuli post primos dies non uident,iudicantur cęci.Et hæc est uerior Priuatio, quæ usurpatur tripliciter,nimirùm pro absoluta remotione formæ, pro diminutione, & pro deprauatione,ut ait Auer.3. de cælo con. 25. Maximè tamen propriè Priuatio est ea,quæ formam remouet à proprio subiecto, apto eam habere, & in tempore congruente,quæ Priuatio uel subiecto competit per uiolentiam,uel per naturā. Insuper uel competit Composito quod actu est,ut homo dicitur cęcus, & ignarus;uel Primæ Materiæ,in qua considerantur duo gradus priuationum,quorum unus comitatur naturam materiæ, per quam dicimus materiam esse priuatam omni forma,& aptam recipere omnem. Quod priuationum genus in quatuor primò distribuitur, quatenus materia primò est apta recipere quatuor formas Elementorum,ob quas ab Arist.in 4. de Cęlo 37. dicitur quadruplex. Alter priuationum gradus,materiæ competens,consurgit ex dispositionibus proprijs formarum,quarum sunt priuationes.Gradus primus respondet generi materiatarum formarum.Alter uerò respondet singulis materiatis formis. Primus gradus nec fit,nec interit,sed comitatur materiam;nec respondet uniformæ, sed generi earum.Alter uerò incipit & desinit pro singulis,de quo loquitur Arist.in 1. Phy.82.inquiens,Materiam per priuationem gigni & interire. Qui secundus gradus etiam diuiditur,quia uel antecedit formæ,uel sequitur interitum eius.Insuper uel remouet formam solam,non autem facultatem,uel etiam facultatem.

Priatio denotat,et malum,et bonum.

Verior priuatio triplex dicta.

Duo gradus priuationū materiæ.

DEFINITIONES.

PRIVATIO est ex se non ens, ex accidenti ens. Insuper Priuatio est principium generationis secundum se, rei autem genitæ ex accidenti. Prætereà Priuatio secundum se est turpitudo, & malum, ex accidenti autem est bonum aliquod. Insuper Priuatio cũ ex se neque numeretur inter ea quæ sunt, neque sit hoc aliquid, cum tamen materiæ competat, est terminus à quo generationis, ad quem verò interitus. Prætereà Priuatio cum sit absentia formæ, quia materiæ competit, est occasio, vt formam appetat. Insuper est absentia formæ, ob quam materia redditur turpis, fit, & interit, & cum nil fit actu, redditur omnia potestate. Definitio potior priuationis, propriè sumptæ, hæc est. Priuatio est absentia formæ in subiecto apto eam recipere quando, & quomodo eam recipere aptum est.

Definitio potior.

ANNOTATIONES.

DE Priuatione cumulatè disserui in libris de Materia, propterea modò solùm capita nonnulla quàm breuissimè tangam. Considero primò Priuationem à negatione seiungi, quia negatio nil ponit, & ob id absolutè ab Arist. inter non entia numeratur. Priuatio verò quamuis remoueat habitum, tamen consignificat subiectum eius, ac ob id dicitur ens ex accidenti: negatio est cõmunior priuatione, de omni enim cęco dicimus, quòd non videt; at non omne non uidens dicitur cęcum, ut lapis. Considero Secundò, quòd Priuatio dicitur modo quodam forma, ut in 2. Physi. 15. & in quinto Met. dicitur modo aliquo habitus; similiter in quinto Phy. cont. 9. legitur, Priuatio ponatur contrarium, & monstratur affirmatione, ut nudum, & nigrum; ideò quæritur, cum opponatur formæ, quomodo ualeat dici forma? Et dicendum est eam esse formam, & includere conditionem formæ, non ut opponitur formæ, sed ut distinguitur à negatione, & est forma; Primò ut nectitur magna ex partę cum antecedente forma, ut ait Alex. in 1. Nat. q. Secũdò ut usurpatur pro forma deteriore; Tertiò ut per eam modo aliquo denominatur subiectũ & materia, ut nudum; Quartò ut Priuatio propria consurgit ex dispositionibus subiecti proximi, præsertim tamẽ forma dicitur ea priuatio quæ est in subiecto quod actu est, & forma, deterior, de quibus dedit exemplum Arist. in quinto Phy. cõt. 9. inquiens ut nudum, & nigrum. Considero tertiò, quòd cum quæratur, an detur Priuatio priuationis? inquit Simpl. in primo Phy. Priuationem esse formæ, non autem priuationis, quia non datur absentia absentię, alioquin daretur progressus in infinitum. At dicendum est priuationis secundum se non dari priuationem, dari tamen dum consideratur tanquam forma quædam, ut puer dicitur priuatus iniustitia. Considerò quartò, quòd cum Arist. in post prædicamentis dicat, A priuatione ad habitum non dari regressum, & id in dubium uertatur, cum in primo Phy. statuatur Principium generationis. Solui debet dubitatio, dicendo à priuatione, quæ est in subiecto in actu, quæ est post formã, & quę remouet formam & facultatem, nõ dari regressum; At à priuatione ordinata in formam, quæ attinet ad primam materiam, & solùm remouet formam, dari posse;

Priuatio a negatione seiũgitur.

Priuatio quomodo sit forma.

An detur priuatio priuationis.

Quomodo à priuatione ad habitum detur regressus.

posse; & ille non rectè dicitur regressus, quia illa forma non præfuit in materia, sed progressus ad formam, cuius erat priuatio: propriè regressus erit per diuinam facultatem in Die vniuersalis iudicij, dum mortui resurgent. Quintò considero, quòd quamuis substantiæ non competat contrarium, tamen oppositio formæ & priuationis, quę contrarietas latè sumpta dicitur, primò & propriè competit substantiæ. Ratio prima est, quia ei competit propriè sumpta forma, cuius præsertim dicitur esse priuatio. Secunda, quia ea versatur circa materiam, ad quam propriè priuatio pertinet. Sextò animaduertendum, quòd Priuatio non dicitur appetere formam, cum ei opponatur, dicitur tamen necessariò requiri, vt materia formam appetat, nil enim optat quod habet, vt dicitur in 1. Phy. 81. Et cum necessariò requiratur pro appetitu, non ob id dicitur causa eius, sed conditio necessariò requisita, Occasio ob quam appetit, & principium: communius enim est principium, quàm causa. Nam cum Priuatio sit absentia, & secundum se non ens, non valet esse causa, sed terminus, & Principium secundum se generationis, rei autem genitæ ex accidenti, cum eius non sit pars. Quæritur tamen cum Priuatiò non sit verè causa, ad quam causam modo aliquo redigatur? Et dicendum est, quòd partim redigitur ad materiam, partim ad formam: ad materiam quidem, tamquam aliquid necessariò pro ea requisitum, vt formam appetat: ad formam verò, vt est forma quædam, & modo aliquo disponit materiam, eiq; denominationem tribuit, vt iam patefeci. At dum ex se, & propria ratione consideratur, ea nec ad formam, nec ad materiam redigitur, sed est principium propria conditione ab utrisq; distinctum, nam si propriè redigeretur; Principia non tria, sed duo tantùm essent.

Substãtia maximè competit oppositio formæ & priuationis.

Quomodo priuatio redigatur ad causã?

CREATIO.

DISTINCTIONES.

CREATIO dupliciter vſurpatur, uel latè pro rerum productione, vel propriè, de qua eſt ſermo. Quæ Creatio propriè ſumpta duplex eſt, vel æterna & dicitur æterna emanatio, vel noua, & hæc vel eſt formæ, vel compoſiti, uel materiæ, Materiæ tamen potiùs competit Concreatio, quam Creatio: concreatur enim cum forma, cum ei repugnet ſubſiſtere ſeorsùm à forma, quæ Creatio competere poteſt cùm ſubſtantiæ, tùm accidenti, cum enim accidentia per Dei facultatem ſeruari valeant ſeorsùm à ſubiecto, etiam ſine eo creari poſſunt.

DEFINITIONES.

Scotus. CREATIO à varijs vario modo definitur. Scotus in 2. ſent. diſt. 1. q. 5. ait, Creatio eſt totius in eſſe productio nulla ſuppoſita parte ſua. *D. Thom.* D. Thomas in 2. ſent. ait, Creatio eſt productio rei in eſſe ſecundum totam eius ſubſtantiam. *Durand.* Durandus in 2. ſent. q. 1. ait, Creatio eſt actio, per quam aliquid in eſſe producitur ex nihilo. *Alij.* Alij dicunt. Creatio eſt ex nihilo penitùs ab omnipotenti creatore rerum in eſſe ſimplex emanatio. Alij dicunt, Creatio eſt productio rei creabilis ex non eſſe ſimpliciter ad eſſe, ſine ope materiæ. Nonnulli inquiunt, Creatio eſt deductio ſubſtantiæ, quæ ex ſe deficere ualet, Per Dei Potentiam cum voluntate libera ex nihilo ad eſſe ſimpliciter. *Definitio proprior.* Putarem ego dicendum, Creatio eſt actus perfectus creatoris Dei, quo creabile ex non eſſe penitùs, cui non repugnet eſſe, conſtituitur in eſſe.

ANNOTATIONES.

Gen' Creationis. CONSIDERO primò, rectè pro genere Creationis accipi actum perfectum. Vt enim Ariſt. definiens motum pro genere ſumpſit actum imperfectum, qualis eſt actus entis poteſtate, ut eſt poteſtate: ita pro genere Creationis, à motu diſtinctæ, rectè accipitur actus perfectus, qui totus eſt ſimul. Inſuper conſidero non eſſe neceſſarium addere ſine ope materiæ, quia id includitur dicendo, quòd ſit actus perfectus ex non eſſe penitùs, & c. Conſidero tertio, quòd quamuis id quod creatur, ex nihilo fiat, tamen id expoſcit, ut ei non repugnet eſſe, quod denotat Scotus per potentiam obiectiuam; & quamuis id includatur dicẽdo Curabile, adeò vt dimitti poſſit: clarioris tamen explicationis gratia id quoq; in definitione aſſumpſi. Conſidero quartò, Philoſophos propriè Creationis fuiſſe ignaros, cum enim conſiderârint opera Naturę, quæ errare nõ ualet, creationem cognoſcere non valuerunt, ideò Ariſt. in primo Phy. conſenſione

ſione omnium Philoſophorum enunciauit, ex nihilo nihil fieri,& in nihilum nil redigi poſſe. Qua de re verba feci in libro de Creatione. De Platone tamen eſt dubitatio, An Creationem nouerit, cum frequenter eam indicaſſe uiſus ſit? Et varijs prætermiſſis,quæ in eodem libro retuli & conſideraui, breuibus dicendum puto,Creationem nouam minimè illum nouiſſe, & conceſſiſſe: Creationem autem æternam pro æterna emanatione Mentis ex Deo illum approbaſſe.Nam ex eius ſententia ex Deo,ratione boni fæcundo, ab æterno manauit Mens,quæ ſi à Deo ſecundum eſſentiam non diſtingueretur, vt putauit Io.Picus Mirand comes,ea non eſſet creatio,ſed communicatio alterius perſonæ, vt ex ſententia Theologorum,ea perſonæ filij non eſt creatio,ſed communicatio. At quia Iamblichus,Proclus,Plotinus,& potiores Academici aiunt ſecũdum eſſentiam diſtingui,ideò ea erit æterna creatio,& emanatio. Mox ex Mente per prima nõ participata,tanquã ex ſole,prodeũt veluti radij participationes eius,quæ dicũtur Mentes participatę,quæ etiam non propriè eſt Creatio,ut nõ dicuntur creari radij ex ſole prodeuntes,ſed effundi,quia noua eſſentia non cõſtituitur in eſſe. Tertiò ex Mente non participata per Ideam Animæ prodit Anima rationis compos, & præſertim ea Mundi, quæ dicitur prima Ideæ animæ participatio,& hæc dici poteſt ęterna emanatio & creatio,cum eſſentia animæ diſtinguatur ab ea Mentis,& conſtituatur in eſſe ſine ope materiæ. Similiter ex Mente non participata per infinitum in ea incluſum, ab æterno indefinita conditio materiæ prodijt,quæ etiam eſt æterna quædam emanatio & creatio, quæ materia mox ordine non temporis,ſed originis, ab anima Mundi ſeminibus repletur,per quæ redditur fæcunda,& conſtituitur Natura,quæ eſt uis ſeminaria,à Mundi anima infuſa materiæ:Ea ſeminum effuſio non propriè dici meretur Creatio,cum non ſint eſſentia rei completa,ſed tanquam inchoatio quædam,& recipiantur conſpiranti conditione propria materiæ,mox uerò cum ex Materia per ſemina cętera producantur,ea non creari,ſed gigni dicẽtur. Adeò vt Academici creationem æternam,ſumptam pro æterna emanatione approbauerint;nouam verò,& in tempore non cognouerint. Demùm conſidero in vniuerſa rerum conſtitutione hos decem gradus conſiderari.Prima eſt communicatio diuinæ eſſentiæ Filio.Secunda eſt ſpiratio, qua Pater & Filius dicuntur ſpirare Sanctum Spiritum. Tertia eſt æterna emanatio, ſiue creatio. Quarta eſt creatio noua. Quinta eſt imitatio ſiue participatio, de qua Academici aiũt formas in materia exiſtentes eſſe imitationes,& participationes idearum. Sexta eſt repręſentatio,ut radij repręſentant ſolem,& ſpeculum res in eo refulgentes. Septima eſt propriè ſumpta generatio. Octaua eſt ſecretio, qua Anaxagoras dicebat res præexiſtentes ex Chao, & Materia ſecerni.Nona eſt principiorum connexio,qua Democritus & Epicurus putârunt omnia gigni per atomorum connexionem. Decima eſt condenſatio & rarefactio, qua Thales, Diogenes, Heraclitus, & multi ueterum Philoſophorum dicebant ea fieri, quæ gigni videntur.

An Plato creationẽ nouerit.

Academici æternam emanationem approbarunt.

Decẽ gradus conſtitutionis rerum.

.·.

CASVS,

CASVS, FORTVNA, ET SORS. DISTINCTIONES.

Casus. CASVS, Fortuna, & Sors adeò nectuntur, ut frequenter vnum pro altero vsurpetur. Et propterea simul explicanda occurrunt. Casus vsurpatur dupliciter, nonnunquam latè, ac ita etiam de Fortuna dicitur, nonnunquam pressiùs, ut à Fortuna secernitur, de quo dicimus Casum uersari in agentibus per Naturam, Fortunam uerò in agentibus cum ratione & selectione. Insuper Casus usurpatur, uel propriè, ut apud Aristotelem, de quo erit sermo, uel minus propriè, ut apud Empedoclem, Democritum, Leucippum & Epicurum. ex quorum sententia ea quæ fiunt secundum quendam naturæ impetum, & ex necessitate materiæ dicebantur casu fieri, ut casu Democritus dicebat gigni Mundos, ex fortuita conspiratione atomorum in immenso vacuo. Fortunæ octo modis usurpatur. Fortunæ nomen præsertim octo modis vsurpatur. Primò enim Fortunæ bona frequenter Fortunæ nomine denotantur, ueluti dũ dicimus tenues & angustas fuisse Fortunas Socratis, & Aristippi. Secundò pro quauis consequutione bonorum Fortunæ, in qua significatione dicimus Philosophos esse infortunatos, quosdã verò mercatores Fortunatos. Tertiò pro quauis prospera uel aduersa adeptione finis, quem sibi agens proposuit, veluti Principes, duces exercituum, & Rerump. moderatores. dicuntur Fortunati, vel infortunati. Quartò propriè apud Aristotelem pro causa agente cum ratione, dũ aliquid præter institutum extra semper & frequenter attingit. Quintò vsurpatur non pro causa, sed pro eo quod causæ agenti extrinsecùs contingenter occurrit, ueluti Fortunam dicimus, ut Fodienti terram acciderit, quod alius eo loci Thesaurum deposuerit. Sextò pro causa latenter in aliud operante, in qua significatione in lib. de Mundo legitur, Deum Fortunæ nomine denotari, & Romani ignoto Deo Templum erexerunt; & D. Aug. ait, Fortunam esse occultum ab occulto. Septimò vsurpatur pro conditionis cuiuscunq; rei adeptione & participatione, in qua significatione Simpl. in 2. Phy. ait, ubi distinctio, & participatio, ibi fortuna locum habet: distinctio autem, & participatio cunctis competit præter quàm Deo. Sic Apollo Phaetonti dixit,

Sors tua mortalis, non est mortale quod optas.

Octauò usurpatur pro Casu, ueluti apud Arist. in 1. Rhetoricorum dicentẽ, De his quæ contra Naturam fiunt, nil attinet hoc loco subtilius disputare, vtrũ à Naturæ aliqua ui, an ab alia quadam causa gignantur, nam Fortuna etiam eorum omnium uideri causa potest &c. Similiter inquit, Fortunam esse causam, si cæteri fratres sint deformes, vnus sit formosus, cum tamen id ex Natura pẽdeat. His etiam addere possumus, Fortunam dici ex Astronomorum sententia de stellis earumq; constitutionibus, & aspectibus: propterea inquiunt in stellis fulgere Fortunam bonam & aduersam; & aspectus nonnullos esse Fortunatos, alios infortunatos. Prætereà diuiditur Fortuna ab Arist. in 2. Phy. in bonam & malam, & vtraq; esse potest uel mediocriter talis, uel cum aliquo excessu, & tunc dicitur infortunium, vel ualde prospera Fortuna: Fortuna, quæ neutra sit, non consideratur, vt si homini tendenti in forum occurrat Mus, ideò negligitur, & solùm

Sors. Fortuna bona, & mala consideratur. Sors maximè affinis est Fortunæ, omne enim quod Forte Fortuna euenit, dicitur sorte euenire; Sors tamẽ est latior, quàm

propriè

propriè ſumpta Fortuna. Diciturenim Sors bona & mala etiam dum agens propter illum fine operatur, veluti piſcatores dicuntur bona ſorte multos cape re piſces,& venatores feras,quamuis eius finis gratia laborẽt:Similiter in Ludis & nuncupatis Lottis rectiùs Sors,quàm Fortuna verſari dicitur. Et Sors etiam veluti Fortuna ſolùm dicitur de bona & mala,nam ea,quæ neutra eſt, negligitur,& per eam homo non denominatur.

DEF NITIONES.

DEFINITVR Fortuna à Speuſippo in lib.de definitionibus Platonis,quòd ſit motus ab occulto in occultum caſum quodam ſe licis actionis cauſa. A Proclo uerò in expoſitione Timæi, quòd ſit poteſtas Dæmonica, congregans inuicem cauſas inter ſe diuulſas. Auer.9. Met.con.16.inquit,Fortunam eſſe qualitatẽ uitæ nobilis.Ex ſententia Senecæ Fortuna eſt Deus, quatenus latẽter ea producit,quæ forte fortuna euenire dicuntur; Deus enim ut variorum eſt cauſa,varijs nominibus denotatur.Ex ſent.Ariſt.Fortuna eſt cauſa efficiens propter finem,cum ratione & ex accidenti,eorum,quæ nec ſemper,nec frequẽter eueniunt.Caſus latè ſumptus eſt cauſa efficiens propter finem ex accidẽti eorũ, quæ nec ſemper, nec frequenter eueniunt.Vt verò contradiſtinguitur à Fortuna, caſus eſt cauſa efficiens propter finem ſine præelectione & ex accidenti eorum,quæ nec ſemper,nec frequenter euenire apta ſunt. Sors eſt cauſa efficiens propter finem cum præelectione,eorum bonorum uel malorum,quæ indefinitè & contingenter eueniunt.

Definitio fortunæ. *Caſus.* *Sors.*

ANNOTATIONES.

NON vagabor in explicandis attinentibus ad Fortunã & Caſum, quia latiſſimè in Philoſophia Ciuili de illis uerba feci:ſolùm pau ca breuiſſimè referam.Conſidero primò pro intelligenda ſententia Ariſt quinq; diſtinctionibus eſſe utendũ. Prima eſt cauſæ in quatuor genera.Secunda eſt cauſæ efficientis in operantem propter finẽ,& nullius finis gratia. Tertia eſt operãtis propter finẽ, quia uel operatur cum ratione & ſelectione,uel ſine.Quarta, quia uel ſunt cau ſæ eorũ,quæ eueniunt & aut ſemper,aut frequenter, vel eorũ, quæ nec ſemper nec frequenter eueniunt.Quinta,quia uel ſunt cauſæ alicuius ſecundũ ſe, adeò ut id expetierint,vel ex accidenti.Ex his quinq; diſtinctionibus eliciuntur quatuor cõmunia Caſui,& Fortunæ,& una differentia.Cõmunia ſunt,ut ſint cauſę efficiẽtes,propter finẽ,ex accidẽti;eorũ quæ eueniũt extra ſemper & frequẽter. differũt autẽ quia Fortuna attinet ad cauſam efficientẽ cũ ratione & ſelectione: Caſus verò ad operantẽ per Naturã.Cõſidero ſecundò,quòd non inutiliter indefinitionibus cùm Caſus,tùm Fortunę addi poſſet,quòd ſint cauſſæ bonorum, uel malorũ.Nã ea,quæ nec bona,nec mala ſunt,negliguntur,nec de illis Fortunæ & Caſus nomine utimur. Conſidero tertiò,quod quamuis cùm Caſus, tùm Fortuna,per bonũ & malũ diuidi poſſint,ea tamen diuiſio magis Fortunæ congruit,quàm Caſui,quia Fortuna pertinet ad hominem, cui ſoli uerè bonum & malum ex mortalibus eſt aptum competere:hinc Sors quoq; propriè in bonam & malam diſtribuitur:cętera miſſa facio.

Quinq; diſtinctiones. *Quatuor cõmunia.* *differẽtia.*

FRVSTRA.

FRVSTRA

DISTINCTIONES, DEFINITIONES,

Et Annotationes.

Frustrà qd

CVM Casu & fortuna adeò nectitur Frustrà, ut apud Græcos Casus dicatur automatô, hoc est ipsum Frustrà, ideò Arist. loquẽs de Casu, explicauit, quid sit Frustrà. Frustrà est id, quod cum ordinatum sit in finem, nõ consequitur finẽ, cuius gratia paratũ est. Dicitur Frustra de Materia, de Efficiente, de Instrumentis, de Spe, de Appetitionibus, & de rebus effectis, ordinatis tamen in ulteriorem finem, dum illũ non consequuntur. De ultimo fine non potest dici Frustrà; cum in ulteriorem finem non dirigatur. De forma etiam minus propriè dicitur Frustrà, nã si adest forma, adest formatum, cuius gratia parata est, solùm de causa dicitur Frustrà cum relatione ad vsum eius, ut frustrà dicitur prochritudo, dum eius nullus est vsus. Aliquid potest dici frustrà dupliciter uel cum relatione ad institutum agẽtis, uel absolutè: per relationem ad institutum agentis est, dum à scopo recedit, quamuis aliud consequatur: absolutè uerò, dum efficiens nil penitùs consequitur, ueluti si agricola cupiens Plantare arborem, effodiat terram; & curis alijs detentus, eam non plantet, absolutè frustrà laborauit: at si fodiens inueniat Thesaurum per relationem ad finem eius à quo recedit, frustra dicitur effodisse; verùm quia Thesaurus est ei utilis dicitur, non frustrà effodisse adeò ut id secundum se sit frustrà, ex accidenti utile. Insuper Frustra est communius Casu, nam omnis Fortuna & Casus, ut sunt recessus à scopo dicuntur frustrà, at non uiceuersa, multa enim sunt frustrà, siue casu, & Fortuna. Prætereà cõsidero, Frustrà etiam distingui à Casu, quia Casus, & Fortuna magis dicuntur de causis; Frustrà verò de recessu à scopo. Insuper Frustrà solùm remouet adeptionem finis, nil autem ponit. Casus autem, & Fortuna addunt adeptionem alterius præter institutum operantis. Prætereà Frustrà magis refulget in homine, quàm in cęteris, tum quia magis conspicuè operatur propter finem, tum insuper quia finis eius est præstantior. Casus verò contra se habet, propriè enim fulget in operantibus per Naturam. Hinc Frustrà magis cum Fortuna, quàm cum Casu nectitur. Et dum Casus apud græcos dicitur ipsum Frustrà, tunc latè vsurpatur, vt etiam dicitur de Fortuna. Demùm considero de solo Deo non posse dici, quòd sit frustrà. Ratio est, quia ipse solus absolutè est gratia sui, & finis postremus. Solùm de muneribus eius possumus dicere, quòd sint frustrà, ob defectum recipientium, ut frustrà Deus inspirare dicitur in corda obstinatorum.

Frustrà dupliciter.

Frustrà tur magis competit homini, quàm cæteris.

MEN-

MENSVRA DISTINCTIONES.

PRO notitia attinentium ad Mensuram, quatuor occurrunt consideranda. Primum, quid sit mensurabile? Secundū, quo per repetitionem mensuretur? Tertium, à quo ordiendum, dum mensuratur, num à non gradu, uel à supremo? Quartum, per quid potentia uel impotentia circumscribatur, num per maximū, quod potest, uel per minimum quod non potest, uel per aliud aliquid. Hæc profectò debent distinctè considerari, & non confundi. Ordiens autem à Mensura, ea est duplex, vna interna & dicitur Mensura mensurata, altera externa, & est Mensura mensurans; sic Arist. in 4. Phy. cont. 102. unà cum Pythagora numerum diuisit in numeratum, & numerantem. Præterea quia Mensura competit rei, quę uel propriè, uel latè quanta est, & quantitas est duplex, vel continua, uel discreta, ideo duplex est mensuræ genus, unum quanti continui, alterum discreti. Mensura quanti discreti prior est, cum discretum sit prius continuo, ut rectè enunciauit Auer. 10. Met. cont. 2. & sæpè hoc indicauit Arist. veluti in primo post: inquiens, Vnitatem simpliciorem, & priorem puncto. Loquendo de mensurabili, si prima capita cōsideramus, ea duo sunt, nimirùm discretum, & continuū; si uerò distinctiùs contenta sub eis consideramus, multi aiunt mensurabilia esse quinq;, nempè Magnitudinem, Multitudinem, Pódus, Perfectionem, & Morā. Alij his addunt sextum nimirum Intensionem, quæ modo aliquo distinguitur à perfectione. Intensio enim pertinet ad gradus existentiæ, Perfectio verò ad gradus uariarum essentiarum, dum propriè usurpatur potest tamen Intensio dici modus quidam perfectionis. At deesse uidetur genus septimum, & est Positio corporū, excogitatum à Damascio, & à Simpl. approbatum in 4 Phy. in digressionibus de Loco, & Tempore. nam Locus dicitur mensura naturalis positionis corporum, quæ naturalis positio mensuratur per distantiam à cęlo & centro. Mensura mensurans à Simplicio in calce digressionis de loco quadruplex statuitur, nam datur numerus mensurans discreta; magnitudo mensurans. continua; Locus mensurans positionem corporum, & tempus moram ab ortu, cum quo tempore, & mensura moræ nectit æternitatem tanquam exemplar temporis, & duo media, quæ nuncupantur ab eodem Simpl. Vita, quæ dicitur mensura propria Animæ, & Vniuersitas, quæ dicitur mensura moræ Cęli. Theologi locum non numerant inter mensuras, sed seorsùm à tempore numerant Aeuū, ut ex æternitatis, & æui explicatione patebit. His ego addendam puto Mensuram recti, & obliqui, quæ regula dicitur, ueluti lex est regula humanarum actionum. Rectum dicitur mensura sui & obliqui, & Prudentia ac Sapientia mensuræ dicuntur, ut elicitur ex 10. Met. cont. 5. Similiter in eadem significatione Auer. eo loci ait, Deum esse Mensuram rerum, & Aristo. albedinem nuncupat mensuram colorum, nam per relationem ad summum tanquam ad rectum, mēsurantur cætera, quatenus uel magis uel miuus conformatur cum eo.

Pro mensura quatuor consideranda.

Mensura interna, et externa.

Mensurabile 2. Quincuplex.

Sextū additur. Septimū.

Mensura, mensurans. 4.

Mensura quinta.

DEFINITIONES.

MENSVRA est regula, qua quantum quidque sit cognoscitur. Mensura est primum & minimum cuiusq; generis mensurabilis, quo quantum sit quodcunq; eius generis cognoscimus. Mensura est regula, qua obliquitates, & rectitudines iudicantur. Hæc confusè sint dicta, at distinctiùs progrediens dico, Mensuram

Mensura mensurata

mensuratam esse conditionem rerum aptam mensura mensurante, sibi recta ratione respondente mensurari & cognosci. Mensura mensurans,

Mensura mensurans per repetitionem.

per cuius repetionem unumquodq; quantum sit, cognoscimus, est primum & minimum vel absolutè vel secundum sensum, nobisq; notum, cuius repetitione quantum sit quodcunque eius generis cognoscimus. Sic pondera, numeri numerati, extensiones, & intensiones mensurantur. Mensura, sumpta pro regula,

Mensura pro regula.

est exacta, certaq; ratio, per quam cunctorum illius generis obliquitates, & rectitudines iudicare valemus. Sic Lex est mensura humanarum actionum. Recta ratio Artis, est mensura eorum quæ arte constant. Ad hoc mensuræ genus redigitur id supremum in quolibet genere, dũ per accessum ad illud vel recessum iudicamus perfectiones, vel intensiones rerum, & opposita. Declarando,

Mensura pro eo à quo ordiri debeamus.

tertiò, à quo ordiri debeamus, dum perfectiones rerum vel intensione mensuramus? dicendum puto, quamuis id semper fiat cum quadam relatione ad primũ & supremum, tamen perfectio propriè mensuratur per recessum à non gradu: imperfectio verò per recessum à supremo. Non recedere à nõ gradu est eleuari ad primum, quod perfectionem denotat: recedere verò à primo, est labi in deterius, quod imperfectionis est conditio. Hinc Arist. In primo de cælo. 16. dixit, Putandum est præter corpora nobis proxima, alterum reperiri secretum, tanto honorabilius, quanto plus distat ab his, quæ hic, Indicans perfectionem mensurari per recessum ab infimo, & à non gradu: sic Positio per positionem, Priuatio

Mensura potentiarũ

per priuationem explicatur: & hoc experiẽtia & usu redditur notum. Quartò, si loquimur de eo per quod potentia vel impotentia definiatur, sententia est Arist. in 1. de Cęlo, Potentiam mensurari per maximum secundum virtuẽ quod potest; Impotentiam verò per minimum secundum uirtutem quod non potest. Calculatores verò putant utrumq; mensurari per minimum quod non potest.

ANNOTATIONES.

Vnitas Principiũ mensurarum.

ANimaduertẽdum primò, Vnitatem esse principiũ cuiuscunq; mẽsurę, ut dicitur ab Arist. in 5. Met. cont. 12. & in decimo Met. cõt. 1. Ratio est, quia Mẽsura primò & propriè cõpetit quãto: Quantorum primum, & simplicius, est discretum: Discreti principium est Vnitas: Sic Geometrica in numeros resoluuntur. Hinc vna uncia, unum granum, & ita de cęteris, dicuntur mensurare ea, quæ sunt sui generis. Considero secundò, Id vnum, quod mensuræ est principium, debere esse nobis notum. alioquin per id non cognosceremus alia. Addo tertiò, Id unum debere attinere, & referri ad quantum; quoniam quanto competit secundum se Mensura; cęteris autem, ut includunt conditionem aliquam quanti, vt docet Arist. 10. Met. con. 2. Insuper quartò, Id unum debet esse

simplex,

simplex, primum, & indiuisibile, vel absolutè, vel secundum sensum, alioquin minorum non daretur mensura. Hoc docet Arist. 10. Met. cont. 3. & in 8. Phy. cont. 76. inquit, Omnia mensurari primo; & quia motus in orbem est primus; ideò dicitur Mensura cęterorum, qui etiam quatenus est velocissimus, dicitur minimus. Addo quintò, Id vnum debere esse illius generis, cuius est id quod mensuratur, vt ponderum pondus minimum, motuum motus, & sic de cęteris, vt elicitur ex 4. cont. decimi Met. Considero Sextò, quòd scientiæ & sensus dicuntur mensuræ sensibilium, & scibilium, quatenus eis obiecta iudicantur, & potiùs sunt mensuræ mensuratæ, quàm mensurantes, vt docet Philosophus 10. Met. cont. 5. Ratio est, quia sensus, & scientiæ eatenus sunt veræ, quatenus res sunt; ideò earum veritas, & mendacium per res mensurantur. Hinc in prædicamento substantiæ ait Philosophus, opiniones eatenus veras, & falsas esse, qua tenus res sunt, vel non sunt. Insuper Septimò animaduertendum est, Cuncta, quæ sunt in Mundo præter Deum, pendere ex alio, & primum aliquod supponere, & ob id cuncta præter Deum sub mensuram absolutè priorem cadere, & Deum solum esse à tali mensura absolutè & secundum se immunem. Octauò considero, Mensuram esse duplicem, vnam ex rei natura, alteram ex parte nostri deprompt am, cum enim per mensuram noscatur aliud, quia nonnunquam mensurata sunt nobis notiora quàm mensurę, ideo nonnunquam per mensurata noscimus, & modo aliquo mensuramus mensuras: hac ratione frequenter per motum mensuramus tempus, per locata loca, & per opera Deum, ut aptum à nobis participari. Demùm considero, quòd quamuis vniuersè dicendo mensuram esse primum, & minimum cuiusq; generis mensurabilis, quo quantum sit, quodcunque eius generis cognoscimus, id posset modo aliquo extendi ad mensuram omnem, id tamen fit confusè & minus propriè: propterea pro uitanda confusione, & improprietate, distinctè sunt explicanda, cuncta, distinctéq; considerandum quid sit mensurabile, quid quo mensuratur; quid inspiciendum, vt regulam; & à quo ordiendum sit.

Scietia & sensus quo modo mensurę.

Sol° Deus est supra Mensuras.

AETERNITAS, AETAS, AEVVM, AETERNVM. DIVISIONES.

HAE voces apprimè sunt affines, & iunctæ, & ex mutua comparatione refulgent, ideò simul sunt explicandę. Aeternitas, & Aeternum solùm differunt, ut abstractum, et cõcretum. Aeternitas denotat abstractum, Aeternum uerò concretum, græce αἰδιό, αἰδιότης. Similiter Aeuum, & Aetas; nam Aeuum est cõcretum denotans semper ens, Aeuitas, quæ per syncopè dicitur Aetas est eius abstractum, adeò ut si uim nominum consideramus, Aeuum & Aeternum idẽ denotent, vt etiam Aetas, & Aeternitas: & propterea apud græcos non secernũtur, quãuis Theologi scholastici in distincta significatione eis vtãtur. Et hoc nõ latuit D. Th. qui quol. 5. Ar. 7. dixit ex inscitia linguæ græcæ prodijsse, ut Aeuũ ab Aeterno secerneretur. Cũ itaq; æternũ & æuũ denotẽt esse semper, diuiditur æuũ ab Ari. in 1. de Cęlo cõ. 100. in particulare, & vniuersale. Aeuũ particulare siue in parte, est periodus uitę, siue mora, & cõseruatio ab initio ad finẽ, unicuiq; secũdũ propriã naturã cõpetens, in qua significatione dicimus Cęsarẽ Augustũ

Aeternitas aeternũ

D. Th.

Aeuũ particulare.

M semper,

ſemper,& toto ſuo æuo fuiſſe Fortunatű,et hoc æuű in parte,uel eſt unius defini ti indiuidui,ut Platonis,uel indiuiduorű unius ſpeciei indefinitè ſumptorű: per primű dicimus æuum Platonis fuiſſe octuaginta annorum:per alterum uerò dicimus hominem poſſe viuere per centum & uiginti annos, conſiderando maximum,quod eſt aptum alicui competere. Ex aduerſo Aeuű uniuerſale, & Aeternum,denotans abſolutè eſſe ſemper,uel eſt rei corporatæ, uel rei ſeiunctæ à corpore:ſi fuerit rei corporatæ,uel eſt rei numero æternæ, & ſecundum omnes partes,quales ſunt orbes Cęlorum,uel æternæ ſpecie uariabilis ſecundum partes,ut quatuor Elementa,uel congregati ex utriſq;, ut Mundus totus. Ex aduerſo Aeuum rei ſeiunctæ à corpore etiam duplex eſt; uel enim eſt Mentis ex alio non pendentis,& huiuſmodi eſt ſolus Deus; uel pendentis, & huiuſmodi eſt genus motorum Cęli,ſub Deo ordinatorum.

Aeuum vniuerſale.

DEFINITIONES.

Boëtius.

Aeternitas,ut diſtincta ab Aeuo,definitur à Boëtio in 5. de conſol. quòd ſit interminabilis totius uitę ſimul,& perfecta poſſeſſio. Aeuum,contradiſtinctum ab Aeternitate, definitur à Card. Gaet. in 1.primi D.Th.q.10.quòd ſit unitas,immutabilis uitæ, mutabilitati coniuncta.Inſuper dicitur participatio æternitatis, in re non uariabili ſecundum eſſentiam, uariabili ſecundum actionem.Academici aiunt,quòd ſit exemplar permanens temporis fluentis.Ariſt.in 1.de cœlo 100. definiens Aeuum particulare ſingulorum,dixit,eſſe finem continentem tempus uitæ ſingulorum,cuius nihil eſt extra ſecundum naturam, & huiuſmodi æuum dicitur periodus,ſiue curriculus uitæ. Definiens autem Aeuum uniuerſale Mundi,dixit eſſe finem,ac tempus uniuerſum, & perfectionem infinitum continentem. Vt autem diſtinctiùs cum Ariſt.gradus omnes definiã, ita dicendum puto.Aeternum,quod Aeuum dicitur,& Aeternitas,quæ dicitur Aeuitas,& per ſyncopem Aetas,eſt Eſſe ſemper. Eſſe ſemper contingit dupliciter,vel in parte,vel abſolutè:ſi in parte,Aeuum eſt terminus, & circumſcriptio per maximum definita,includens vniuerſum tempus, quo vnumquodq; mortalium per naturam ſeruari aptum eſt: Si autem Eſſe ſemper intelligatur abſolutè;vel conſideratur id quod competit Deo;vel quod competit Mentibus, ſub eo ordinatis; vel quod competit Cælo:ſi id quod competit Deo,dicendum eſt, Aeternitas eſt ſemper ex ſe eſſe ſine diuiſione,& varietate,perfectionem vniuerſam,infinitiq; conditionem includens:Si conſideratur Aeuum,competens Mentibus,ſub Deo poſitis, id eſt Eſſe ſemper per participationem ac ita vt ex Deo pendeat,perfectionem,ſibi propriam, infininiq; conditionem ſine uarietate includens.Aeternitas humanæ Mentis ſecùs ſe habet:nam ob nexum cum mortalibus,ſubijcitur varietati,non eſſentiæ ſed operum, & eſt ſimilis Aeuo Angelorum,conſiderato à Theologis.Aeternitas,Cęlo competens, eſt Eſſe ſemper unà cum motu,infinitum tempus includens.Hoc Aeuum vario modo competit primo & ſupremo orbi,orbibus Planetarum,orbi mortali,& vniuerſo orbi,ut conſideranti redditur notum.

Aeuum vniuerſale. Eſſe ſemper. Aeternitas Dei. Mentiũ cęlorum. Humanæ Mentis. Cælorum.

ANNO.

ANNOTATIONES.

NOTANDVM primò est, quòd apud Platonem,& Arist. Aeternum ab Aeuo,& Aeternitas ab Aeuitate, siue à semper Esse, non secernuntur, sed pro eodem vsurpantur. Theologi tamen Scholastici considerant hunc ordinem. Primam dicunt Aeternitatem; Secundum Aeuum; Tertium Tempus. Aeternitatem tribuunt Deo, Aeuum Angelis, Tempus rebus variabilibus, & mobilibus. Aeternitatem aiunt denotare conditionem ab omni prorsus varietate immunem; Tempus conditionem varietati penitùs obnoxiam; Aeuum conditionem medio modo se habentem, quæ secundum essentiam non varietur, sed varietur secundum actiones Et quamuis de his communibus consentiant, de varijs tamen adnexis dissentiunt, vt distinctiùs retuli in lib. de Communibus Affectionibus. Considero Secundò, quòd Deus ita est æternus, vt sit ipsa æternitas; hinc Arist. in 12. Met. cont. 39 inquit, Dicimus enim Deum esse Animal ἀΐδιον, hoc est æternum, optimum, quare vita, & æuum continuum, & æternum competit Deo, hoc enim Deus est &c. quibus verbis Arist semper Esse, siue Aeternũ ab Aeuo non secernit, & Aeuum ait ita competere Deo vt sit ipsum æuum. Similiter Plato in Timæo inquiens, Tempus esse imaginem fluentem permanentis æternitatis, siue æui, inter ea discrimen non posuit, veluti etiam Boëtius æuũ ab æternitate non seiunctum tribuit Deo inquiens,

Qui tempus ab æuo ire iubes, &c.

Albertus Magnus in libro de causis inquit, Aliquid est æternum in ęternitate, & est ipsa æternitas vt Deus; Alia sunt æterna in æternitate, et non sunt ipsa æternitas, ut substantiæ separatæ; Alia sunt æterna, non tamen in æternitate, nec sunt ipsa æternitas, ut Motus, Tempus, & Mundus. Animaduertendum tertiò, Academicos Deum absolutè statuere supra omnem mensuram, & eis solis mensuram tribuere, quibus competit distinctio aliqua & multitudo. Quæ cum primò competat Menti, sub Deo positæ; iure ei primò pro mensura tribuunt æternitatem non participatam, Mentibus uerò participatis æternitatem participatam. Quæ æternitas est exemplar temporis; tempus uerò eius imago, perinde se habens ad obnoxia ortui & interitui, ac æternitas ad abiuncta à corpore, & permanentia. Inter Mentem & mortalia mediant Cęlum & Anima, quæ ut media sunt per propriam naturam & conditionem, ita media aliqua mensurâ dicuntur prædita, quæ tamen proprio nomine caret; Propterea nomine extremorum modò æternitas, modò tempus dicitur: posset tamen ea animæ dici uita, ea autem cęli uniuersitas. Adeo ut mora rerum Aeternitate, Vita, Vniuersitate, & Tẽpore mensuretur: quæ si communi temporis nomine nuncupentur, nil refert, solùm Lis erit de nomine. Aeternitatem aiunt desinere in Anima, cuius essentia ęterna est, quæ cum ex se moueatur, includit motum primum, & tempus primũ, originem, principium secundi materiati motus, & temporis, & ob id anima dicitur conditionis mediæ. Est tamen supra naturam Cęli constituta, quia est supra sensum. Motus eius est spiritalis, & initium motus corporum. Cęlum uerò sub sensum cadit, & secundo motus genere quod corporum est, mouetur, ideò animę subijcitur. Quartò animaduertendum, quòd ex sententia Aristo. in 4. Physic. Tempus non potest esse multiplex, sed sui conditione unum est, quia sequitur motum primum, consimilem, & uelocissimum, qui unicus est: at Aeuum potest esse multiplex, quia denotat definitam rei moram, & vi-

Sententia Theologorum.

Deus est ipsa æternitas.

Albertus Magnus.

Quatuor moræ mensura.

Cęlum subijcitur Animæ.

Tempus vnicum: Aeuum multiplex

DEFINITIONES.

VT variç de Tempore fuêre veterum Philosophorum opiniones, ita variæ dari debent ex eorundem sententia definitiones. Speusippus (referente Plutarcho in 7. quæstione Academica) definiens tempus dixit, esse quantitatem in motu inclusam. Alij Stoicorum dixêre esse interuallum motus. Plutarchus dixit tempus esse causam, vim, & originem, proportionis, & ordinis, cuncta quæ oriuntur continentis. Architas definiebat, quòd sit dimensio Naturæ Vniuersi. Pythagoras (referente Plutarcho in 1. lib. de placitis Philosophorum) dixit tempus esse sphæram vniuersi, quod etiam retulit Arist. in 4. Phy. 93. Simpl. illas duas nuper relatas opiniones in vnam redigit. Ex aduerso autem Plutarchus in 7. quæst. Academica ait, Interrogatus Pythagoras quid esse tempus? Vniuersi Animam respondit. Nos conciliantes relationes pugnantes dicere possumus, Tempus sumptum pro causa prima esse Animam vniuersi; pro causa autem proxima, esse sphæram vniuersi per motum suum. Insuper Anima dici potest tempus primum, & originale; Sphæram verò per motum suum esse tempus secundum, in præcedentibus explicatum ex sententia Platonis. Alij de hoc consenserunt, quòd tempus sit Motus; dissenserunt autem, quia nonnulli putârunt tempus esse motum Solis, vt Stoici. Eratosthenes autem appellans Tēpus viam Mundi, dixit, Tempus esse motus omnes cęlestium orbium, in unum conspirantes. Anaximenes, & Anaximander definientes Tempus, dixerunt vniuersè esse motum quemcunq;. De his opinionibus varia legi possunt apud Plotinum in lib. de Aeternitate. Pindarus dixit Tempus esse diuinum aliquod exuperans omnes beatos. Quæ sententia commendatur à Plutarcho in 7. q. Academic. Rodulphus dixit esse spatium deductum ex Cęli, Solisq; vertigine, quo omnium mobilium metimur agitationem, & vicissitudinem. Plot. Enneade 3. lib. 7. qui est de Aeternitate, & Tempore inquit, Tempus esse actum Animę pro cedentem perpetuo quodam transitorio motu, ex una uita in aliam: ac ita esse imaginem mobilem immobilis Aeui, quod expressit Boëtius inquiens,

Qui Tempus ab æuo ire iubes.

Academici definientes, potiùs inspiciunt tempus primum sequens motum animæ, quàm tempus secundum, quia id principalius est, & origo alterius, ac in id definit æternitas. Arist. definiens Tempus dixit esse numerum primi motus secundum prius & posterius. Hinc vt Aeternitas dicitur nunc stans, & permanens, ita Tempus dicitur nunc fluens: & aliud est nunc æternitatis, ab eo temporis.

[Margin: *Academici. Stoici. Architas Pythagoras. Cōcilium. Stoici. Eratosthenes. Anaximenes. Pindarus. Rodulph. Plotinus. Academici. Arist.*]

ANNOTATIONES.

Dub. CONSIDERO primò, quòd cum Tempus & Motus continua sint, male uidetur Arist. Tempus continuum definire per numerum, qui est quantitas discreta: nullum enim continuum est discretum, cum sint opposita. Augetur dubitatio, quia Motus est infinitus; infinitum numerari non potest, ut dicitur in 3. Phy. Prætereà omnis numerus est par uel impar; tēpus nec par, nec impar dici potest.

Sol. Pro solutione accipio discretum & continuum, siue numerum & dimensionem non esse propriè differentias oppositas, sed potius subordinatas; Nam discretum est simplicius, & prius continuo, & continuum in discretum resoluitur. Hinc dicimus punctum esse unum, non autem contra; Similiter lineæ tribuimus binarium, & ob id Arithmetica est simplicior & abstractior, quàm Geometria. Accipio Secundò, Motum mensurari statuendo terminos eius, qui sunt ipsa mutata & nunc, qui termini cum diuidi nequeant, numero solo mensurari possunt, & per eos mensurantur partes motus, eis terminatæ. Addo tertiò, Motum mensurari per animum, ratione præditum; animus autem mensurans numero utitur, ut suæ conditioni per terminos progredienti, magis accommodato.

Iure Tempus per motum definitur. Ex his elicio primò iure Arist. tempus per numerum, motu simpliciorem definiuisse; Insuper addo recta ratione id fuisse factum, cū enim tempus pro fundamento sit idem cum primo motu, & ab eo sola ratione distinguatur, debet per definitionem propria eius ratio explicari, nam dum consideratur, vt actus imperfectus, prodiens ex motore, receptus in mobili, motus dicitur, ut autem includit successionem, prius & posterius, & terminos uarios per nunc constitutos, dicitur tempus; illi autem termini & terminatę partes, per rationem solo numero denotantur, & ideò rectè tempus dicitur numerus. Et quamuis uniuersus motus numero comprehendi nequeat; tamen quia id fit à nobis per rationem, & nos solas partes finitas comprehendimus, ideò secundū partes mēsurari potest, & numerus semper dierum, & horarum erit par, uel impar.

An Tempus sit numerus numerans. At quæritur secundò, cum Tempus dicatur numerus, num sit numerus numerans; uel potius numerus numeratus? Arist. in 4. Phy. 102. inquit esse numerum numeratum. Auer. in con. dubitans de hoc, ait Tempus secundum se esse numerum numerantem; ex accidenti autem esse numeratum à motu. At conspicuè aduersatur Arist. qui absolutè dixit esse numerum numeratum. Dum autem absolutè loquimur, & præsertim in definitionibus id debet intelligi, quod est secundum se, non autem ex accidenti.

Sol. Soluens itaq; difficultatem dico Tempus distincta relatione, & consideratione dici posse & numerum numeratum, & numerum numerantem. Cum enim tempus sit fundamento idem cum primo motu, dum refertur ad nos, qui apti sumus numerare, dicitur numerus numeratus, ac ita continuationem includit: dum verò refertur ad suum fundamentum, nempè ad primum motum, à quo sola ratione distinguitur, per distinctam superadditam rationem dicitur numerans illum. Nam anima per illud numerat motum, similiter dum tempus refertur ad successionem & fluxum cæterorum motuum, dicitur numerans, vt etiam motus primus est mensura cæterorum motuum vt dixit Arist. in 8. Phy. Sic itaq; distincta consideratione tempus dici potest, & numerus, & numeratus, & numerans.

An Feræ noscant Tempus? Insuper quæritur, An iumenta & feræ noscant tempus? Respondendum, quòd noscunt fundamentum

nimirùm

nimirùm motum, & qualitates cum tempore iunctas, vt calorem, & frigus quatuor temporum anni: tempus autem secundum propriam formam, & vt numerum, non cognoscunt. Sic partim per instintum naturæ, partim per confusam temporis cognitionem, Galli gallinacei definitis horis canunt, & aues definitis temporibus mutant regiones. Varia quæri solent de Tempore, ut num potiùs sit causa ortus, vel interitus? Quæ sint ea, quæ mensurantur tempore? & alia similia, quæ ego in lib. Communium Affectionum corporis Physici declaraui.

ANNVS.

DISTINCTIONES.

ANNVS est pars temporis, definitis terminis prædita. Qui annus est duplex, vel magnus, vel paruus; & cùm annus magnus, tùm paruus multipliciter vsurpatur. Pro quorum notitia accipiendum primò est, Annum, quasi annulum, denotare quandam reuolutionem ab eodem ad idem, vel vnius definiti Planetæ vel omnium Simul conspirantium, & inuicem iunctorum. Dico Planetæ, vt excludam reuolutionem Primi mobilis, diem constituentis. Si vsurpatur pro reuolutione omnium Planetarum, simul conspirantium, ex definita quadã eorum constitutione, ad eandem siue consimilem, dicitur Annus Magnus. Qui est duplex ex sententia Academicorum, Vel Mundi, vel Animarum. Similiter qui statuunt sphæram octauam distinctam à primo mobili, vt multi Astronomorum aiunt per eam tardissimè motam constitui Annum magnum. Reuolutiones autem singulorum Planetarum, seorsùm consideratæ, constituunt Annum paruum, qui potest & maior & minor esse pro varietate reuolutionis eorũ. Veluti Virg. comparans annum solarem cum Lunari, nuncupauit Magnum, inquiens. *Annus 1.* *Annus Magn' 2.*

Intereà magnum Sol circumuoluitur annum.

Absolutè tamen reuolutio propria solis nuncupatur Annus; Ea autem Lunæ dicitur Mensis. Nam præsertim pro distinctione partium temporis vtimur motu primo, motu solis, & motu Lunæ; cum horum reuolutiones sint magis conspicuæ, & maiorem pariant varietatem; & ea Solis reuolutio Annus Ciuilis nuncupatur. Lactantius in 2. suarum institutionum ait, Chaldæos & Arabes, pro annis menses numerasse. Apud nonnullos etiam quatuor anni tempora, nimirùm Aestas, Autumnus, Hyems, & Ver anni nomine denotãtur, sed minus propriè cum non sint reuolutio vna, & completa alicuius orbis.

DEFINITIONES.

ANNVS communis, qui est Annus solis, & Ciuilis, definitur à Ptolomæo in 3. Almag cap. 1. quòd sit interuallum temporis, quo Sol suo motu mouetur ab aliquo immobili obliqui Circuli puncto, donec ad idem redierit. Puncta autem restitutionis vocat ea, quæ per solstitia & æquinoctia denotantur. Romulus Annum dicebat esse intercape- *Annus solis.* *Ptolomæ.* *Romulus.*

dinem

Annus paruum latè. dinem decem mensium, sed minus rectè, cum non sit reuolutio aliqua ab eodem ad idem. Annus Paruus, latè sumptus, est tempus reuolutionis circumscriptum per motum proprium cuiusuis Planetę ab eodem ad idem. Hinc seorsùm *Ann⁹ Magnus.* & diuisim patet, quid sit Annus Saturni, Annus Iouis, & sic de cęteris Planetis. *Ex sententia Platonis.* Patet etiam, quomodo anni non sint æquales. Annus Magnus vniuersi qui etiam vertens dicitur, ex sententia Platonis, est perfectus temporis numerus cum octo Cęli ambitus confectis suis cursibus ad idem se caput retulerint. Annus Magnus animarum ex eiusdem Platonis sententia, est mensura temporis, quo vniuersus animarum numerus, à Stellis ad infera descendens, ad easdem intermedia purgatione redierit. *Astronomorum.* Ex sententia Astronomorum Annus Magnus est interuallum temporis, quo mobile sub primo positum absoluerit cursum suũ. *Empedoclis.* Ex sententia Empedoclis Annus Magnus est duplex, vnus Mundi Sphæri & est interuallum temporis, quo Elementa dominante amicitia in Mundo Sphæro iunctissima conseruantur. Alter est Mundi Litis, & est inreruallum temporis, *Heracliti.* quo Elementa dominante Lite in mundo Litis cum mutua pugna seruantur. Ex sententia Heracliti Annus Magnus est perfecta temporis Mensura, quo Mundus, ex igne genitus, ab eius initio seruatur, quousq; iterum in ignem *Stoici.* redeat. Et id ipsum dicendum est ex sententia Stoicorum. *Democrit⁹ Epicurus.* Ex sententia Democriti, Leucippi & Epicuri, Annus Magnus est interuallum temporis, à Mundi alicuius ex Atomis constitutione ad eiusdem in Atomos resolutionem.

ANNOTATIONES.

Plato. CONSIDERO primò, quòd Plato in Timęo inquit. Dies, Noctes, Menses, & Annos esse partes temporis; Erat verò, & Erit esse species eius. Vt pertinet ad nuncupatas partes, illæ distincta consideratione, & mensuræ, & partes dici possunt, cum sint partes certa mensura præditæ. Vt verò pertinet ad præteritum & futurum, minus propriè dicũtur species. Tempus enim est vnũ, & continuum, eiusq; vna est definitio, quod distinctis speciebus non competit. Solùm similitudine quadam dici possunt species, quatenus sunt differentiæ quædam temporis, varietate aliqua præditæ. Ac ita variam quandam speciem constituentes, rectiùs tamen illæ quoq; dicuntur partes temporis. Considero secundò, quòd cum Annus solaris, & ciuilis sit reuolutio, qua Sol suo proprio motu ab eodem puncto ad idem redeat, à quouis puncto posset peti principium Anni: præsertim tamen principium per naturam distinctum est punctum uel Solstitij, vel Aequinoctij, quæ ob id à Ptolemæo puncta restitutionis nuncupantur. Tertiò considero, quòd Linea, quæ Eclyptica dicitur, quia sub ea fiũt Eclypses duplex ab Astronomis statuitur, Vna in sphæra octaua, quæ aliquantulum mouetur per motum, quem tribuunt octauæ sphæræ apprimè tardum. Altera in primo mobili nimirùm in sphæra nona, quæ immobilis dicitur, cum solo diurno motu moueatur, & consimiliter semper se habeat. Et hanc considerare debemus pro constituendo vero Anno solari, quæ etiam denotatur per Anni *Annus uerus & apparens.* definitionem. Hinc Annus dicitur duplex; vnus verus, & est reditus ad idem pũctum in Eclyptica nonæ sphæræ: alter apparens, & est reditus ad idem punctũ in Eclyptica octauæ sphæræ. Quartò considerandum, quòd cum quatuor sint *De principio anni.* principalia puncta reditus solis, duo Solstitiorum, & duo Aequatoris, inde ortum ducunt quatuor opiniones de Principio Anni, quas retuli in lib. de Com-

munibus

munibus Affectionibus, quas, vt alia multa eo loci declarata, modò prætereò. Quintò considero, quòd Cicero in libro de somnio Scipionis inquit, Homines populariter annum tantummodò Solis, idest vnius astri reditu metiuntur: re au tem ipsa cum ad idem, vnde semel profecta sunt, cūcta astra redierint, eandēq; totius Cæli dispositionem longis interuallis retulerint, tunc ille verè vertens annus appellari potest. De quo magno Anno loquens Plato in Timæo inquit est tamen intellectu facile, quòd perfectus numerus temporis, perfectum tunc demùm compleat annum, cum octo ambitus, confectis suis cursibus, quos orbis ille semper idem, similiterq; procedens, metitur, ad idem se caput retulerint. De eodem mentionem facit in libro de Regno inquiēs, Vniuersum hoc aliàs Deus ipse regit, agitat, atq; reuoluit; aliàs verò dimittit; cum Mundi orbes compecten tia sibi curricula temporis expleuerunt Mundus verò tunc vltrò ac libero motu contra mouetur. In Phædro subindicans Annum magnum animarum inquit, in idem vnde profecta est cuiusq; anima annis decem millibus non reuer tetur, si alas ante hoc spatium non recuperat, præter illius animam, qui philosophatus est sine dolo, vel vnà cum sapientiæ studio pulchritudinem amauit. De hoc Magno Anno cum sim cumulatè loquutus in libro Communium Affectio num, nolo plura referre.

Cicero.

Plato.

TEMPORA ANNI DISTINCTIONES.

VSVRPANTVR tēpora Anni tripliciter. Primò uniuersè pro qualibet constitutione partium temporis, veluti dum tempora dicimus serena, humida, aduersa, prosper, & sic de cæteris. Secū dò vsurpantur pro diebus vigiliarum, ab Ecclesia constitutarū, propè initia mutationis quatuor principalium quartarum anni, à quibus denominationem recipiunt. Tertiò magis propriè vsur pantur pro quatuor principalibus Anni partibus, temperamento distinctis, prodeuntibus ex uarijs aspectibus, & constitutionibus Solis: & de his est sermo.

Quatuor tempora.

DEFINITIONES.

ANNI tēpus est principalis portio annui cursus secundum sensum à cęteris proprio temperamento distincta. Insuper Anni tempus est pars anni solaris, dum Sol suis radijs uario modo in mortalem orbē operatur, recedens uel accedens ad uertices contētorum sub eo. Prae tereà Anni tempus apud nos inter Tropicos constitutos, est quarta anni portio, aliquo quatuor principalium Zodiaci punctorum circumscripta, ob uariū solis aspectum temperamento uario sensibiliter prædita.

ANNOTATIONES.

Cur anni tempora quatuor.

CONSIDERO primò tempora Anni apud nos iure statui quatuor, cum enim tempora Anni temperamento proprio distincta dicantur, quia temperamēta principalia sunt quatuor; ideò iure etiam tempora Anni quatuor statuuntur, quorum Aestas dicitur calida & sicca; Autumnus frigidus & humidus; Hyems frigida & sicca; Ver calidum & humidum. Aestas respondet igni, bili flauæ, & iuuentuti. Autumnus ætati consistenti, inclinanti ad senium, aquæ, & Pituitæ. Hyems senectuti, Terræ, & bili atræ. Ver sanguini, pueritiæ, & aëri. Considero secundò, tempora anni, relatis temperamentis esse prædita, contingere dupliciter; vel absolutè secundum propriam naturam & conditionem, vt apud nos, qui degimus intra tropicum cancri & parallelum borealem; uel facta comparatione cum alijs anni partibus in ea regione, vt accidit uiuentibus sub æquatore, apud quos omnia anni tempora inclināt ad calidum & siccum, vel magis uel minus, & degentibus sub Polis inclinant ad frigidum. Tertiò considero, Tēpora anni non apud omnes esse quatuor, sed apud quosdam esse octo, ut accidit constitutis sub æquatore. Nam in eadem solis reuolutione eis competunt duæ æstates, cum Sol bis transeat per uertices eorum: Similiter duæ hyemes, cū sol bis maximè recedat ab eis, & quatuor alia tempora intermedia respondentia duplici autumno, dupliciq; Veri. Animaduertendum quartò, quòd cum maximè propriè, quatuor anni tempora distinctionem propriam & conditionem seruent apud eos, qui colunt eam Terræ partem, quæ mediat inter tropicum, & parallelum uel borealem, ut nos, uel Australem ut antipodes. De principio tamen eorum apud nos non omnes consentiunt. Astronomi hæc ad cęlum referētes, considerant quatuor Zodiaci puncta, quæ cardines uocant, cum in eis fiat permutatio, & ea statuunt principia quatuor temporum, adeò ut punctum ęquinoctij, quod est principium Arietis, sit principium Veris. Pūctum Solstitij, quod est principium Cancri, sit principium æstatis. Primum punctum Librę in ęquinoctio autumnali, sit principium autumni. Et solstitium hybernum principium Capricorni, sit principium hyemis. Alij putant relata quatuor puncta esse non initia, sed media temporum anni, adeò ut initium Veris sit in medio Aquarij, æstatis in medio Tauri, Autumni in medio Leonis, Hyemis in medio Capricorni. Nonnulli initia temporum non constituunt in medio relatorum Signorum, sed dicunt die uigesimo tertio illius signi, fieri mutationem cuius opinionis est Marcus Varro. lib 1. de re rust. c. 28. Medici considerātes tempora, ut referuntur ad sanitatem, & morbum, & considerantes eorum temperamenta, tempora appellant uaria, ut eorum temperamenta sunt uaria, adeò ut tùm longiora, tùm breuiora, tum permixta ea appellent. Populariter formantur hæc carmina.

Anni tempora non apud omnes sunt quatuor.

Principia quatuor tēporum.

Dat Clemens hyemem, Dat Petrus Ver Cathedratus,
Aestuat Vrbanus, Autumnat Bartholomaeus.

Clemens nouemb. 29. cathedra Petri 22. Februarij Vrbanus Maij 25. Barthol. 24. Augusti. & Apud nonnullos hæc anni tēpora pro integris annis usurpabantur & supputabantur, sed minus propriè, cum unūquodq; eorum seorsùm non sit integra reuolutio alicuius orbis, uel Planetæ.

MENSIS.

MENSIS.

DISTINCTIONES ET DEFINITIONES SIMVL.

MENSIS est definita temporis portio, qua annum mensuramus. Qui Mensis duplex est, unus Ciuilis, alter Naturalis. Mensis Ciuilis est duodecima anni portio, quam homines seruant, eáq; utuntur pro distinctiore notitia partiũ uariarum anni, qui Ciuiles menses æquales non sunt, sed uel longiores, uel breuiores, ut Februarius. Mensis Naturalis etiam est duplex, unus Solis, alter Lunæ. Mensis Solis est duodecima anni Solaris portio, qua suo motu duodecimam Zodiaci partem, signum unum includentem, decurrit. Mensis Lunæ est triplex, Vnus peragrationis, Alter coniunctionis, Tertius conspicuæ uisionis. Mensis peragrationis Lunæ est id tempus, quo Luna suo motu decurrit integrum Circulum signorũ Zodiaci, qui etiam annus Lunaris dicitur, & id facit tempore uigintiseptem dierum cum tertia alterius parte ferè. Mensis coniunctionis, qui etiam Lunatio dicitur, & in veteri testamento seruatur, est ea temporis portio, quæ inter unam Lunæ cum Sole coniunctionem, & alteram intercipitur, & est interuallum à viginti nouem dierum, & duodecim horarum ferè, nam variari potest aliquantulum ob Eccentricitatem, vt aiunt Astronomi. Mensis conspicuæ visionis est id tempus, quo Luna conspici potest inter vnam cum Sole coniunctionem, & alteram: qui mensis minor est Mense coniunctionis, quoniam ex Mense coniunctionis demi debet id tempus, quo Luna Soli proxima latet, & est trium ferè dierum, & aliquando minus. Et de Mense hactenus.

Mensis 2. *Ciuilis.* *Naturalis*

DIES.

DISTINCTIONES, ET DEFINITIONES.

DIEI nomen nonunquam vsurpatur latè, aliquãdo propriè: latè sumptus dicitur de quouis proprio cursu alicuius orbis veluti Mẽsis dici potest dies Lunæ, Annus dies Solis, in qua significatione Virg. Annum quoq;, magnum, diem nuncupauit inquiens,

Donec Loga dies perfecto temporis orbe, &c.

Nam ea dicitur reuolutio vna, vniuersi temporis. Dies magis propriè sumptus est duplex. Vnus Ciuilis, siue Artificiosus, & est mora Solis supra horizontem, initium & finem sumens, dum centrum solis in horizonte fuerit, cui diei opponitur nox, quæ est mora solis sub horizonte, initium & finẽ summens à fine & principio diei. Alter est dies naturalis, qui duplex est, vnus primi mobilis, alius Solis. Dies naturalis primi mobilis est tempus unius reuolutionis primi mobilis, ab eodem ad idempunctum; & cum mobile primum

Dies late sumptus. *Propriè.*

confimi-

confimiliter vno ſolo motu,qui diurnus dicitur, moueatur,iure dies Naturalis, relatus ad primum mobile, ſemper eſt conſimilis, & vnus alteri exactiſſimè eſt æqualis. Dies autem naturalis relatus ad Solem,qui eſt ſenſui conſpicuus, eſt tēpus,quo Sol motu primi mobilis ab aliquo ſemicirculo vel horizontis, vel meridiani recedens,ad eundem reuertitur. Dixi ab aliquo ſemicirculo,quia vt quatuor ſunt ſemicirculi relati,ita quatuor ſunt opiniones de principio huius diei, quas in lib. Communium Affectionum loquens de die retuli. Hic dies naturalis, ad ſolem relatus, eſt triplex, nimirùm verus, medius, & æquatus. Inſuper ob tres cauſas dies, ad ſolem relati, non ſunt æquales, quod cum retulerim in libro nuper relato, miſſum facio.

HEBDOMAS.

DISTINCTIONES, ET DEFINITIONES.

HEBDOMAS vſurpatur, uel propriè, & principaliter, vel latiùs & ſecundariò. Dum vſurpatur magis propriè eſt numerus ſeptem dierum, depromptus ex numero dierum creationis mundi, nam die ſeptimo quieuit Deus ab omni opere: Inſuper ex numero Planetarum, tempora diſtinguentium: Et ex conditione & facultate numeri ſeptenarij, ex operibus conſpicua, ideò definiri poteſt dicendo, Hebdomas eſt tempus ſeptem dierum, ex numero dierum creationis Mundi depromptum, numero ſeptem Planetarum reſpondens, ſeptenarijq́; numeri conditionem, & facultatem includens, pro diſtinctione partium temporis inſeruiens.

Definitio.

Hebdomas latè ſumpta.

Hebdomas, latiùs ſumpta, extenditur ad dies ægritudinum, & præſertim febrium, de qua ait Hippocrates, ſeptenorum quartus eſt index, alterius ſeptimanæ octauus principium: Similiter extenditur ad ſeptenarios annos Periodi humanæ uitæ, & inde prodeunt anni qui dicuntur ἑβδοματικοὶ & κλιμακτηρικοί, inter quos ſexageſimus tertius maximè effertur. Dies hebdomadis à Gentilibus denotantur nominibus Planetarum: à Chriſticolis per ferias addendo numerū primæ, ſecundæ, & tertiæ vſq; ad ſeptimam: ab Hebræis uerò per ſabbata, addēdo ſimiliter numerum.

Dub.

Sol.

Dubitatio oritur cur in denominandis diebus hebdomadis non ſeruatur ordo Planetarum, non enim Lunam aſcendendo ſequitur Mars, nec Martē Mercurius, & ſic de cæteris, ut ſe habet de ordine denominationis dierum. Cui difficultati reſpondebat Dion Nicæus, in vita Cæſaris inquiens, id factum fuiſſe duplici de cauſa. Vna ut indicaretur cælo competere harmoniam, nam eo denominationis ordine ſeruatur ratio per diateſſaron, quæ principalis eſt inter rationes Muſicas, & in numero dicitur ſeſquitertia, ut quatuor ad tria: ea autem ſeruatur in illo denominationis ordine. Nam ſi ordimur à Saturno primo Planeta, dimittendo duos ſequentes, nimirùm Iouem, & Martem, ſequitur Sol quartus; ideò diem Saturni ſequitur dies Solis: & id ipſum ſeruatur in cęteris. Altera ratio elicitur ex imperio Planetarum, recipiēdo denominationem à Planeta, quē primæ horæ diei præeſſe exiſtimant, & id ſeruatur eo denominationum ordine. Nam ſi primæ horæ Sabbati dominatur Saturnus; Secundæ præerit Iupiter ſub Saturno locatus; tertiæ Mars, quartæ Sol, & ſic de reliquis vſq; ad ſeptimum Planetam, nimirùm Lunam, mox iterum repetendo, octauæ, decimæ

quintæ,

quintæ,& vigesimæ secundæ horæ similiter denominabitur Saturnus; vigesimæ tertiæ Iupiter;uigesimæquartæ Mars,sequenti Sol, ac ita Saturni diem sequitur dies Solis,& idipsum seruatur in reliquis.

HORA.

DIVISIONES ET DEFINITIONES.

VSVRPATVR Horæ nomen multipliciter, nam Hora apud Romanos Dea fuit,uxor Quirini. Apud nonnullos Horæ usurpantur pro Gratijs,& denotare putant quatuor anni tẽpora,quæ sunt Gratiæ Apollinis,quatenus Sol quatuor anni temporibus in mortalem orbem sua munera effundit,ob id etiam apud ueteres pingebatur Apollo gestãs dextera huiusmodi horas.Homerus ait, Horas portis Cęli præesse & curare ut Cælum modò serenum, modò madidum fit. Apud alios Horæ sunt ancillæ Solis,Iouis,& Themidis filiæ,qua de re latiùs sum loquutus in libro de Tempore.Ideò nunc multa prætereo,& præsertim quia Hora in hac significatione, non est præsentis considerationis.Hora(ex Macrobij sententia) dicta est ab Horo,quo nomine Aegyptij Apollinem denotabãt. Ex Platonis uerò opinione dicuntur horæ,quia ὁρίζουσι,hoc est quia terminant hyemem atque æstatem,uentosq; & fructus ex Terra nascentes,vt legitur in Cratylo. Insuper ait eo loci Plato,Horæ,ueris tempora,prisca & Attica uoce dicenda sunt, Verũ ut instituto nostro inseruit,Horæ nomen denotat uigesimam quartam partem diei Naturalis,quæ cum sit portio exigua,uidetur esse tamquam terminus temporis.Huiusmodi hora duplex est,una æquatoris,altera Zodiaci.Hora æquatoris est portio uigesimaquarta diei naturalis,in qua supra horizontem eleuantur quindecim gradus æquinoctialis.Et quoniam huiusmodi gradus semper consimiliter eleuantur,ideò huiusmodi horæ æquales sunt,& eas seruamus per horologia.Hora Zodiaci est ea temporis portio, qua supra horizontem quindecim Zodiaci gradus eleuantur,quæ eleuatio cum modò sit recta & tarda,modò obliqua & uelox,ideò huiusmodi horæ modò breuiores,modò lõgiores sunt, quod ex eo patet,quia cum singulis diebus artificialibus, siue ciuilibus eleuentur sex signa,similiter singulis noctibus,dies singuli erunt duodecim horarum, similiter & noctes,& cum huiusmodi noctes & dies conspicuè sint inæquales,est necesse fateri horas quoq; eorum esse inæquales.De his latiùs alibi uerba feci.Propterea cæteris silentio obuolutis,solùm addo,quòd quoniã non in omni terræ parte singulis diebus artificiosis eleuantur quindecim gradus Zodiaci supra horizõtem,ut degentibus sub uerticibus Cęli uel propè,ideò ut definitiones uniuersè ueræ sint,ita dicendum,Hora æquatoris est tempus,quo punctũ quoduis ęquatoris per quindecim gradus à linea uerticis cuiusuis regionis recedit, uel ad eã accedit.Similiter hora Zodiaci est tempus,quo punctum quoduis Zodiaci per quindecim gradus à linea uerticis siue meridiani motu primi mobilis recedit, uel ad eam accedit.

Varia significationes horæ. *Homerus.* *Macrobi⁹.* *Hora ęquatoris.* *Hora Zodiaci.* *Definitiones.*

OLYMPIAS.

DIVISIONES, ET DEFINITIONES.

Olympias. OLYMPIAS est tempus quatuor annorum Solis, ab æstiuo Solstitio initium sumens, ab Olympicis Ludis nomen & terminos recipiens, pro temporum supputatione conducens. Quia Olympias erat progressus ex quinto in quintum annum, ideò mediabant anni quatuor, & quæ à Græcis dicebatur Olympias, à latinis dicitur Lustrum, ita dictū *Lustrum.* à luendo, hoc est soluendo, quia quinto quoq; anno vectigalia, & tributa soluebantur, & Vrbs purgabatur, quæ purgatio etiam Lustrum dicebatur; Cætera ad Olympiadem attinentia legantur in libro Communium Affectionum, quo loci etiam sunt explicatæ voces, denotantes terminos partiū temporis, & varias ad tempus relationes, vt Nunc, Nuper, Olim, & similes, quas modò silentio prætereo.

ÆTAS.

DIVISIO.

Aetas duplex. ÆTAS vsurpatur dupliciter, vel pro vniuerso vitæ cursu, veluti dum dicimus ætatem hominis esse centum annorū; *Aetas propria.* vel pro distinctis partibus periodi vitæ, distinctis conditionibus præditis. Insuper Aetas usurpatur; Vel propriè ac ita solis viuentibus competit; & viuentibus præstantioribus distinctiùs competit, veluti homini, quàm imperfectioribus, vt iumentis; obscurissimè autem Plantis; Vel vsurpatur per metaphoram, & extenditur etiam ad inanima; De- *Per Metaphoram.* mùm ut Aeternitas, ita Aetas ab ea deducta duplex est, uel absolutè ac ita competit æternis, ueluti Mundo ex sententia Aristo. uel in parte, quæ competit animalibus mortalibus.

DEFINITIONES.

AETAS, sumpta pro uniuersa mora, & conseruatione uiuentiū, est uniuersus uitæ cursus, quo uiuentia per naturam sunt, & ser- *Aetas pro parte.* uantur. Aetas uerò sumpta pro distinctis partibus periodi uitæ, quæ dici potest pars uniuersæ ętatis, est portio cursus uitæ, conspicua aliqua sibiq; propria conditione à cęteris partibus differens, quæ ætatis nomine denotantur. Insuper quia Aetas propriè dicitur de cursu uitæ mortalium, cui conspicua partium uarietas competit, & præsertim animalium, & maximè propriè hominis, in quo ob uarietatem usus rationis, maior

fulget

fulget uarietas,ideò sumpta pro uniuersa eorum ætate,quæ etiam æuum dicitur definiri potest,quòd sit periodus uniuersus uitæ Animantium, & præsertim hominis,tempus uniuersum includens,quo per naturam apta sunt seruari. *Aetas pro toto uita cursu.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò,quòd cum Aetas deducatur ab Aeuo, adeò ut sit Aeuitas,& per sincopem Aetas,præsertim ex notitia æui refulget;differt tamen ab eo, quia Aeuum solùm dicitur de toto cursu,non de partibus seorsùm,ut ætas. Insuper etiam extenditur ad expertia animæ,non autem ætas. Tertiò Aeuum magis propriè competit ęternis,quàm mortalibus. Hinc Arist.cùm intelligentijs Cæli,tùm Mundo,quem falsò putat æternum,tribuit æuum; ut patet ex 1.de cęlo 100.& ex 12.Met.39 Aetas uerò propriè communi usu loquẽtium solùm tribuitur mortalibus. Considerò Secundò, ut pertinet ad ætates in parte sumptas,eas à uarijs uario modo diuidi. Solon Atheniensium legislator referente Philone Iudæo in li.de Mũdi opificio,ætates ab infantia in ultimũ seniũ dixit esse decem,easq; annorum septimanis hunc in modũ diuisit, & descripsit, *Aeuũ & ætas. quã se habeãt adinuicẽ.* *Diuisio ætatum.* *Solon.*

Impubes Pueri,septem uoluentibus annis,
Claudunt ætatis dentibus eloquium.
Post alios totidem,diuorum numine dextro
Occultum pubis nascitur indicium.
Annis ter septem prima lanugine malas,
Vestiet ætatis robore conspicuus.
Quartus id augebit iam septenarius,isq;
Optima uirtutis proferet indicia.
Adde alios totidem,festinans ocyus ætas
Coniugio monuit quærere progeniem.
Sexta ætas animo siquid deest,addet, eaq;
Disces quid deceat,quid quoq; dedeceat.
At quæ succedunt per proxima ter duo lustra,
Ornabunt linguam,dulcibus eloquijs.
Nona ætas languet,tum frigida membra retardant,
Virtutem non unquam interituram animi.
At quisquis decimam poterit contingere metam,
Is tempestiuo funere conciderit.

Medici sequentes præsertim Hippocratem septem considerant ætates, nimirùm Infantiæ,Pueritiæ,Adolescentiæ,Iuuentutis,Virilitatis,Aetatem senioris, & absolutè Senis,siue primi,& postremi senij, *Medici.*

Proclus in li.de Anima & Dæmone,septem quoq; numerauit ętates,septẽ Planetis respondentes,nã inquit.Primã ætatẽ sequi facultatẽ Lunæ,tũc enim secũdum facultatem uegetandi uiuimus.Secundam sequi Mercuriũ,dũ litterarũ,Citharæ,Luctæ,& similiũ studio nauamus operam.Tertiã Venerẽ,tũc enim turgẽt mẽbra seminib.& ad genitutã incitamur.Quarta respõdet Soli,tũc enim regnat uigor, & floret ętas.Quinta Martia est,in qua potẽtias,& uictorias optam⁹. Sexta Iouẽ sequit̃,q̃ Prudẽtiã exposcit,& uitæ ciuili est apta. Septima est Saturnia, *Proclus.*

Astronomi. in qua consentaneum est naturæ, à generatione desistere, seq; à corporeis secernere, & ad superiorem uitam properare. Astronomi etiam eâdem vtuntur distinctione, nam Infantiam dicunt ad quartum annum extendi cum Luna, Pueritiam vsq; ad decimum cum Mercurio. Adolescentiam vsq; ad decimum octauum cum Venere. Iuuentutem vsq; ad vigesimum quintum cum Sole. Virilitatem vsq; ad quinquagesimum cum Marte. Senium primum vsq; ad sexagesimũ *Alia opi.* quartum cum Ioue. Senectutem vsq; in finem uitæ cum Saturno. Alij quatuor tantùm numerant ætates, Pueritiam, iuuentutem siue Adolescentiam, Consistentiam, siue Virilitatem, & Senectutem, nam hæ sunt principales, cæteræ sunt por*Quatuor ætates qui bus respondeant.* tiones harum. Quæ quatuor ætates recta ratione respondent quatuor humoribus, quatuor primis qualitatibus, quatuor earum complicationibus, quatuor Elementis, & quatuor anni temporibus. Est dubitatio, An detur ætas consistentiæ, in quo animal consistat penitùs, & nullo pacto varietur? Nam nisi daretur; tunc generatio vnius necteretur cum eius interitu, & accretio cum diminutione, & nascens interiret, & inter motus oppositos non daretur medium, quæ ad*An detur ætas consistentia.* uersantur sententiæ Arist. in quinto, & octauo Phy. Ex aduerso patet non dari, animal enim continenter alteratur, & variatur, & si per horam seruari posset à varietate immune, etiam seruari posset æternum, vt Argumentantur Academi*Sol.* ci. Pro solutione dico Consistentiam considerari dupliciter, vel sensu, vel ratione; secundum sensum datur, quia per aliquod tempus sine conspicua uarietate uiuens seruari potest, at non secundum rationem. Insuper datur pro medio inter motus oppositos, non absolutè, ea tamen quies inter motus oppositos frequenter fugit sensum, & tunc etiam quamuis animal non mutetur uno motu, mutatur alio, ut in lib. de longitudine & breuitate uitæ affirmat Arist. Demùm considero, quòd Democritus, Leucippus, & Epicurus, etiam Mundo, & Mun*Sententia Democriti* dis, unà cum ortu & interitu, tribuunt uarietates ætatum, id ipsum fecêre Empedocles, & Heraclitus. At his dimissis, Hebræi quoq; noscentes per Genesim creationem Mundi, ei tribuerunt ætates, quod etiam faciunt nostri Theologi, quamuis in computatione temporum sint uarij. Nam à creatione Mundi usq; ad uniuersalem inundationem mediârunt secundum Hebræos anni, 1556. quod etiã approbant, Philon, & Beda, & D. Hieronymus; ut ex sententia. 72. interpretũ, 1242. ex opinione D. Augustin. 1262. ex opinione Alphonsi Hisp. Regis, 1882. *Aetates Mundi.* & hæc est prima ætas Mundi. Secunda ætas est à Diluuio usq; ad ortum Abraę, quæ ex sententia 72. interpretum fuit annorum 942. secundum Hebræos, 292. secundum D. Aug. 1072. Tertia ætas fuit usq; ad Regnum Dauid, de qua consentiunt omnes, quòd fuerit annorum 942. Isidorus tamen addit duos. Quarta ætas fuit usq; ad captiuitatem Iudæorum, & progressum eorum in Babyloniã, & fuit annorum 485. Ex Beda uerò 474. Quinta à transmigratione usq; ad ortum D. N. IESV CHRISTI, & fuit annorum 589. & usq; ad eius ortum decursi erant anni à mundi creatione 3952. Ex sententia tamen septuaginta duorum Interpretum, secundus Eusebium & magnam partem historiarum 5192. Ex opinione Pauli Orosij 5120. Ex sententia Sancti Isidori. 5121. secundum Alphonsum Regem 6984. Demùm ab ortu Saluatoris incipit hæc nostra sexta ætas, cuius finem uidebimus, quando placebit Deo.

NVMI-

NVMINA HVMANAE

Conditioni præstantia.

DIVISIO.

NVMINIS nomen vires & facultatem denotans, præsertim ad diuina, & ad ea quæ diuinitatis facultatem aliquam includunt, referri solet. Iamblichus in libro de Mysterijs Aegyptiorum sectione secunda, nouem statuit numinum gradus. In primo constituit Deos inuisibiles. In secundo Deos visibiles. In tertio Archangelos. In quarto Angelos. In quinto Dæmones, & Genios. In sexto Principatus. In septimo Principes. In octauo Heroas. In nono Animas virorum illustrium, à corpore crasso solutas. Horum graduum principaliores sunt Deus, Angeli, Dæmones, & Heroes, ex quorum notitia refulgent alij. De Deo iam sum loquutus, ideò de tribus reliquis singulatim verba faciam. *Nomen gradus numinum.* *De quibus sit agēdū.*

ANGELVS.

DIVISIONES.

NOMEN Angeli nuncium significat, sunt enim Angeli ministri Dei, & tamquam nuncij eius. Vsurpatur nomen Angeli, cùm pro bono, tùm pro malo; hinc dantur Angeli Lucis, & Angeli tenebrarum, præsertim tamen dicitur de probis; de cęteris non dicitur nisi cum additione tenebrarum, & mali Angeli probi à Theologis diuiduntur in tres principales gradus. Primi adstant Deo, eiq; inseruiunt. Alij præsunt Cęlo, tamq; cælorum motores, & gubernatores. Tertij humanis incumbunt. Et hæ dicuntur tres Hierarchiæ, quarum quælibet in tres gradus distribuitur. Nam sublimiores primi gradus dicuntur Seraphim, hoc est ardentes; Medij Cherubim, hoc est scientiæ plenitudine præditi; Tertij dicuntur Thronj, quæ uox iudicandi potestatem denotat; Angeli secundæ Hierarchiæ, vt includunt aliquid commune, ita per proprium aliquid distinguuntur: commune eis est quòd ut Angeli primæ Hierarchiæ rationem ordinis prouidentiæ sumũt ex ipso Deo, triplici modo considerato, ita Angeli secundæ, rationem ordinis noscunt contemplando causas communes, ueluti Cęlestia corpora, & Sydera. Differunt uerò, quia primi huius Hierarchiæ nuncupati Dominationes præsunt, & tamquam Architecti præcipiunt alijs; Secundi, qui à Dionysio dicuntur uirtutes, à Greg. uerò Principatus, efficaci uirtute exequuntur, & perficiunt diuinæ prouidentiæ ordines. Hi mouent cælos operaq; efficiunt, quæ præter naturæ ordinem nonnunquam euenire inspiciuntur; Tertij, qui dicuntur Potestates exactissimè ordinem diuinæ Prouidentiæ seruant in rebus effectis; Angeli Ter- *Angeli nomen.* *Tres principales grad⁹ Angelorum.*

tiæ Hierarchiæ hoc habent commune, vt ordinem diuinæ Prouidentiæ noſcāt in cauſis particularibus,& in rebus ſub cęlo poſitis:differunt autem quia primi, nuncupati à Dionyſio Principatus, à Greg.verò virtutes,inſpiciunt, & ſeruant commune bonum Gentium, Vrbium,& Regnorum; Medij dicti Archangeli inſpiciunt & ſeruant bona,non tam communia, ſed talia ut etiam ſint bona ſingulorum quamuis etiam vtilia ſint multis,ueluti attinentia ad Religionem.Fidē & Diuinum cultum;Infimi communi nomine dicti Angeli,curant,& inſpiciūt bonum proprium ſingulorum hominum.De hiſ multa dicuntur à D.Th.3.cōtra Gent.cap.80.& alibi,nec non ab alijs,quæ miſſa facio.

DEFINITIONES.

Prima Hierarchia. ANONNVLLIS definitur Angelus,quòd ſit animal rationale immortale.Ab alijs rectiùs;quòd ſit creatura præſtantiſſima, intelligibilis,libera, continenter intelligens, creata à Deo ut ei famularetur. Prima Angelorum Hierarchia eſt prima Angelorū ſubordinata trinitas, Deo proximè inſeruiens,rationemq; ordinis prouidentiæ ſumens ex ipſo Deo triplici ratione conſideratæ. *Seraphim.* Seraphim eſt Angelus ſupremus primæ Hierarchiæ,rationem ordinis prouidentię ſumens ex Deo,vt eſt finis poſtremus. *Cherubim.* Cherubim eſt Angelus medius primæ hierarchiæ, rationem ordinis prouidentiæ,ſumens ex Deo, ut forma eſt. *Throni.* Throni ſunt Angeli poſtremi primę hierarchiæ,diſpoſitionem diuinorum iudiciorum conſideratæ in ipſamet Dei ſcientia,ab æterno diſpoſitionem rerum includente,diſtincta ſaltem ratione à Deo vt forma,& finis eſt. *2. Hierarchia.* Secunda Angelorum hierarchia eſt ſecunda Angelorum ſubordinata trinitas, Cælo præſidens, rationemq; ordinis Prouidentię communes cauſas contemplando cognoſcens. *Dominationes.* Dominationes ſunt Angeli ſupremi ſecundæ hierarchiæ, alijs tanquam Architecti præcipientes. *Virtutes.* Virtutes ſunt Angeli medij ſecundæ hierarchiæ, mouentes Cęl s,& efficaci virtute ordines diuinæ prouidentiæ exequentes, eaq; efficientes,quæ præter naturæ ordinem fieri inſpiciūtur. *Poteſtates.* Poteſtates ſunt Angeli poſtremi tertiæ hierarchiæ,inuiolabilem ſeruantes ordinem diuinæ Prouidentiæ, ad res effectas pertinentem. *Tertia Hierarchia.* Tertia hierarchia eſt tertia Angelorum ſubordinata trinitas,noſcens ordinem diuinæ Prouidentiæ,in cauſis particularibus,& rebus ſub Cęlo conſtitutis. *Principatus.* Principatus ſunt Angeli ſupremi tertiæ hierarchiæ,inſpiciētes,& ſeruantes commune bonum Gentium,Vrbium,& Regnorum. *Archangeli.* Archangeli ſunt Angeli medij tertiæ hierarchię,inſpicientes & ſeruantes bona minus communia,ſed talia ut ſint bona ſingulorum quamuis etiam ſint vtilia multis, ut attinentia ad Fidem. *Angeli.* Infimi ſunt Angeli poſtremi tertiæ hierarchiæ, inſpiciētes,& curantes bonum proprium ſingulorum hominum. *Diabolus.* Diabolus,quod nomē calumniatorem ſignificat,& ſemper in malam partem vſurpatur, eſt Angelus tenebrarum,liberè poſt creationem,& obſtinatiſſimè à Deo auerſus,ex cęlo ad infera pro delicti pęna detruſus.

ANNO-

ANNOTATIONES.

DE Angelis uaria occurrerent consideranda, quæ cum à nostris Theologis exactissimè explicentur, missa facio. Solùm considero in dubium verti, num sint corporei, vel soluti à corpore, D. Aug. in Genesi cap. 17. & alibi, Angelos statuit præditos corpore aëreo, indissolubili tamen, quia in eo præualent Elementa agentia, & vis efficiens. *An Angeli sit corporei.* Eiusdem opinionis fuêre Basilius, Lactantius, Hilarius, Io. Damascenus, & Philon. Ex aduerso D. Th. Chrysostomus, Dionysius Areopagita, Cyrillus, Capreolus & Alij incorporeos existimârunt: nec defuêre, qui se ancipites indicârint, vt D. Bernardus. Quam litem missam facio, quia nolo cum his permiscere dogmata Platonis, & Aristotelis, quamuis tamē efficiam, Loquendo de Dæmonibus.

DÆMON.

DISTINCTIONES.

DÆMON est vox græca deducta ex verbo δαίω, quod scire significat, Inquit Plato in Cratylo ex sententia Hesiodi Dæmonas dici, quasi δαήμονας, hoc est Prudentes & sciētes. *Dæmon. Plato.* Possidonius in lib. de Heroibus, & Dæmonibus ait, Dæmonas dici ἀπὸ τοῦ δαίειν hoc est vrere, quia ex ætherea substantia constant, quæ ignea iudicabatur. *Possidonius.* Eusebius verò dæmonas dici putat à δειμαίνω, quod denotat deterreo, & pauefacio, quod dæmonum est officium. *Eusebio.* Diuiduntur Dæmones varijs diuisionibus. *Diuisio. Dęmonū.* Nam Dæmon vel vsurpatur propriè, uel per Metaphoram: per metaphoram Amor à Platone in conuiuio dicitur Magnus Dæmon, & Natura ab Arist. in lib. de Diuinatione dicitur Dæmonia; & Orpheus in hymnis, Iouem nuncupat Dæmonem; Similiter Hesiodus animas hominum illustrium vita functas dicebat Dæmones, vt refert Plato in Cratylo. Alij dæmones diuidunt in proprios & aduenas; nam animas virorum illustrium post obitum nuncupant Dęmones aduenas. Alij eos diuidunt in Fabulosos, Poëticos, & Naturales. Chalcidius in Timæum diuidit Dæmones in æthereos, aëreos, & Terrestres. *Chalcid.* Orpheus in Poëmate ad Musæum secat eos in Cælestes, Aëreos, Aqueos, Terrestres, Subterraneos, & Circuitores, seu Vagos. *Orpheus.* Plato in Epinomide quinque statuit Animaliū genera, duo extrema quæ sunt Dij uisibiles, ut Cæli, & Animalia morti obnoxia, quorum Princeps est homo: Media tria ætherea, aërea, & aquea, quæ Dæmonis nomine denotantur. *Plato.* Numenius, Proclus, & Porphyrius in libro de abstinentia, Dæmones diuidunt in bonos, & Malos. *Numen. Porphyrius.* Porphyrius tamen in lib. de occasionibus addit genus tertium, quod statuit medium, quod modò iratum lædit, modò uerò sacrificijs placatum prodest. Proclus in Alcibiade Dæmones in tres gradus distribuit, in Dęmones essentia, qui mediant inter Deum & Animam, Dæmones habitudine, vt hominis animus dum admirabiles & supra cōmunem hominum conditionem parit actiones, & Dæmones comparatione, ut *Proclus.*

omnis

omnis Natura, quæ alteri præstat. Sic Arist. Naturam dixit Dæmonicam, & Plato in Timæo ait, De præstantissima animæ nostræ specie ita est sentiendum, hãc Deus vt Dæmonem nostrum cuiq; tribuit, quæ in summa corporis arce sedem habet. Ita dicimus nobiscum duos conuiuere dæmones, nos ducentes, denotando rationem, & appetitum sensuum. Insuper cum inter Dæmones numerentur etiam terrestres, hos Martianus Capella distribuit in Panes, Syluanos, Nymphas, Faunos, Satyros Fatuos vel Fantuos. D. tamen Hieronymus; & Eusebius Satyros in monstra referunt, vt etiam Plinius, qui lib. 5. Satyros dixit esse animalia quadrupedia, in subsolanis Indorum Montibus degentia. Insuper idem Martianus inquit Manes tributos esse humano corpori præsides, & ex parentũ seminibus prodire, & post obitum eo corpore delectari, cum quo manentes nũcupantur Lemures, qui si uitæ prioris adiuti fuerint honestate, in Lares domorum, Vrbiumq; vertuntur; sin autem ob uitam antecedentem deprauantur, Laruæ dicuntur & Maniæ. Insuper inquit Pausanias (referente eodem Martiano) Satyros vetustioris ætatis nũcupari Silenos. Psellus sex numerat Dæmonum genera, Igneum, Aëreum, Terreum, Aqueum, Subterraneum, Lucifugum. Præcipua itaq; Academicorum sententia hæc est, Dæmones mediare inter Deos, & Homines, & propriè esse animalia aërea, verùm quia tres sunt principales plagę aëris, & suprema est veluti ignea, infima tamquam aquea; ideò Dæmones, colentes regionem supremam, dicuntur ignei, colentes mediam aërei, colentes infimã aquei; qui postremi iuncti Terræ, & etiam per Terræ cauitates meantes, & Terrei, & subterranei, nũcupantur, vt etiam supremi, & ignei & Aetherei dicũtur. Præterea, vt superiores iuncti Dijs, nonnunquam Dij dicũtur; ita Dij postremi, iuncti cum Dæmonibus, frequenter Dæmonum nomine denotantur. Similiter Anima hominum, & præsertim virorum Illustrium, & sapientum proxima Dæmonibus, Dæmonis nomine insignitur: Animæ tamen virorum illustrium, in aëre degentes, & Heroës & Dæmones peregrini appellantur. Præterea, cum tria sint prima Dæmonum genera, supremo generi & aëri præest signum Geminorum; medio signum Libræ; infimo Aquarij. Dæmones ignei inspectrici uitæ prę sunt; Aerei actiuæ; Aquei voluptariæ, qui etiam diuiduntur, in Orientales, Occidentales, Australes, & Septemtrionales. Hæc retuli ex sententia Academicorum, quę magna ex parte iudico inania commenta, & deceptiones, & solùm cõstanter ea approbo, quæ de Angelis probis, & improbis, à nostris Theologis approbantur.

Satyri. Manes. Lemures. Lares. Larua. Mania. Satyri. Sileni. Psellus. Heroës. Quæ approbanda.

DEFINITIONES.

Chalcidius CHALCIDIVS in Timæum Dæmonem definiens, ait esse Animal rationis particeps, immortale, affectionibus animi obnoxium, corpore ęthereum, curã hominibus impertiens. *Apuleius.* Apuleius in libro de Socratis Dæmone dixit Dæmones esse animalia rationalia, aërea, æterna, passionibus animi obnoxia quam descriptionem etiam D. Aug. secutus est. *Hesiodus.* Hesiodus dixit, Dæmonem esse animum hominis probi, hac vita functum. *Amelius.* Amelius dixit Dæmonem esse Deum erraticum, sub orbe Lunæ uagantem. *Proclus.* Proclus rectiùs dixit Dæmonem esse essentiam & naturam mediam inter Deum, & Hominem. *Tyrius.* Tyrius maximus dixit, Dæmonem esse animum nudum, deposito corpore. *Potior.* *Definitio.* Putarem ego Dęmonem propriè sumptum, qui etiam sit propria Natura, Dęmon ita esse definiendum,

dum, Dęmon est animus rationis & Mentis super humanam conditionem particeps, tenui corpore utens, Deorum famulus pro distincta partium Mundi sub cęlo positi custodia. Vel Dęmon est Animal Mente, & ratione supra hominem valens, Naturam humanam cum diuina concilians, Ducit enim ex Deo Munera in homines, & hominem ad Diuina eleuat.

Dæmones peregrini sunt animæ hominum, hac vita functæ, à crasso corpore solutæ, & tenui vehiculo iunctæ, hæ ob variam vitæ anteactæ conditionem, variam propensionem, variaq; officia, varijs denotantur nominibus. *Dæmones Peregrini.*

Dęmones terrestres, Subterranei, Circuitores, & Lucifugæ: ex Academicorũ sententia partim sunt Animæ hominum, hac uita modo vario functæ; partim sunt dæmones infimę regionis aëris, cum Terra iunctæ, per terras vagantes, *Terrestres*

Inter Dæmones numeratur Genius, qui ex D. Augustini sentẽtia, censebatur præesse generationi rerum; Hinc à nonnullis dicitur Dux Naturæ cuiusq;, eiusq; officium existimabat id esse, ut præesset generationi cuiusq;, eiusq; post ortum curam haberet: hinc à gignendo, siue à Generatione nomen sumpsit; & inde dicitur Dies genialis, & lectus genialis. Ex sententia tamen Arist. Geniũ nil aliud puto, nisi Mentem cuiusq; hominis; ideò in 2. Top. loco 19. inquit Zenocrates eudæmona eum esse dicit, qui animam habet studiosam, hãc enim unicuiq; esse eudæmona; hinc Genij nomen cum nomine Ingenij affinitatem habet, & hanc puto denotari per Dęmonem Socratis; hinc nõnulli duos vnicuiq; præesse Genios dicunt, bonum vnum, alterum malum; per bonum denotantes rationem rectam, per malum, appetitum sensuum. Virgilius Genios nuncupauit Manes, quia apud quemcumq; manent, inquiens, *Genius.* *Arist.* *Virg.*

Quisq; suos patimur manes,

Et consimili ratione Præstites, dicti sunt, quia præsint nobis, & cunctis à nobis gerendis. Hinc homines beatos, & quibus bonus contigerit Dæmon, eudęmonas nuncupârunt. Insuper Apuleius in lib. de Socratis Dęmone inquit, Genios, abiuratis corporibus suis, Lemures, Laruas, Laresq; vocari. Sic veteres iurare consueuerunt per proprium Genium, eisq; sacra facere. Horatius in Epistolis, *Præstites.* *Apuleius.* *Horatius.*

Floribus & vino Genium memorem breuis æui,

Dij penates, qui etiam penetrales, & patrij, dicebantur, & in Publicos ciuitatis, & Priuatos singularum domorum diuidebantur; erat Dij omnes, qui in Vrbe, vel domibus colebantur; hinc nonnumquam penates pro domibus vsurpãtur, & hi quoq; inter Dęmones numerari possunt, qui ob vires, & reuerentiam, Dei nomine à veteribus verum Deum non cognoscentibus, insigniebantur, de quibus Vergilius, *Dij Penates.*

Sum Pius Eneas raptos qui ex hoste Penates
Classe veho mecum &c.

Similiter Lares, & Præstites Dij domestici sunt, vel potiùs familiares Dęmones, apud nos manentes, familiaria curantes, uel etiam attinentia ad Patriam, hinc Lares, & Patrij, & Domestici dicuntur. *Lares Præstites.*

Laruæ à Larium nomine deducuntur, quasi sint Lares praui, nos turbantes, decipientes, & vexantes, quod frequenter nobis competit ob bilem atram; hinc viri furentes, etiam Laruati dicuntur. Dij Animales, de quibus nonnulli aiunt scripsisse Aristotelem, sunt animę hominum, vita functæ, opem his ferentes, qui superstites sunt. *Laruæ.* *Dij Animales.*

Numerant nonnulli inter Dæmones etiam Incubos & Succubos, qui tamen à Medicis morbi iudicantur, cum ex improuiso iacentes in Lecto, præmi, graua- *Incubi.* *Succubi.*

ri, vel

ri,vel suffocari videmur,ob copiam & motum aduersi alicuius humoris,uel ob redundantem erudi humoris euaporationem, turbantem caput.

Panes Fauni &c. Dantur præterea(ex relatione Martiani Capellæ)Panes,Fauni,Fines,Satyri Syluani,Nymphæ,Fatui,Fatuæ,vel Fantuæ,vel Fanę.Et ex Faunis nomen sumpsere Fana,& inde mulieres diuinantes dicebantur Fanæ. Hæc cum magna ex parte sint Poëtarum commenta,tanquam à meo instituto aliena missa facio.

Heros. Heros non dęmon est,sed vel Anima hominis, qui per eminentem aliquam moralem virtutem,vitam splendidissimè duxerit,& in hominum memoria seruetur,Vel ipsemet homo huiusmodi vitam viuens,& splendidissimè super cæteros fulgens,cui opponitur ferus,& feritas,quæ est depressio per vitium oppositum, infra hominis conditionem, de quibus cum in sexto Gradu Moralis Philosophiæ latissimè disseruerim,plura modò referre nolo,

ANNOTATIONES.

Sententia Academicorum. Dij. CONSIDERO primò,ex sententia Academicorum,quòd essdentur Dij, Dæmones, & Homines, & Dæmones ut ministri Deorum medient,Dij diuidũtur,in inuisibiles,& visibiles Deus inuisibilis est Deus verus, & absolutè; nec non animæ Mentis compotes,ex corpore non pendentes,à crasso corpore solutæ. Dij visibiles sunt Cęlestia corpora, & Elementa, quæ propria anima Mentis compote prædita iudicabantur. Discrimina varia constituunt in-

Discrimen inter Deũ & Dęmonem. ter Deos,& Dęmones;nam Dij uniuersitatem quandam seruant & indicant,ut Mercurius sphæram Mercurij Pluto ignem, Iuno aërem, Demones portioni aëris sunt iuncti.Insuper(ut ait Plato in Epinomide) Dij sunt passionum expertes Dęmones sunt eis obnoxij,Dij solùm boni, Dæmones & boni & mali dici possunt.Mitto differentias alias ab Academicis relatas.Considero secundò pro

Genus Dęmonum. genere Dæmonum posse accipi,& Animam,& Animal:præsertim tamen cum Platone accipiendam esse Animam. Ratio est,quia corpus ab eo iudicabatur non uerè pars,sed uehiculum:hinc homo definitur ex sententia eius, quòd sit anima rationalis,Mentis particeps,corpore utens,sine errore tamē accipi potest

An dentur Dæmones mali apud Platonem. Resol. animal,includendo simul animam,& uehiculum.Considero tertiò,esse dubiũ, num ex sententia Platonis dentur Dęmones,qui mali sint,uel potiùs omnes sint boni,cum præstent conditioni hominis? Hinc nonnulli Academicorũ omnes Dæmones iudicant bonos: Alij putant dari & bonos, & malos: Porphyrius ut retuli in cap de distinctionibus,addit etiam medios.Pro conspicua & breui resolutione considero apud nostros Theologos Dęmonum nomine denotari uniuersum genus Angelorum deprauatorum,ac ita Dęmon malus est.Cum Academicis uerò,Dęmon uel usurpatur pro Peregrinis,& sunt animæ hominum à crasso & ostreaceo uehiculo liberæ,& huiusmodi Dęmones cùm boni,tùm mali esse possunt ob uarietatem propensionis,assuetudinis,& anteactę uitę; Vel usurpatur Dęmon pro eo,qui sui naturâ,& conditione sit Dęmon, & hic absolutè & sui conditione dicitur bonus,solùm est malus per relationem ad nos,quatenus exequens ordines Diuinę prouidentię, malorum pœnę nonnumqua m est minister,non secus ac ministri humanę iustitię iudicantur praui. At non ita ex Academicorum & ueterum Philosophorum sententia Dęmones eo modo praui inueniuntur,quia liberè ab initio peccauerint, & pro æterna pœna ex cęlo depulsi fuerint,hoc enim noscimus supero Lumine illustrati. Considero quartò,

quartò, in dubium verti, An Dęmones sub sensum cadere valeant? De tactu, gustatu, & odoratu non est dubium, constat enim his sensibus non percipi. De auditu loquendo, conceditur posse percipi per strepitus factos, dum mouent aliena corpora. At num ipsi vocem edant, & loquantur? Dubium est, & profectò cum careant inspiratione, ore & lingua, propriam vocem edere, & sermonem formare non valent, nisi per quandam similitudinem connectendo & agitando aliena corpora. Fertur de Socrate, quòd sæpè audierit uocem sui Dæmonis illum hortantem vel dehortantem, at eam uocem audiebat Socrates auribus, non corporis, sed animi; hinc alij eam non audiebant, nam ea erat interna repræsentatio uocis sensui communi, & Phantasiæ, vt etiam de Pythagora, & Appollonio Tyaneo legitur quod audiuerint sonum, & harmoniam ex Cęli motibus prodeuntem. At de visu quid dicendum, num cadere valeant sub sensum visus? Porphyrius Dæmones omnes prorsus inuisibiles existimauit. Iàblichus censuit Dæmones frequenter sub sensus nostros cadere, ut etiam existimauit Plato in appendice Legum inquiens, quantum quod ex aqua est rectè semideum vocabimus, id nonnumquam cernitur, nonnumquam aspectui nostro se subtrahit, & dum videtur, tenui visu perceptum, admirationem parit. Putarem ego ex sententia Academicorum esse dicendum, quòd dum considerantur Dæmones cum corpore per naturam propriam eis competentē, quia id tenuissimum, & purissimum est, sub sensum non cadunt, nisi fortè Aquei, hoc est crassiore vehiculo præditi, vt dixit Plato. At dum cum alieno aliquo corpore nectũtur, quod densius fuerit, valent sensu percipi; quod etiam euenire potest, quatenus ualent spiritus oculorum inspicientium alterare, & uario modo formare, & ob id eis se offerre, tanquam varijs figuris & formis præditi. At neglectis inanibus imaginationibus Academicorum, perpendamus, quid de Dæmonibus senserit Arist.

An Dęmones cadāt sub sensū?

Sol.

AN ARIST. PVTARIT DARI DAEMONES.

DAEMON (ut apparuit, dupliciter usurpatur) uel per metaphoram uel propriè: si per metaphoram accipitur, procul-dubio conceditur ab Arist. nam in 2. Top. loco 19 inquit, Zenocrates eudæmona eum esse affirmat, qui animam habet studiosam, hanc enim unicuiq; esse Eudęmona, adeò ut etiam cum Arist. dicere ualeamus, Mentem, extrinsecùs aduenientem, hominemq; gubęrnantem, esse Dæmonem eius. Insuper in lib. de Diuinatione ait, Somnia non mitti à Deo, sed esse Dęmonica, quia Natura Dęmonica est, non diuina; indicans Naturam posse per Metaphoram dici Dęmonem, quod ei competit, quia est ministra Dei, est potens, & latenter, ac admirabiliter operatur, quę omnia Dęmoni tribuuntur. Similiter cum Dęmon dicatur de quauis animi facultate nos ducentes, cum Arist. dicere ualemus, nobiscum duos oriri, & conuiuere Dęmones, nimirùm Rationem, & Appetitum sensuum Et qui recta ratione ducitur, bono ducitur Dęmone, qui uerò ab ira uel à cupiditate, à prauo Dęmone rapitur. Similiter in scientia Ciuili cum Democrito dixit Pęnas, & præmia esse Dęmones gubernantes Imperia.

Demõ per Metaphoram.

Cur Natura Dęmon dicitur.

Hæc

Dæmõ pro priè sumptus. Duæ conclusiones. Ostēsio primæ. Hæc profectò cum Arist. enunciare valemus. At dubitatio est de propriè sumpto Dæmone, siue sit Demon, sui Naturâ, siue peregrinus. Qua de re duas profero conclusiones. Prima est, Aristotelem non putasse dari Dæmones sui natura, & conditione. Altera est, eum non putasse dari Dæmones peregrinos. Prima cōspicuè ostenditur; & ratio prima ex eo elicitur, quia cum Arist. professus sit propriis in locis singulos rerum gradus explicare, vt absolutā ederet Philosophiā; de Dæmonibus nullibi verba fecit. Præterea conspicuè in 3. de Anima. 66. eos reiecit, patefaciendo nullum Animal uel ex aëre, vel ex igne, uel ex alio simplici corpore constare posse; præsertim tamen de Aëre & igne mētionem fecit, quia Academici aëreum, & quodam modo igneum putárunt esse eorum corpus. Similiter in 1. de anima 87. & 88. ostendit Elementa non posse esse prędita anima, & in cont. 86. inquit, quomodo anima nobilior & magis immortalis poterit esse in aëre. Præterea in 1. de Historia animalium cap. 1. inficiatur dari animal, quod solùm sit aëreum; Et in 2. de Gen. Animalium cap. 3. ait, Ignis nullum generat Animal. Præterea in 4. Meteorum cap. 4. inquit, In Terra solùm & Aqua animantia existunt; in aëre, & igne nulla, quia corporum materia hæc sunt. Insuper in 2. de Anima 32. ratiocinandi facultatem, & Dianiā ait esse vltimam, & minimam, quia soli homini competit. Idipsum lucidius protulit in 2. de partibus animalium cap. 10. inquiens, Humanum genus, aut vnum ex omnibus animalibus, nobis notis, Diuinitatis est particeps, aut omnium maximè. Et in 7. de R. P. cap. 13. ait, solus homo rationis est particeps. Quod etiam affirmat in primo de Hist. Animalium cap. 1. At qui Dæmones statuebant, dicebant eos ratione præditos. Id ipsum varijs confirmari potest rationibus. Vna est, quia Dæmones dicebantur Animalia aërea, & immortalia; at dicere ea esse animalia, & carere tactu, est pugnantia dicere: nullum enim potest esse animal, quod sensu tactus non sit præditum, ut ostenditur in calce 3. de Anima. Similiter esse aëreū & immortale inuicem pugnant; nam si sunt aërei, includunt materiam primam, & præditi sunt contrario, quæ duo necessariò sequitur interitus; hinc legitur in primo de cęlo, quòd Cęlum futurum æternum, exemptum fuit à contrarietate; corruptibile autem omne necessariò interit, ut legitur in calce decimi Metaph. Et siquis dicat Dæmones modò unum, modò alterum assumere corpus: Primò aduersabitur fautoribus Dæmonum, qui eis tribuunt corpus immortale: Secundò aduersabitur Arist. qui in primo de Anima negat transitum animorum ex vno corpore in aliud, & in 2. de Anima 26. damnat Veteres non decernentes in quo corpore anima reperiretur: & in 2. Phy. 26. inquit, Alterius formæ alteram esse materiam. Præterea corpus Dæmonum vel est organicū, vel nō: si organicū, erit mixtum, & crassum sub sensumq; cadens, quod eis non competit; & præsertim quia organa constant ex partibus dissimilibus, ut dicitur in primo de Hist. Animalium: corpora autem Dæmonum dicuntur consimilia. Si autem nō fuerit organicum, non poterunt proprio aliquo motu spontè moueri, id enim non fit sine instrumentis corporeis, ut legitur in 3. de Anima, & in 2. de Cęlo inquit Arist. stellas carere instrumentis pro motu, quia proprio motu, distincto ab eo orbis, moueri non debent. Non itaq; Dæmones possunt esse animalia, nec rationalia, nec aërea, nec æterna, nec proprio motu spontè mobilia, quæ tamen omnia ab Academicis tribuuntur Dæmonibus. Præterea si numero sunt æterni, non deberent esse plures numero, ex sententia enim Arist. multitudo indiuiduorum sub specie, parata est, vt quæ numero non ualent esse æterna, seruentur æterna specie; quare Dæmonum multitudo sub specie inanis erit. Demùm ut multa silentio prætereā, hanc puto firmissimam rationem, quia in Vniuerso

Rationes.

Ratio efficax.

nihil

nihil est frustrà, loquendo de rerum gradibus, & speciebus; at si darentur Dæmones, nullum præberent vsum ex sententia Aristo. quod patet, quia ea omnia, quæ communiter iudicantur opera Dæmonum, ab Aristo. in alias causas, nunquam vlla in Dæmones referuntur. Nam ea quæ Veteres Philosophos excitârunt ad excogitandos Dæmones, præsertim fuerunt Diuinationes per somnia, quas Aristo. refert ad naturam. Species variæ furorum, quas Aristo. refert ad variam atræ bilis constitutionem; Responsa oraculorum, quæ Aristo. refert ad conditiones quorundam halituum ex Terræ cauitatibus prodeuntium; Enunciatio carminum à viro ignaro, quam similiter Aristo. ad bilem atram refert, vt patet ex 7. Nicomachiorum capit. 3. ex trigesima particula probl. 1. nec non ex libro de Mundo ad Alex. in quo legitur, quòd exhalationum quædam diuinum furorem pariunt in accedentibus. Aliæ cibi odium; nonnullæ faciunt vaticinari, vt oraculum Delphicum, & id quod in Lebaida, & ob id Cicero in 1. de diuinatione inquit, Terræ vis Pythiam Delphis incitabat, cum itaq; Philosophi per opera excitentur ad indagandas causas, & opera cuncta Ari. in alias causas retulerit, non autem in Dæmones, colligendum est eum non putasse dari. Rationes putantium Aristo. approbasse Dæmones leuissimæ sunt, nam aiunt Aristot. in quinto Metaphysicæ capit. 8. inter substantias numerasse etiam Dæmones. Cui obiectioni respondendum est, populariter, & ex aliorum sententia numerasse Dæmones vt eius mos fuit in afferendis exemplis, & in loco alieno, eos tamen proprijs in locis reijcit vt apparuit. Vel etiam nomine Dæmonum conditionem diuinam denotauit super hominem positam. Afferunt secundò verba Aristot. in 3. de Gen. Animalium capit. 11. quæ sunt, Quartum genus non his locis quærendum, quamquam aliquid esse exigit ordine ignis, id enim quartum corpus numeratur. Sed genus hoc apud Lunam quærendum est, hæc enim quartam illam differentiam adipiscitur &c. Ex his nonnulli eliciunt denotari Dæmones, tamquam quartum genus animalium. At inaniter, nam Aristot. per genus quartum denotat quartum Elementum, nimirùm ignem, & confirmatur, quia Dæmones aëri præsertim tribuebantur, & iudicabantur etiam ad Terram descendere; Auer. ex illis uerbis elicit Dæmones non reperiri. Alij aiunt eos approbari ex opinione Platonis; at non video, quòd eo loci modo aliquo eos approbârit. Afferunt alij verba quædam ex libro de Respiratione deprompta, quæ sunt, Quædam ex Terra ampliori facta, vt genus Plantarum, alia ex aqua vt aquatilium, volatilium, & campestrium, hæc ex aëre, hæc ex igne, singula autem in proprijs locis prædita sunt suo ordine &c. Hæc uerba rectè percepta difficultatem non pariunt, quoniam loquitur de campestribus, & uolatilibus Animalibus, quæ comparatione facta inter animalia, vel magis, vel minus calida, & sicca, & ignea & aërea nuncupantur. Officium recti interpretis est per loca & verba propria, & conspicua illustrare aliena, & obscura: Hi faciunt oppositum per aliena & obscura nituntur obumbrare conspicua. Altera conclusio, quæ erat ex sententia Aristo. non dari Dæmones Peregrinos, conspicua est. Nam Peregrini Dæmones sunt animæ hominum defunctorum, solutæ à corpore, ex sententia autem Aristo. non datur anima seorsùm à corpore, vt dicitur in 2. de Anima 26. & in 7. Meta. legitur non dari hominem sine carnibus & ossibus, & in 2. de Gen. Animalium cap. 3. scriptum reliquit, Nec instrumentum siue facultate, nec facultatem organicam sine in-

Cicero.

Diluuntur rationes aduersa.

Altera conclusio.

O strumento

ſtrumento reperiri: Anima autem hominis organica eſt, & in 12. Meta. tot approbat ſeparatas formas, quot ſunt cęli, & addit, quòd ſi eſſent plures, eſſent fruſtrà. Similiter damnat tranſitum animarum per varia corpora, & motum earum vt patet ex 1. de anima. Colligamus itaq; Philoſophos omnes in attinentibus ad Dæmones, à recto vel penitùs, vel in parte receſſiſſe: & gratias Deo referamus, qui credentibus in eum, conſpicuam veritatem patefecit, quam ſolam conſtanter approbo.

HOMO.

DIVISIONES.

Academici. Homo triplex.

EX opinione Academicorum Homo trinus eſt, nimirùm Idealis, Rationalis, & Senſitiuus. Ideò Plotinus Enn. 6. lib. 7. cap. 5. ait, Triplicem dari hominem, quorum Primus & verus homo Idealis eſt, cuius ſenſus ſunt perſpicaciſſimus. Secundus eſt anima. Tertius & tamquam imago hominis, eſt congregatum. De hoc Tertio ait Plato in Phædone, Aliud ne quid nos ſumus, quàm partim corpus, partim anima? nil profectò. De eodem in Epinomide dixit, Veriſſimè animal ſecundum naturam tunc affirmamus, cum vna animæ, corporiſq; conſtitutio, vnam ſuo concurſu formam parit, denotans eam, quæ dicitur forma totius. De ſecundo Homine loquitur Plato in Alcibiade primo, dum latè nititur oſtendere Hominem non aggregatum, ſed animam ſolam eſſe, corpore vtentem. De Homine Ideali frequenter loquitur, & præſertim in Timæo, & Phædone, dum manifeſtat Ideas eſſe rerum eſſentias, cætera verò eſſe vmbras, in materia refulgentes, uel participationes earum. Ariſt. Hominem Idealem renuit, valemus tamen etiam cum eo trinum ſeruare Hominem, quorum vnus eſt ſola anima, alter eſt iunctum ex anima & corpore, tertius ex Mente & anima: Primus eſt, eſſe hominis: Secundus eſt homo ſenſitiuus, & rationalis per participationem: Tertius eſt homo eminens. Vt pertinet ad primum, ex ſententia Ariſto. 8. Met. cont. 7. nomen concretum primò denotat formam, Secundò formam cum materia iunctam, veluti inquit Animal primò denotat animam, ſecundariò compoſitum. Et in 1. de Cęlo Mundum, Cęlum, & ſimilia formam primò denotare affirmat. Similiter in 3. de anima cont. 9. ait aliud eſt caro & eſſe carnis, id eſſe forma eſt, quod etiam frequenter approbatur ab Auer. & præſertim in Paraphraſi Met. tractatu 2. in 4. Met. cont. 14. & alibi.

Ariſt.

Homo pro anima.

De ſecundario Homine concreto, & materiato, loquitur Ariſto. in 7. Metap. 28. inquiens, Hominem non eſſe ſine carnibus & oſſibus, & in 2. Phyſic. 19. Legitur Phyſica eſſe vt Simum, hoc eſt, formas in definita & propria materia. De tertio Homine, per Mentem conſtituto, loquitur Themiſt. in 3. de anima digrediens pro attinentibus ad cont. 20. & inquit; Verum hominem eſſe Mentem agentem. Et Ariſtot. in 10. Nicomachiorum capit. 8. inquit,

Pro compoſito ex anima & corpore. Pro conſtituto per Mentem.

inquit, Mens & si mole parua est facultate tamen & dignitate omnibus antecellit, & uerè pars hæc uniuscuiusq; nostrum esse uidetur; siquidem id, quod principatum obtinet, etiam melius est; absurdum igitur fuerit siquis non suam, sed alienam vitam expetat & sequatur. Præterea quod cuiusque proprium est natura, idem & optimum cuiq; & iucundissimum: ergò & homini optima ea vita est, quæ Menti conuenienter traducitur; siquidem hæc pars homo est maximè. Hæc Arist. Adeò vt ex opinione eius primus Homo sit anima rationalis per participationem, cuius suprema facultas est Phantasia; Secundus sit conflatum ex corpore, & hac anima informante; Tertius constitutur per Mentem, cum Phantasia iunctam, quam solam iudicat extrinsecùs accedere, & esse essentia distinctam à Phantasia: sic etiam Mercurius Termaximus Mentem vocat verum & substantialem Hominem. Theologi rectè sentientes, quibus solùm ego assentior, etiam trinum noscunt hominem, secùs tamen ac Ari. Nam primò concedunt hominem sumptum pro idea, ut etiam Platonici; mox conflatum ex corpore, & anima, quam noscunt essentiam vnam creatam à Deo, præditam facultatibus varijs: Hunc dicunt considerari dupliciter, nimirùm intrinsecùs, & extrinsecùs, siue secundum spiritum & secundum carnem: & inde oritur Homo duplex, siue potiùs unus duplici modo consideratus, de quo frequēs apud Theologos sermo est, Qui etiam frequenter inuicem pugnare dicuntur; de qua pugna loquens D. Paulus septimo ad Romanos dixit, Sentio nouam legem in membris meis, repugnantem Legi Mentis meæ, & captiuantem me in Lege peccati. De primo & Ideali homine Philon Hebræus in 2. allegoriarū putat sermonem fieri in Genesi, vbi legitur, Fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem eius, non dixit faciamus hominem imaginem, sed ad imaginem, indicando tria, Deum, Imaginem Dei, quæ est Idea hominis, & Hominem, factum ad imaginem, qui est simulacrum Ideæ, Idea uerò est exemplar nostri, & Imago Dei.

Triplex Homo ex sententia Arist. & Theologi.

DEFINITIONES.

VARIAE circumferuntur Hominis descriptiones, quarum multæ per metaphoram ei competunt, à quibus tamquam à leuioribus ordiar. Circumscribitur Homo ab Academicis, à Mercurio Termaximo & ab alijs, quòd sit Mundus paruus; Epilogus, & Compendium Mundi magni; Deus mortalis; Artificium insigne admirabilis Naturæ; Planta euersa, quatenus caput proportione respondet radicibus Plantarum; Proteus, aptus fieri omnia, quatenus vitam omnem viuere valet; Mensura rerum, vt dicebat Heraclitus, quod tamen Arist. soli sapienti ait competere, ut legitur in 10. Met. cont. 5. Insuper à sapientibus dicebatur Statua Dei, quia ad eius imaginem fuit formatus; Similiter dicebatur Sacerdos Dei, quia solus mortalium religionis est capax. Præterea in 2. de R. P. ab Aristo. dicitur animal ciuile. Insuper dicitur Mens ad Dei imaginem formata. A Periandro dicebatur maximum in minimo, hoc est, Mens in uili corpore recepta. A Platone dicebatur Ludus Deorum. Insuper Monstrum facie una puellæ & innumeris caudis ferarum præditum, hoc est, Mente una tamquam uirginea facie insignitus, præditus tamen innumeris appetitionibus.

Circumscriptiones Hominis per Metaphoram.

Strobeus. bus. Stobæus sermone 96. refert, quod Aristo. interrogatus, quid esset Homo respondit, Hominem esse Imbecillitatis exemplum, Temporis spolium, Fortunæ ludicrum, Iacturæ imaginem, & calamitatis Trutinam: reliquum verè Pituita & Bilis. Præterea Homo dici potest Fera, seipsam vorans, quatenus pars eius fera, pugnans cum ratione sæpè eam peruertit. At metaphoras derelinquamus. Homo ab Academicis definitur, quòd sit anima rationalis, Mentis particeps, corpore vtens. A' Speusippo, quòd sit Animal sine pennis, bipes, latis vnguibus, quod solùm ex animantibus scientiæ rerum per rationes est particeps. Ex sententia Aristo. si volumus tradere latam quandam descriptionem, dicere valemus, Homo est Animal, honestum quærens, scientiæ cupidum, Dei cultor, ciuis orbis & Vrbium, Dominus iumentorum, Arte ardua superans, capax bonorum Fortunæ, dominus suarum actionum, valens viuere vitam omnem. Hæc tamen est potiùs relatio variarum eius affectionum, quàm vna eius circumscriptio. Ideò si volumus tradere definitionem explicantem solùm quid, hæc est integra eius definitio, Homo est Animal rationale. Si verò omnem causam explicare cupimus, dicamus, Homo est animal rationale à simili genitum pro assequendo summo bono.

Ex sententia Arist.

ANNOTATIONES.

Definitio Academica in dubium uertitur.

NOTA primò definitionem Academicam, quòd Homo sit anima rationalis, mentis particeps, corpore vtens, multiplici ratione esse dubiam, & nec à Theologo, nec à Peripatetico approbandam. Primò, quia definitiones sunt compositorum, & dum ex forma & materia consurgit vnum quoddam totum, id totum est explicandum; ideò rectiùs dicimus, Homo est animal, quàm quòd sit anima: Homo enim id totum est. Secundò, quia sic definientes seiungunt Mentem ab anima ex se rationali, quod nec à Theologis, nec ab Aristo. approbatur. Tertiò, quia dicendo corpore utens, indicamus animam esse integrum operans, cum tamen id congregato tribui debeat: Actiones enim sunt compositorum. Quartò, quia ea definitio magis uidetur competere Dæmoni, cui competit corpus, & eius anima liberiùs operatur: ideò deberemus dicere crasso corpore utens, pro distinctione à Dæmone. Considero Secundò, quòd ex sententia Aristo. ratio competit soli homini, nam motores cælorum supra rationem sunt eleuati, iumenta & feræ expertes sunt rationis, & ob id dicendo animal rationale, constituitur definitio explicans quid, quæ cum homine reciprocatur; & propterea aliud non est addendum. Considero tertiò, quòd dum dicimus Homo est animal rationale, hoc uerum est ex sententia Aristo. de homine constituto per Phantasiam, & de constituto per Mentem; primus est rationalis per participationem, Secundus per essentiam, ut patefacit Philosophus in calce primi Nicomachiorum, & in principio sexti hinc in 3. de anima. 57. Phantasiam hominis rationalem appellat. Considero quartò, quòd dum Homo dicitur generari à simili, id intelligi debet primò & per se de eo quod ortui, & interitui subijcitur; loquendo autem de parte immortali, solùm per consecutionē dicitur gigni à simili, quatenus generās corpus parat pro eius receptione, absolutè tamen Mens extrinsecùs accedit, & ex uerissima

Ratio soli homini.

Homo quomodo sit à simili.

uerissima sententia Theologorum Anima creatur, & infunditur à Deo. Demùm considero, quòd cum Homo sit rationis compos, beneficio rationis redditur particeps uariorum munerum, & præsertim redditur capax disciplinæ, Virtutum cùm moralium, tum rationalium, redditur Mundus Paruus, Hymenæus æternorum & mortalium, Ciuis Mundi, Particeps religionis, immortalitatis, & summi boni, Amator honesti, & Dominus cæterorum uiuentium, quæ Munera latiùs & cumulatiùs retuli in libris de Humana Mente. *Varia munera rationis.*

PYGMÆVS.

DIVISIO.

PYGMAEI nomen deducitur à πυγμη quod pugnum denotat, uel à πυγος ut ait Eustr. interpres Homeri, quod denotat cubitum, & dicitur Pygmæus quasi cubitalis. Pygmæus est duplex, uel secundum Naturam adeò ut sui naturâ, & conditione sit talis, & hic propriè, & absolutè Pygmæus est, uel per dispositionem præter naturam, quæ potest indiuiduo competere duobus modis, uel à natura at nō secundum naturam, adeò ut sit humanum monstrum, eam magnitudinem non excedens, ob inopiam materiæ generationis eius, uel Arte & uiolentia, ut si educatur in loco adeò angusto, ut maior reddi non possit; uel si tenuissimum ei tribuatur alimentum, ac ita in omni animalium specie indiuiduum præter naturam suæ speciei paruum potest per metaphoram dici pygmæus, ut equus, uel canis. *Pygmæus secundum Naturam* *Præter Naturam*

DEFINITIONES.

PYGMAEVS est genus hominum sui naturâ & conditione cubiti magnitudinem non excedens.

Pygmæus est genus hominum Gruibus aduersum, cumq; eis pugnans, per naturam cubiti magnitudinem non excedens.

Pygmæus est indiuiduum humanæ speciei ob dispositionem præter naturam, cubiti magnitudinem non excedens.

Pygmæus est genus Simiæ homini simillimum, cubiti magnitudinem non excedens, sui conditione gruibus aduersum.

ANNOTATIONES.

An dentur Pygmaei. D. Aug. Pomponi' Mela. Plinius. Homerus. Iuuenalis. Arist. Error Theodori.

ANIMADVERTENDVM primò, quòd cum Pygmaei nomine varia denotentur, propterea varias dedi definitiones, secũdum variam significationem & competentem. Considerandum Secundò, dubium esse, an dentur; & quid sint Pygmęi? Varij de illis mentionem faciunt, vt D. August. Decimo sexto de Ciuitate Dei cap. 8. ex relatione aliorum, & dubitat, an ex semine Adam & Noæ prodire valuerint. Similiter Pōponius Mela, Plinius, Homerus, & Iuuenalis eos approbant: Arist. octauo de Historia animalium cap. 12. vt interpretatur Theodorus inquit, Vt grues faciunt, quæ ex Scythicis campis, ad Paludes Aegypto superiores, vnde Nilus profluit, veniunt, quo in loco pugnare cũ Pygmæis dicuntur, non enim id Fabula est, sed certè genus tum hominum, tum etiã equorum pusillum, ut dicitur, est, deguntq; in cauernis, vnde nomen Troglodytæ à subeundis cauernis accepēre &c. In quà interpretatione considero Aristo. de genere hominum non facere mentionem, & male interpres ait: Sed certè genus tum hominum tum etiam equorum pusillum, &c. cum tamen Aristo. dicat sed certè, genus tum eorum, nimirùm Pygmæorum tum etiam equorum pusillum, adeò vt minimè ex Arist. elicere cogamur, Pygmæos esse ex genere hominum. D. Aug. eos numerat inter monstra humani generis. Plinius libro quarto ex genere hominum esse refert, & ait reperiri in Thracia in lib. 6. eosdem ait reperiri in India & esse populos, in extrema parte Montium Indię habitantes, qui ternos dodrantes non excedant. Auer. in calce 2. lib. Paraphrasis de Gen. animalium inquit, Mulus potest gignere, & quod gignitur ex eo est veluti quod accidit in una & eadem specie, ut fit Pygmæus in aliquo animali cubiti mensura. *Auer.*

Homerus. Homerus 3. Iliadis,

Velut q; sonitus Gruum est, Cælitus ante
Quæ q; postquam hyemem fugierunt, & immensum hymbrem
Sonitu hæ volant, in Oceani fluxibus
Viris Pygmæis cedem; & Fatum ferentes.

Iuuenalis. Iuuenalis Satyra 13.

Ad subitas Thracum volucres, nubemq; sonoram
Pygmæus paruis currit bellator in armis;
Mox impar hosti, raptusq; per aëra curuis
Vnguibus à Saua fertur Grue, si videas hoc
Gentibus in nostris risu quatere, sed illic
Quamquam eadem assidue spectentur prelia, ridet
Nemo, vbi tota cohors, pede non est altior vno.

Albertus Magnus. Albertus Magnus in lib. de Animalibus 7. & 21. Pygmæos concedit, & ait homini esse similes; distingui tamen specie ab eo; similes autem esse barba, figura erecta, incessu & esse longitudinis unius cubiti, uti equis pusillis, præditos esse elocutione, sed imperfecta, cum Gruibus pugnare uastantibus eorum messes,

uiuere

uiuere usque ad octauum annum,& anno tertio incipere generare. Addit Plinius famam esse eos insidentes caprarum Arietumq; dorsis, armatos sagittis, tempore veris vniuerso agmine ad mare descendere,& oua, pullosq; Gruũ deuastare,casas eorum luto, pennis,ouorumq; putaminibus construi. Varij itaq; viri celebres approbârunt Pygmæos:nonnulli tamen eos ex genere hominum putârunt:alij negârunt,& solùm dixêre similes esse homini. *Plinius.*

Pro resolutione dicendum puto, Pygmæum vsurpari dupliciter, vel præter naturam,vel secundum Naturam. De Pygmæo ex dispositione,præter naturam prodeunte,non est dubitatio,inspecti nonnumquam sunt huiusmodi Pygmæi, veluti anno à partu Virginis 1543.circunferebatur per Italiam monstrum humanum in ætate iuuentutis,cubiti longitudinis,in Psittaci cauea, quem ego Senis primò,mox Perusijs vidi, & qui eum circumferebant plurimum lucrabantur,recipiendo præmium à cupientibus videre id monstrum.Similiter Arist.de cima part.prob.12.paruos ob inopiam cibi,vel loci angustiam,Pygmæos appellat. At loquendo de his,qui sui naturâ sint Pygmæi,& sint eiusdem speciei cum homine,nequaquam dari puto, quia tempus patiendi hominis non ualet esse annus tertius,nec periodus vitæ solùm octo annorum,non enim in eâdem specie tam magna uarietas locum habere potest. Præterea, cum multi scriptores loquantur de Pygmæis,nemo tamen eorum affirmat se eos uidisse:omnes de illis scribunt ex relatione aliorum.His accedit,quòd cum nostra hâc ætate accuratè lustratæ sint singulæ Terræ partes,nullibi hoc Genus hominum inspectum est,nisi cum Mela dicamus,in Arabia interiore fuisse Pygmæos,qui pro satis frugibus pugnando cum Gruibus,defecerint,& ob id modò nõ inueniãtur, quod Fabulam puto. Solùm dicere ualemus,quòd facta comparatione inter homines,qui eorum fuerint,minores,dicantur Pygmæi. At si Pygmæum dicimus animal,homini simile,specie tamen ab eo distinctum, puto Pygmæos dari, & esse speciem simiæ,& eam præsertim,quæ Babuini nomine vulgò denotatur:hoc animal barba,manibus,& alijs homini est simillimum, degit in Montibus, subit cauernas;& seruaui etiam Patauij Grues eis esse aduersas.Poëtæ suo more multa addiderunt.Arist. non ait eos esse homines,sed solùm affirmat (ut dixi) dari Pygmæos,& equos pusillos. *Resol.* *Pygmæi secundum naturam.* *Pygmæi præter Naturam.*

VITA, ET VIVENS.

DISTINCTIONES.

VITA vsurpatur dupliciter, vel per metaphoram, vel propriè. Per Metaphoram adhuc dupliciter, vel cum eminentia,vt Deus dicitur Vita & Salus nostra;vel cũ depressione, ut in 8.Phy.cont.1.motus dicitur tanquam vita corporum, naturâ constantium. Vita propriè sumpta etiam dicitur multipliciter,ut inquit Arist.in 2.de Anima 13.nam vsurpatur,vel pro actu primo,qui forma est, vel pro secundo,qui est operatio;Pro primo,vt in 2.de anima 37.inquit Arist. Viuere uiuentibus est esse; Pro secundo inquit Arist.in 1. Nicomachiorum cap. 5. Tria esse genera Vitæ quæ præcellunt,Voluptarium,Ciuile,& Contemplatiuum.In eâdem significatione dicimus,hominem posse uiuere uitam omnem.Insuper hęc Vita,cùm *Vita per Metaphoram.* *Vita propriè.* *Vita pro actu primo & 2.*

pro

pro primo, tum pro secundo actu sumpta, adhuc vsurpatur dupliciter vel enim accipitur pressiùs, vt pertinet ad gradum viuentium, contradistinctum ab animali, quę vita sequitur animam nutrientem, de qua Arist. cont. 32. de Anima ait. Vitam dicimus eam, quæ secundum se nutritionem accretionem, & diminutionem, & in cont. 16. addit, Viuere competit omnibus viuentibus per animam nutrientem. Vel vsurpatur latiùs, pro attinente ad quemlibet gradum animæ, de qua dixit Arist. in 2. de anima: 13. si unus solus insit animæ gradus, viuere dicitur, vt Intell. & sensus, & motus &c. In qua secunda significatione quinque in vniuerso reperiuntur gradus viuentium, nimirùm Plantarum, Stirpanimalium, Animalium absolutorum, Hominis, & Cęlorum, vt eum Dæmonum missum faciam. Arist. in 7. de R. P. cap. 14. Vitam secat in negocium, & ocium, siue bellum & pacem. Plato in Philebo eam secat in suauem, tristem, & neutram. Qui Platonem sequuntur, sumentes Vitam pro actu secundo, quatuor uitæ, & spirituum considerant gradus. In supremo considerant Vitam Saturniam in Mente, suspiciente patrem suum Cęlum, idest, Deum Cęli Fabrum. In secundo Iouialem in intelligentia ad actionem iam mobilem inclinante. In tertio Venereã in animaria Virtute, iam amante materiam. In quarto Dionysiacam in Natura quasi ebriam, idest, mersam in materia. Dæmùm usurpatur Vita pro recta animi constitutione ut aduersa constitutio dicitur Mors, Hinc Salus animi dicitur Vita; Dannatio, Mors; & Arist. 9. Met. 17. ait, Vita & felicitas, quæ est quendam uita, in anima est.

Quinque gradus uiuentium.

Plato.

Quatuor gradus Vitæ.

DEFINITIONES.

VITA græcè ζωὴ dicitur a ζεῖν, quod est feruere, quoniam uita uel calor quidam est, ut nonnulli perperàm putârunt, uel sine calore in mortalibus non seruatur. Et cum multipliciter usurpetur, multipliciter etiam definiri potest. Plato in Axioco ait, Vitam esse animæ peregrinationem. Alij Academicorum dixère, Vitam esse actum animæ, & splendorem Mentis. Insuper esse internam uiuentium ex se commotionem, nam se mouere uiuentium est proprium. Distinctiùs tamen uitam definientes dicamus, Vita sumpta pro essentia, & actu primo, ut extenditur ad omnem animæ gradum, est esse uiuentium, siue est actus primus uiuentium, ut uiuentia sunt. Insuper Vita est permãsio animę in corpore uiuentium per calorem uitalem. Insuper est Actus, per quem corpora nutriuntur, sentiunt, mouentur, & intelligunt. Vita uerò sumpta pressiùs, ut contrahitur ad animam nutrientem, est actus corporis organici, per quem uiuentia secundum se nutriuntur, crescunt & minuuntur, & si perfecta fuerint, ualent simile generare. Vita, sumpta pro actu secundo, est functio muneris eius, quod munus iam relatum est. Vita, sumpta pro facultate uitali, quam ponunt Medici distinctam à Naturali, est facultas in corde residens, uitam & pulsum uniuerso corpori impertiens. Viuens est corpus, quod ex se per internum principium est aptum moueri; nam mouere se proprium est uiuentium. Insuper Viuens latè sumptum est corpus quouis Animæ gradu præditum. Viuens pressiùs sumptum est corpus, quod secundum se præditum est interno principio nutritionis, & accretionis, ac etiam generationis, si ad fuerint requisita.

Plato.

Vita pro actu 1.

Vita ex anima Nutriente.

Pro actu 2.

Pro facultate uitale

Viuens.

ANNO.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, Medicos putare Facultatem vitalem, diſtingui à Naturali, attinente ad animam nutrientem. Hinc Naturalem tribuunt, Epati, vitalem Cordi, munere cuius ſingula membra viuunt, & pulſu arteriarum ſunt prædita. Ariſt. tamen Vitalem redigit ad Naturalem, & ait per animam nutrientem corpora viuere, nec unquam vitalem à naturali ſeiunxit. Feruor autem ſpirituum, & pulſus pendet ex eminentia quadam animæ nutrientis, expoſcente vehementiorem calorem, quem ſequitur feruor & pulſus arteriarum vt in lib. de Sede animæ pateſeci. Conſidero ſecundò, quòd quemadmodum Anima dicitur alterius anima, ita Vita alterius dicitur vita; & quoniam eſt alterius perfectio, & quemadmodum datur perfectio corporis, ita animæ, ideò datur Vita corporis, & Vita animæ, quæ eſt ſummum eius bonum, & perfectio. Hinc multi dicuntur ſcripti in libro vitæ, alij mortis. Et quemadmodum anima præſtat corpori, ita eius uita præſtat uitæ corporis: & mors eius longè deterior eſt morte corporis, & magis formidanda ſunt ea, quæ animam (quàm ea quæ corpus ualent) interficere. Mors corporis non eſt poſtrema abſolutè, ea autem animæ abſolutè eſt poſtrema, ut rectè enunciauit Plato in Phædone. Conſidero tertiò, quòd dum comparantur inuicem gradus uitæ, quamuis ſecundum proprietatem impoſiti nominis primò uita dicatur de attinente ad animam nutrientem abſolutè tamen & ex parte conditionis eorum graduum, ea attinens ad animam nutrientem eſt uita infima. & tanquam umbra obſcuriſſima uitæ, ea uerò quæ attinet ad Mentem, eſt abſolutè & uerè uita, de qua legitur da mihi domine intellectum & uiuam. Et Ariſt. in 12. Met. cont. 39. inquit, quòd ſpeculatio eſt uita, quia actus intellectus uita eſt, & cum Deus ex ſe ſit ipſe actus, uita erit ex ſe optima & ſempiterna. Auer. eo loci inquit, Vita eſt actio Mētis, & ideò uita & ſcientia propriè dicuntur de Deo: dum tamen Deo tribuitur, præſertim id fit cum relatione ad aliud, & dicitur Vita Mundi, & cunctorum in Mundo degentium, præſertim tamen & propriè animorum rectè conſtitutorum. Plotinus etiam En. 1. lib. 14. cap. 3. inquit, ſæpè dictum eſt perfectam, ueramq; vitam in intellectuali Natura uigere, alias uerò imperfectas eſſe, uitæq; imagines, nec magis uitas eſſe, quàm non uitas. Inſuper conſidero, quòd cum Deus ſit uita omnium, uita uera, & fons uitæ; iure tendentes ad eum, dicuntur ambulare per uiam uitæ. recedentes autē ab eo, dicuntur inclinare ad mortem. Propterea approbanda eſt ſententia Democriti enunciantis, uiuere imprudenter, intemperatè, & impiè, non tam eſt male uiuere, quàm diù mori. Demùm conſidero ex notitia uitæ refulgere attinentia ad uiuens, quod concretum eſt. Corpus uiuēs partim eſt uniuocum, partim non uniuocum, ſed ab uno, & ad unum; Vniuocum eſt, dum conſideratur, ut conſtitutum per animam nutrientem, ac ita eſt natura una generica, conſtituens genus animalis, quod eſt corpus uiuens. Dum uerò conſideratur latè, tanquam conſtitutum per quoduis genus animæ, tunc ut anima non eſt quid uniuocum, ut in 2. de Anima docet Ariſt. ita nec uiuens, ſed eſt partim ab uno, partim etiam dictum ſecundum quandam analogiam.

Vis uitalis. — *Anima et vita alterius ſunt.* — *Mors animæ abſolutè eſt poſtrema.* — *Ariſt.* — *Auer.* — *Plotinus.* — *Democriti ſententia.* — *Viuens.*

MORS.

DEFINITIONES.

Definitio per Metaphoram.

PERTINENTIA ad Mortem, & præſertim ad eius diuiſiones, conſpicua ſunt ex notitia attinẽtium ad Vitã, ideò ſolùm circumſcriptiones quaſdam eius referam. Mors eſt horrida hyems, ſenſim viuentium corpora obruẽs. Inſuper eſt aduerſum Gelu, calorem vitalem extinguens. Mors eſt vltimum terribilium 3. Nicomachiorum cap. 6. Inſuper Mors eſt vitę poſtremum, quod per metaphoram finis nuncupatur, cum tamen re uera finis non ſit, quia non eſt bona. Præterea Mors eſt exitus animæ ex carcere tetro. Propriè tamen Mors eſt tranſmutatio viuentis, & præſertim animalis ex eſſe in non eſſe. Nam quamuis mors latè ſumpta, ut oppoſita vitę, tribuatur etiam Plantis, propriè tamẽ animalibus competit, & opponitur vitæ ſenſuum, & ob id ſenſu tactus priuata animalia, dicuntur mori, ut in calce 3. de Anima docet Ariſt. Ea autem Plantarum potiùs dicitur ariditas. Præſertim tamen refulget Mors, dum euaneſcit pulſus præcordiorum. Hinc familiares Socratis, dum ſumpto veneno noſcere cupiebãt, an obijſſet? manus ſuper cor imponi iubebant, ut legitur in Phædone. Mors omnis ſecundum ſe mala eſt, ex accidenti tamen ualet eſſe bona, quatenus eſt uel generatio alterius, uel ianua ad meliorem uitam.

Quomodo Mors competat Plãtis.

ANIMAL.

DIVISIONES.

Nomẽ Animalis.

ANIMALIS & Animantis nomen à nomine animæ deducitur, græcè autem ζῶον animal, & ζωή uita, à ζῶ quod eſt feruere ortum ſuſcipiunt & qui hæc formárunt nomina, ſolùm uiuentia & animalia mortalia conſiderárunt. Animal, latè ſumptum, dicitur de quouis uiuente, prædito facultate aliqua animæ ſupra nutrientem eleuata: propriè autem dicitur de præditis ſenſu tactus, ut dicitur ab Ariſt. in calce 3. de anima. Animal latè ſumptum diuiditur à Platone in Timæo in quatuor gradus: nam ait quatuor eſſe Ideas Animalium. Vna eſt Deorũ, & eſt Cęleſtium genus. Altera continet uolatile & aëriuagum. Tertia Aqueũ. Quarta Terrenorum animantium genus. In Epinomide uerò animalia in quinque gradus diſtribuit, in Ignea, quæ ſunt Cęleſtia, Aetherea attinentia ad ſublimẽ aëris partem, Aërea, Aquea, & Terrea: nam ait omnes gradus corporum conſtituentium Mundum debere eſſe Animalibus præditos. Nec ſecum ob id Plato pugnat, nam in Timæo Aetherem, quem putat ſub Cęlo proximè poſitũ, non diſtinguit ab igne, denotante Cęlum; nec Deos à Dæmonibus, quod mox facit in Epinomide: Ariſt. tamen rectiùs animalium gradus diſtinguit diſtinctione & ordine

Animal Latè.

Quatuor gradus Animalium.

Quinque.

Grad' Animaliu.m ex sententia Arist.

ordine facultatum. Nam primò considerantur Animalia, solo tactu prædita, affixa Lapidibus, quæ tamquam proxima plantis, Stirpanimalia nuncupantur. Secundò dantur Animalia absolutiora, prædita sensu, & motu secundum locum. Tertio datur homo, prædítus, ratione. Dæmones pro quarto gradu non approbauit. Cęlestia corpora non censuit rectè dici Animalia, cum careant sensu & organis, Solùm per Metaphoram, & eminentiam. In 12. Mét. cót. 39. dixit, Deũ esse Animal æternum, & optimum, forte nomine Dei denotando Cęlum, vt in 2. de Cęlo, dum dixit opus Dei esse æternitatem; & ob id moueri æterno motu. Insuper ex sententia Pythagoræ. approbata à Platone in Timæo, etiam Plantæ sunt Animalia & sensu, obscurissimo tamen, prædita, quod non approbat Arist. Colligamus si Animal latè sumitur, id duplex est, vel magnum vel paruum, Animal magnum est Mundus, paruum verò adhuc est duplex, vel æternum, uel mortale. Animal æternum ex sententia Academicorum est duplex; Cęleste & sunt Sphæræ Cælorum: Alterum sub Luna positum. Primum nomine Dei sensibilis, Alterum nomine Dæmonis denotatur. Animal paruũ mortale est duplex, vel carens motu secundum locum, & dicitur Stirpanimal, vel eo est præditum, & hoc est duplex uel enim caret ratione, vel rationis est compos, quod soli homini competit.

Opinio Pytagoræ.

Animal magnũ, & paruum.

DEFINITIONES.

ANIMAL latè sumptum est corpus viuens, præditum facultate aliqua animæ supra vim nutriendi eleuata.

Insuper est Mundus paruus, suo gubernatore partiumq; congruente ordine præditus.

Animal, sumptum pressiùs pro solo mortali, est corpus uiuens, sensu prẹditũ, integroq; suarum partium ordine per naturam constitutum.

ANNOTATIONES.

Animal vniuocum & ab uno.

CONSIDERO primò, quòd quemadmodum viuens, ita Animal distincta relatione & vniuocum & ab uno dici potest. Vniuocum est Animal, dum refertur ad mortalia, & consideratur, vt constitutum per sensum tactus, qua consideratione est genus subalternum prædicamenti substantiæ. Est autem ab vno, dum vsurpatur latè, & dicitur de æterno, & mortali, quibus nil est cõmune vniuocum, & primum ab vno secundum impositionem nominis, & proprietatem est Animal mortale; secundum dignitatem verò, & absolutè, est animal æternum. Insuper alio pacto est ab uno, quatenus consideratur, ut est uel vna, uel pluribus animæ facultatibus, præditum. Considerò secundò, Aristotelem in 8. Phy. 17 Animal omne dixisse Mundum paruum, id tamen maximè competit homini, ut agens de Mundo patefeci. Considero tertiò corpora, prędita sola facultate nutriente, non dici animalia, tum quia non fit denominatio, nisi adsit præstantia, & fulgor aliquis, tum insuper quia plurimi ueterum putârunt nutritionem non per animam, sed per naturam infra animam collocatam competere corporibus, quorum sententiam reijcit Arist. tum in 2. de Partibus animalium, tum etiam in secundo de Anima. Demùm considero, quòd dum dicimus

Omne animal est Mũdus paruus.

mus corpus viuens sensu præditum non est integra definitio; non enim cum Animali reciprocatur, nam de Manu, de Pede, & alijs huiusmodi partibus id dici potest, quęuis enim est corpus uiuens sensu præditum, non autem est animal; ideò censeo, pro distinctione ab his, aliquid esse addendum, ueluti quòd sit præditum integro suarũ partium ordine, uel aliud simile, '& addebam per naturã, ob ea Animalia, quæ uiolentia aliqua, & præter naturam, membro aliquo sunt priuata.

FAMES, ET SITIS.

DISTINCTIONES.

FAMES & Sitis duplex est, uel ex ægritudine prodiens & ex aduerso aliquo humore, uel non prodit ex ægritudine, quæ adhuc est duplex, uel enim penitùs est secundum naturam, uel arte est excitata, ut dum comedimus sicca excitantia sitim, uel aëria excitantia famem. Definienda tamen est Naturalis. Insuper Fames, & Sitis secundum naturam competens uiuétibus, uel usurpatur propriè, & hęc nõ fit sine sensu tactus, qui etiam ab Arist. in calce tertij de Anima dicitur sensus alimenti, uel usurpatur latè pro indigentia humoris considerata in corpore uiuente: In qua significatione temporibus aridis dicimus segetes, & Plantas expetere humorem, & pluuias. Consideratur modò Fames & Sitis secundum naturam, competens animalibus, quæ per sensum tactus, præsertim in ore Ventriculi percipitur. Missam facio Famem & Sitim, suptam pro quouis uehementi appetitu, ut dicitur Auri sacra fames. & Aurum sitisti, Aurum bibe, & sitis sanguinis.

Definienda est fames & sitis naturalis.

Fames per Metaphoram.

DEFINITIONES.

Plato. PLATO 4. de R.P. Famem definiuit, quòd sit appetitus alimenti; Sitim, quòd sit appetitus potus: & addit quòd ea sit appetitus calidi, uel frigidi, magni uel parui ex euentu. *Gal.* Gal. in 1. de Symptomatum causis cap. 7. inquit, Famem esse sensum ipsius suctus, siue penuriæ alimenti. *Arist.* Arist. in 2. de Anima 38. inquit, Famẽ esse appetitum calidi & sicci. Sitim uerò frigidi & humidi. Possemus nectendo sententiam Galeni cum ea Arist. cumulatiùs definire dicendo, Fames est appetitus substantiæ calidæ & siccæ, aptę nutrire, oriens ex suctione sensupercepta in ore uentriculi pro restauratione partium Animalis. Sitis est appetitus substantiæ humidæ, & frigidæ, ex desiccatione & tristi sensu suctionis in ore uentriculi prodiens, pro contemperandis partibus consimilibus Animalis.

Definitio exactior.

Sitis.

ANNO-

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, Gal. in 1. de symptomatũ causis c. 7. quinque referre conspirantia ad excitandam Famem. Primò enim consideratur Inanitio, & Resolutio substantiæ partium consimilium animalis. Secundò appetitus naturalis ex ea inanitione, & indigentia prodiens. Tertiò Suctio partium, & Epatis per venas mesaraicas à ventriculo. Quartò tristis sensus suctionis præsertim in ore ventriculi, prædito sensu tactus, satis exquisito. Quintò appetitus Animalis sequens suctionem & sensum eius. Sic in fame, & siti duplex est appetitus, vnus Naturalis, sine cognitione, & antecedens, competens etiam Plantis, alter animarius, cum cognitione. Considero Secundò pro attinentibus ad traditas definitiones in Fame & Siti, tria præcipua conspirare, nimirùm Commune Obiectum, & est alimentum; Rationem proximam, per quam appetitus excitatur, & est calidum, frigidum, humidum, & siccum, ob quæ proximè appetimus; & demùm modum & ordinem, quo appetitus excitatur, & fit, & est Suctio & tristis sensus penuriæ. Plato definiens inspexit confusè primum. Arist. secundum expressit. Gal. tertium Ex quorum trium connexione cõstitui potest exactior, & cumulatior definitio postremò tradita. Considero tertiò, quòd definitio Platonis nimiùm est confusè tradita, cum non explicet, rationem propriam, & proximam, excitantem sensum, neq; etiam modum. Vt verò pertinet ad definitionem Gal. dubitatione non caret. Primò, quia Fames non est sensus, sed appetitus eum sequens: hinc frequenter vsurpatur pro quouis vehementi appetitu: sumendum autem pro genere id est, quod est proximius, & magis proprium. Insuper appetitus debet definiri per obiectum siue finem eius, & rationem propriam, per quam in eum tendit. Præterea sæpè percipitur tristis suctus per cucurbitulas, sanguisugas, & similia, qui non est fames. Demùm Suctus, siue tractio est motus, qui numeratur inter sensilia cõmunia, quæ non percipiuntur nisi per propria, ideò explicanda sunt ea propria, per quæ percipiuntur. Considero quartò, non leuem esse difficultatem, quæ na sint ea sensilia propria, per quæ suctus cum molestia percipitur. Et prætermissis varijs, Dico suctum percipi proximè, & præsertim per qualitates alterantes, desiccantes, vellicantes, & corrugantes, denotatas ab Ari. per quatuor primas qualitates, proximè constituentes alimentum. Insuper Epar trahit primò ex ventriculo partes Chyli dulciores, remanent terreæ, amaræ, & mordentes, sic atra bilis Famem excitat;

Quinque conspirantia pro Fame.

Duplex appetitus in Fame.

Tria præcipua.

Plato.

Ex attinentibus ad Famem & Sitim uariam emergunt dubia. Et primò, cum idem frequenter esuriat & sitiat, & hi sunt appetitus contrariorum, idem simul expetet contraria, quod uidetur absurdum, qui enim optat calidum, non optat frigidum, & qui optat humidũ non optat siccum: Insuper non apparet cui parti animalis primò competat Fames & Sitis: non Ori, nam sæpè est humidum, & sitimus; non Ventriculo, cum sæpè sit plenus, & esuriamus. Tertiò, Fames desiccat corpora, quare non uidetur appetitus sicci. Quartò, Alimenta sunt mixta, quare fames non est appetitus solùm calidi & sicci, nec sitis solùm humidi & frigidi. Si respõdemus id debere intelligi considerando ea, quæ in mixtione dominantur, contra sæpè potus est calidior, & cibus frigidior, ut dum commedimus melopepones, & bibimus maluasiam, ac etiam nonnunquam uinum calefacimus, ut magis prosit. Demùm ille appetitus uel est naturalis sine cognitione,

Quatuor Dubia attinẽtia ad Famem, et Sitim.

uel Animarius cum cognitione;non primus, quia non oritur ex tristi sensu suctionis;non alter,quia Puer nuper ortus,ac etiam in utero contentus, non cognoscit alimentum,& id appetit. *Solutiones* Pro solutione accipio primò, quòd alimentum ut substantia nutrit,ut quantum auget,ut redundans utile,in sæmen trāsit, ut elicitur ex 2.de Anima 47.ex primo de ortu & interitu, ac etiam ex libris de Gener. Animalium.Accipio 2.Alimentum,quod est substantia nutriens, excitare appetitum per qualitates ad tactum pertinentes,constituentes temperamentum congruens alimenti,& præsertim nutrimúr eo contemperato succo, qui dulcis est,& gustu percipitur.Hinc tactus,& gustus in calce 3.de Anima dicuntur sensus alimenti. *Tactus & Gustus sensus Alimēti.* Tactus est sensus alimenti proximius nutrientis, nimirùm contemperati ex quatuor primis qualitatibus.Gustus uerò est iudex condimenti,indicantis id congruens temperamentum. *Sol. primæ diff.* Dum appetimus id alimentum cōtemperatum,distincta ratione ille appetitus dicitur Sitis,& Fames. Per definitionem autem propria utriusq; ratio est explicanda. Ex his eliciuntur solutiones.De prima difficultate dico,dū simul esurimus & sitimus, appetimus id mixtum contemperatum,quo nutrimur,cuius appetitio distincta ratione dicitur & Fames,& Sitis:Hinc sepè eodem alimento uterq; appetitus expletur, ut euenit pueris,qui solo lacte nutriuntur;Propterea etiam Hippocrates in primo Aphorismorum ait,Famem vini potio soluit. *Secundæ.* De secunda difficultate, cui inquam animalis parti primò competat appetitus cibi? *Tertiæ.* Rectè inquit Auer.in 3.suarum collectionum,Famem esse affectionem vniuersi corporis mediante ore ventriculi; Hinc rectè Gal.affirmauit,eam præsertim & proximè esse affectionem oris ventriculi,exquisito sensu præditi,& dum os solùm aridum est,& ariditatem percipimus,ea non propriè est Sitis,nisi adsit consensio ventriculi,& tristis sensus eius,sed est dispositio præter naturam. *Quartæ.* Addebatur 3.Famem exsiccare corpora. Respondeo,non famem exsiccare corpora, sed calorem naturalem continēter humorem consumere,& inde prodire exsiccationem: & humor alimenti, qui opponitur,distincta ratione explet appetitum,cùm famis tùm sitis. Addebatur quartò,Alimentum esse mixtum.Patet solutio, nam id mixtum distincta ratione medetur inopiæ cibi & potus,Instabatur, quia sæpè potus est calidior cibo, & nonnunquam vinum excalefit. *Calidum & facultate.* Pro exacta solutione dicendum primò est, esse calidum,frigidum,humidum,& siccum dupliciter contingere,vt dicitur in 2.de partibus animalium,vel actu uel facultate,præsertim considerada est facultas,per eam enim expletur appetitus. Addendum secundo est potum nonnunquam excalefieri ob imbecillitatem ventriculi animalis.Tertiò elicio,aquā esse potum magis secundum naturam, quàm vinum,cum sit sui naturā frigida & humida. *Qualis sit appetitus famis.* Demùm dico,cibum nonnunquam magis extinguere sitim, quàm famem,ob facultatem humectandi & refrigerandi;& potum nonnūquam magis sedare appetitum cibi.Quærebatur quintò, num ille appetitus sit secundum naturam,vel potiùs animarius,cognitionem sequens? Respondeo, conspirari vtrumq;,præire naturalem usque ad suctum,sequi animarium, ex perceptione suctus Instabatur,quia Puer in utero,& statim ortus non cognoscit alimētum. Respondeo,eum percipere suctum,& læsionem in uentriculo,& affici delectatione in hauriendo alimento: Hinc sæpè,ut infantes hauriant lac ex uberibus, nutrices illiniunt os eius lacte,ut noscant id sibi esse gratum;& cum cognitio sit confusa,etiam confusè appetunt;& cum sit appetitus sequens cognitionem,tamen quia iunctum habet appetitum naturalem,ideò non est in nostra facultate nō appetere alimētū;ut in nostra facultate non est,æstiuo tēpore nō appetere frigus, hyberno uerò calorē,quāuis sensu tactus percipiatur læsio ab oppositis.

ALI-

ALIMENTVM.

DISTINCTIONES.

ALIMENTVM est duplex, quoddam remotum, non coctum, nec paratum, quoddam proximum, coctum, & paratum. Insuper Alimentum vel est potestate, vt ante quàm nutriat, vel actu dum nutrit. Præterea vel est simile rei quæ alitur, vel dissimile: Simile est in fine, dissimile in principio. Insuper vel est facile coctu, vel difficile. Vel est praui, vel boni succi. Præterea, vel est solùm alimentum, dum simile fuerit, vel simul alimentum, & medicamentum, vt dum qualitate aliqua dominante contemperat partes læsas viuentis. Demùm Alimentum vel solùm nutrit, vel nutrit & auget, vel nutrit, auget, & generat. *Diuisio prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima.*

DEFINITIONES.

ALIMENTVM potestate est substantia mixta, apta verti per calorem viuentis, in substantiam partium eius pro illius conseruatione, accretione, & seminis productione. Alimentum actu est substantia mixta consimilis, versa per calorem viuentis in substantiam partium eius, eas seruans, augens, semenq; constitues, dum requisita adfuerint. Vel distinctiùs, Alimentum actu est substantia mixta consimilis, versa per calorem viuentis in substantiam partium cõsimilium eius, eas sua substantia seruans, mole augens, & copia vtili semen constituens, dum adfuerint requisita. *Alimentũ potius. Actu.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò in nutritione, & accretione id, quod primò nutritur & crescit, esse partes viuentium consimiles, ex quarum nutritione, & accretione pendet nutritio, & accretio membrorum, quæ ex illis constituitur, vt docet Aristot. in primo de ortu & interitu, loquens de accretione. Considerò Secundò commune obiectum facultatis nutrientis esse Alimentum, ex quo distincta ratione prodeunt tria officia eius quæ sunt Nutritio Accretio & Generatio. Nam Alimentum sua substantia nutrit; sua mole dum excesserit partes resolutas, auget; sua copia vtili in semen vertitur, in illis quæ sunt apta generare; sua demùm copia & redundantia inutili, cruditates & excrementa parit. Considero tertiò, quòd quamuis Alimentum non in omnibus, nec semper augeat, semenq; cònstituat, tamen non male id accipitur in definitione Alimenti, quoniam nos docet Arist. in 1. de cęlo, vires esse mensurandas *Quid primò nutritur. Ex alimento quatuor prodeunt.*

P 2 per

per maximum quod possunt, definientes autem alimentum, uires eius pate facimus, & id consideramus, quod sui conditione aptum est efficere; quod si non efficit, non ex eo sed ex alio pendet. Ita definitur differentia per dici de pluribus specie differentibus, quamuis differentiæ postremæ de vna sola specie dicantur. Considero quartò, quòd cum tria sint officia animæ nutrientis, id quod prius est origine maximè esse necessarium, dignitate tamen est infimum. Prima origine est Nutritio. Secunda Accr. Tertia Generatio; dignitate verò, contra. nam generare est opus præstantissimum, maximè consentaneum naturæ, optanti conseruationes specierum, vt dicitur in secundo de Anima. Dubitare quis posset de Accretione, nam ut terminus se habet ad terminum, ita mutatio ad mutationem; terminus nutritionis est substantia, accretionis quantitas: quare nutritio præstat, cum substantia præstet quantitati. Soluitur dubitatio dicendo, quòd terminus sequens, præsupponens antecedentem non seorsùm, sed vnà cum considerari debet, ac ita quatenus antecedenti aliquid addit perfectionis, dicitur præstare. Hinc accretio exposcit facultatem ualidiorem, quàm nutritio. Id autem quod pendet ex facultate præstantiore iudicari debet præstantius. Considero quintò, quòd cum Nutritio maximè sit necessaria, ideò inquit Arist. in secundo de Anima, nec non in primo de Ortu & interitu, uiuentia eo usq; viuere, quousq; nutriūtur; & uice uersa, eousq; nutriri, quousq; uiuunt. Ratio est, quia uita in eo naturali calore est posita, qui est tanquam flamma, ut dicitur ab Aristotele in lib. de Longit. & breuitate uitæ; ideò ut flamma, consumpto combustibili, perit, & nisi continenter reficiatur, non seruatur; ita calor uitalis, qui proprius est viuentium, per quem seruatur connexio animæ cum corpore, nisi humore alimenti reficiatur, extinguitur. Considero sextò, quòd dum dicitur viuentia continenter nutriri, id non debet in ea significatione intelligi, ut continenter portiones carnium, ossium & similium cibo reficiantur, id enim proculdubio non est necessarium, huiusmodi enim partes solidæ valent aliquandiu sine regeneratione partium seruari: sed absoluta necessitas restaurationis, referri debet ad spiritum & naturalem calorem, qui perinde ac flamma continenter dissoluitur & reficitur; & per hoc uariæ instantiæ diluuntur, quibus nonnulli nituntur ostendere continuam nutritionem non esse necessariam. Quas alij soluunt dicendo, Alimentum continuò uel uerti in substantiam uiuentis, uel saltem parari: at si necessaria non est continuata conuersio, etiam non erit per aliquod tempus necessaria paratio, ac ita non absolutè ea sententia erit uera, quæ tamen absolutè est uera dum refertur ad spiritum, & calorem uitalem. Considero septimò, conditiones alimenti esse uarias, præcipuæ tamen hæ sunt. Prima, ut sit modo aliquo contrarium rei, quæ alenda est. Ratio est, quia debet in eam permutari, motus autem est ex opposito in oppositum, oppositio autem requisita duplex est, una interna secundum formam & priuationem, altera externa, per qualitates & temperamenta inuicem agentia. Secunda conditio est, ut alimentum per calorem uiuentis sit aptum coqui & permutari. Tertia, ut sit mole præditum & aptum augere, quamuis non semper augeat. Quarta, vt ad id, quod alitur, perinde se habeat ac materia ad formam, nam humidum nutriens se habet tamquam materia ad calorem coquentem, & permutantem. Has conditiones debere alimento competere manifestauit Aristoteles in secundo de Anima, loquens de anima nutriente. Considero octauò ex relatis conditionibus uaria elici posse. Primò elicitur id quod protulit Aristoteles in primo partic. Problematum, Metalla non nutrire. Ratio est, quia à calore

Ordo inter officia animæ nutrientis.

Dub.

Sol.

Viuentia nutriūtur usque in finem.

Conditiones Alimenti.

humido

humido non liquescunt, ut patet ex quarto Meteorum, sed à sicco, calor autem vitalis humidus est. Metalla per ebullitionem in humore valent quidem modo aliquo coniuncta cum eis alterare, at non ualent liquida reddi. Insuper valent per ebullitionem partes quædam tenues eorum resolui, at non liquefieri. Mihi retulit vir fide dignus, quod cum deglutisset nonnullos aureos, ac eiecisset, inuenit redditos fuisse singulos eorum leuiores duobus granis. Dubitatio est de Struthiocamelo, de quo dicitur, quòd nutriatur ferro. At id uerum non puto: solùm dicendum est huiusmodi animal delectari ferro, & libenter deglutire capita clauorum, at ea deinde eijcit vnà cum excrementis. Dicitur etiam de Pisce Carpione, quòd alatur auro, quod commentum est; id ei vulgò tribuitur ob externas quasdam eius maculas, colorem auri præseferētes: at in uarijs fluminibus, & lacunis inueniuntur carpiones cum huiusmodi maculis, in quorum tamen aquis nil auri vnquam repertum est, nec in aqua gigni potest aurum. potiùs de illis dicendum puto, quòd nutriunt ementes auro, cum ualdè sint præciosi. Ex eisdem conditionibus dicitur secundò Odores non nutrire, ut in calce 3. de Anima, & in lib. de sensu & sensili docuit Arist. non enim valent in sanguinem uerti & augere. Pythagorici tamen dixerunt eos nutrire. Manardus in suis Epistolis partem eorum tuetur, camq; confirmat Historia, qua fertur Democritum fini vitæ proximum uitam prorogasse per triduum solo odore panis recentis, vel vt alij dicunt Mellis. Pro quo animaduertendum, Odorem duo denotare, qualitatem, & vaporem, in quo sit odor; de qualitate nō est dubitatio, cum enim ea sit accidens, proculdubio nōn ualet reficere substantiam: solùm est dubitatio de uapore odorifero, per nares inspirato. Insuper animaduertendum est, putasse Galenum aërem inspiratum duas præbere utilitates, Vna est refrigeratio cordis, & præcordiorum, Altera est productio aliquorū spirituum animalis in præcordijs. Arist. solùm approbat primam utilitatem, nō secundam, spiritus enim solùm gigni existimauit ex tenui parte sanguinis, quia vnius vnus debet esse modus generationis per Naturam. His assumptis, dico primò odores nō propriè nutrire, non. n. tendunt ad ventriculum, & uertuntur per coctionem in Chilum & sanguinem, vt est conspicuum, sed tendunt ad pulmonem per inspirationem. Dico secundò ex sententia Gal. odores nutrire, sumpta nutritione pro generatione quadam spirituum, non autem propriè. Addo tertiò, ex sententia Arist. odores nec nutrire propriè, nec constituere spiritus, sed solùm modo aliquo antecedentes spiritus alterare, excitare, & validiores reddere, ac ita prodesse. Id quod fertur de Democrito leuissimum est; tū quia non constat veritas per historias certas, & fide dignas; tùm insuper quia dicerē per huiusmodi odores, spiritus Democriti fuisse excitatos, paratos, & alteratos, adeò vt inconcoctum alimentum, quo maximè abundant senes, ualuerint meliùs concoquere, & ex eo refici. Tertiò ex definitione & conditionibus Alimenti elicitur, Simplicia corpora non nutrire, cum enim id, quod nutritur, sit mixtum, debet ex mixto refici. Animaduertendum tamen est, quòd cum in dubium vertatur, an corpus simplex nutrire valeat? Et pro omne parte variæ formentur rationes, utendum est distinctione, & dicendum, Simplex nutrire intelligi posse dupliciter, vel primò & proximè, uel longè & per varias medias permutationes: primò & proximè non nutrit, vt dicitur in secundo de Ortu & interitu, sed per mixtionem cum alio, & per medias alias eius permutationes, hoc docet Aristoteles in secundo de Ortu & interitu inquiens Aquam mixtam cum fimo nutrire Plantas; Similiter aqua nutrit animalia cam bibentia, quia in eorum uentriculo cum alijs corporibus mi-

Metalla non nutriuntur.

Experientia.

Instantia de struthio.

Carpione.

Odor non nutrit.

Sententia Galeni de aëre inspirato.

Resol.

scetur; similiter cum ex simplici per varias medias permutationes constituatur mixtum, etiam ex simplici per eas medias potest nutriri animal. Demùm considero dari hæc quatuor, Alimentum, Leniēs, Medicamentum, & Venenū, quæ inter se distincta sunt. Nam Venenum, quauis mole uel pondere præditum, semper aduersum est naturæ animalis. Medicamentum, si fuerit congruentis ponderis, prodest educendo humores aduersos, at si id excesserit, obest. Lenitiuum cum leniat, etiam nutrire potest, at distincta ratione.

Alimētū Leniēs Medicamentum Venenum.

De sensu alimenti.

At quæritur, qui nam iudicari debeat sensus alimenti? Arist. in 2. de Anima con. 28. inquit, Tactus enim alimenti sensus est, siccis namq; humidis, frigidis & siccis aluntur omnia. Id ipsum affirmat in calce tertij de Anima. Ex aduerso sensus alimenti videtur esse Gustus, nam gustu alimentum congruens, à non congruente, ut uinum conferens ab aduerso secernimus. Confirmatur hoc per Aristotilem in lib. de Sensu & sensili paulo post initium dicentem, Gustum debere competere omnibus animalibus ob cibum, delectabile enim ab aduerso secernit, & omninò sapor est passio facultatis nutrientis. Insuper clariùs in progressu eiusdem libri inquit, Calidum & frigidum crescere faciunt & decrescere, nutrit tamen cibus ut gustabilis est, quandoquidem omnia aluntur dulci, uel simplici, uel commixto &c. Insuper in primo de Ortu & interitu Philosophus loquens de accretione ait, Alimentum nutrire, vt substantia est, quare, non ut calidū, frigidum &c. Hæc dubitatio profectò non est leuis, & satis conspicua apparet in Arist. controuersia, pro qua exactè diluenda tria accipio. Primum est, uerè alimentum esse substantiam corporis mixti, quæ substantia tamquam per proximas dispositiones, constituitur per quatuor primas contemperatas qualitates, per quas etiam conseruat temperamentum corporis nutriendi, maximè autem dicitur nutrire humidum, quia ex eo reficitur calor uitalis, id tamen humidum, mixtum est, & includit etiam qualitates alias, ut patet de sanguine. Accipio secundò Gustum esse duplicem; Vnum exactum, & conspicuè à tactu distinctū, in lingua eius instrumento collocatum, qui solùm competit animalibus absolutioribus, & præsertim homini; Alterum confusum, unà cum tactu effusum per vniuersum corpus, qui cōpetit & stirpanimalibus. Insuper vt datur duplex Gustus, ita duplex est sapor ei respondens; Vel. n. est propriè sapor, à cōtēperamēto primarum qualitatum distinctus, respondens vt obiectum exactiori gustui, de quo Arist. in cont. 28. 2. de Anima ait, esse veluti condimentum alimenti; Vel vsurpatur sapor pro humido, vt consentaneo nutritioni, respondente gustui cō fuso, de quo ait Arist. quod est unum quoddam tangibilium, & gustus est quidam tactus. Ex his tertiò elicio solutionem difficultatis, quærebatur quis sit sensus alimenti? Respondeo, sensum alimenti iudicantem id quod proximè constituit alimentum congruens, vel aduersum, esse Tactum, quia humore contemperato nutrimur, sensum uerò alimenti iudicantem condimentum, & id per quod tamquam per signum, congruens temperamentum percipitur, esse Gustum, nam sapores ex secundis qualitatibus, maximè indicant contemperamenta primarum, sic sapor est passio facultatis nutrientis, ut indicat tamperamentum: Et Gustus saltem latè sumptus debet competere cunctis animalibus, non autem exactus & exquisitus. Addebatur, quòd calidum & frigidum crescere faciunt & decrescere, nutrit autem cibus ut gustabilis, nam dulci aluntur omnia. Respondeo, Arist. tunc considerasse calorē & frigus non alimenti, sed animalis, quo calore uel intensiore, uel remissiore fit Coctio, Accretio, & Diminutio animalis: & dum ait omnia nutriri dulci, denotauit id humidum contem-

Sol.

Gustus duplex.

Resol.

contemperatum,quo cuncta nutriuntur, includens etiam contemperatum calorem.Et cum dicat cibum nutrire vt gustabilem,dēnotauit gustum & saporem latè sumptum,qui gustus est idem cum tactu sola ratione distinctus, vt etiam id gustabile est idem cum tangibili.

Demùm diluenda occurrunt nonnulla Problemata.Primum est, cur sitis est nobis molestior fame? Arist. Part.28.Problem.5.tres tradit causas inquiens. Quæritur cur minus sitim,quàm famem tolerare valeamus? An quia sitis magis anxia est? cuius signum.quia suauiùs sitientes bibimus, quàm exurientes comedimus,tristius autem est,quod suauiori est aduersum. An quia calor, quo viuimus,humidum magis quàm siccum desiderat? An quia sitis rerum duarum appetitus est,potionis inquam, & cibi, fames vnius, nimirùm cibi tantummodo? Secunda ratio videtur potior. Adderem ego id ex eo euenire,quia deficcatio & excalefactio,parientia sitim,vehementiùs agunt,quàm parientia famē. Insuper potio citiùs nutrit, quàm cibus. At quæritur Secundò, cur priùs esurimus,& comedimus,quàm sitiamus,& bibamus,si magis molesta est sitis,& humor tenuis & fluens citiùs consumitur? An quia præsertim constamus ex partibus solidis,quæ sunt fundamentum fluentium, ideò per naturam primò optamus humorem crassiorem & solidiorem,potum verò optamus ob temperamētum,ut euenit in ædificijs,nam lapides & ligna sunt fundamenta, aqua additur ob contemperamentùm & connexionem. At quæritur tertiò, cur aues,præditæ rostro adunco,edant,& non bibant? & tamen cum sint ualde calidæ & siccæ,magis uideantur debere optare potum.Pro quo uide Ari. 8. de Hist.Ani.c. 3.& 18.nec non Auer.3.de hist.animalium cap.3.soluitur tamen id euenire ex duplici causa,ex quibus iunctis integra causa consurgit.Ratio principalissima est,quia nutrimur simili;aues illæ sui natura sunt calidæ & siccæ, ideò nutriuntur alimento ficciore, & idem alimentum supplet uices cibi,& potus: contrarium unum non excitat appetitum alterius contrarij,dum competit appetenti secundum naturam, sed solùm dum ei competit præter naturam. Altera ratio est, quia huiusmodi aues præditę sunt satis amplo, & spongioso pulmone, per quem uehementiùs refrigerantur, ac ob id non egent potu refrigerante. Inquit Arist.in 8. de Hist. Anim. cap. 3. quod Miluus uisus est bibere,raro,tamen.

Cur sitis sit molestior fame?

Cur prius comedimus.

Aues adūci rostri nō bibunt.

MAGIA.

MAGIA.

DISTINCTIONES.

Nomen Magiæ. MAGI, & Magiæ nomen, cum vetuſtis temporibus fuerit ſublime, & venerãdum, ob deprauatum Magiæ vſum, redditum eſt vile, & infame; nũ autem nos debemus deprauationes reijcere, & id bonũ, quod includit, explicare & approbare. *Porphyrius.* Ex Porphyrij & Apulei ſententia Magiæ nomen Perſicum eſt. *Suidas.* Suidas tamen à Magneſijs duxiſſe ortum exiſtimat. Nam illi, qui à Latinis dicuntur Sapientes, à Græcis cum Pythagora Philoſophi, ab Indis Gymnoſophiſtæ, ab Aegyptijs Sacerdotes, ab Hebræis Cabaliſtæ, Prophetæ, & Phariſæi, à Babylonijs & Aſſyrijs Chaldæi, à Perſis, & Magneſijs Magi nuncupabantur. Diuidunt multi Magiam *Diuiſio.* in partes duas, in Dæmonicam, quam γοητείαν, ſiue Theurgiam græci appellarunt, *Diuiſio cumulatior.* quæ in Aegypto floruit, vbi Dæmonum cultui accurata dabatur opera, & in Phyſicam, quæ in India & Aethiopia maximè refulſit. Prima eſt pernicioſa, & explodenda. Altera vtilis & approbanda. Hanc bimembrem diſtinctionem diminutam exiſtimo, quod vt conſpicuè pateat, altiùs eſt ſumendum exordium. Magia eſt coniunctio plurium, ex quorum iuncta facultate opus aliquod inſigne latenter prodit. Officium ea nectendi eſt viri Sapientis, naturam & conditiones rerum cognoſcentis: Hinc Magi dicuntur Sapientes. *Connexio ſimplex triplex.* Inſuper ea coniunctio agentium cum patientibus duplex eſt, vna ſimplex, altera mixta: connexio ſimplex eſt triplex; vel ſpiritus cum ſpiritu, vt Mentis humanæ cum An- *Mixta duplex.* gelica; vel ſpiritus cũ corpore, vt in fluxus cæli cũ definita aliqua materia; vel cor- *Magia 4.* poris cum corpore, vt ſeminis cum Terra. Mixta eſt duplex; vel ſpiritus cum *Diuina.* corpore, & ſpiritu alio; Vel corporis cum alio corpore, & cum ſpiritu. Ex his prodeunt quatuor prima capita Magiæ, quarum vna poteſt dici Diuina, Altera Mathematica, Tertia Phyſica, Quarta Dæmonica. Sub his capitibus multæ varietates continentur, veluti ſub Diuina continetur ea Magia, de qua loquens Plato in Alcibiade 1. dixit, Magiam Zoroaſtri eſſe cultum Deorum, & de eadẽ Porphyrius dixit, Magum denotare diuinorum interpretem. Ad eandem pertinet id quod dicitur, Purgantes animum haurire gratiam, & virtutem diuinã. Inſuper ad eandem redigitur Magia Angelica, nectens & parans pro recipien- *Mathematica.* do officio & Munere Angelorum & miniſtrorum Dei, ac etiam Cabaliſta vtens proprietate & virtute Diuinorum nominum. Ad Magiam Mathematicam redigitur Aſtronomica, nectens varia pro recipiendis influxibus Cælorum & muneribus eorum. Similiter ad eam redigitur Magia Arithmetica, vtens fa- *Phyſica.* cultate numerorum; Geometrica, vtens uirtute Geometricarum figurarum, *Dæmonica.* quæ magna ex parte ſunt inanes, nullo firmo fundamento nixæ, & negligendæ; Ad Magiam Phyſicam redigitur Magia Artificioſa, qualis præſertim eſt Agricultura, & Ars medendi, Ars enim inanis eſt, niſi ex Natura uires & facultatem hauriat. Magia etiam Dæmonica, quæ utitur uſu Dæmonum, multis uarietatibus ob uarios uſus prædita eſt, quæ cum uniuerſo ſuo genere ſit praua, ſuperſtitioſa, & fallax, omninò eſt explodenda, cæteris autem catenus uti ualemus, quatenus nil includunt, quod noſtræ religioni aduerſetur: abuſus autem reijciendi ſunt penitùs.

DEFINITIONES.

CVM Magia sit multiplex, non facile est unica definitione omnem complecti. Ex Platone in Alcib. 1. Magia est cultus Deorum. Ex eodem in Charmide est Animi medela, per quam ita Animo Temperantia, ut per Artem Medendi, corpori Sanitas comparatur. Ex sententia Porphyrij, Magus est interpres diuinorum, & cultor. Ex Io. Pico in Apologia, Magia est pars practica scientiæ Physicæ, docens efficere opera admirabilia, nectēdo agentia cum Patientibus per Naturam. At hæc est definitio Magiæ Physicæ, quæ minus rectè dicitur pars scientiæ Physicæ, non enim est eius pars, sed usus quidam, & fructus. Sic dicere ualemus, Magum esse ministrum Naturæ; Et Magiam Physicam esse fructum, & usum scientiæ Physicæ; Insuper dicere ualemus, Magum esse Hymenæum Naturæ, & Magiam esse coniugium congruens eorum, quæ per naturam agunt, & patiuntur. Has tamen ego puto exactiores descriptiones. Vna est, Magia est connexio à uiro sapiente agentium per Naturam, cum patientibus sibi congruenter respondentibus, ut inde opera prodeant, non sine eorum admiratione, qui causas ignorant. Altera est, Magia est usus præstantis cognitionis rerum, insignibus facultatibus præditarum, ut ex earum connexione latenter opera prodeant, admirationem excitantia. Hæ definitiones sunt communes, possunt autem reddi propriæ distinctorum generum, explicando genera uaria eorum, quæ connectuntur.

Plato. *Porphyrius.* *Io. Picus.* *Definitiones exactiores.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, quòd cum Magia dicatur usus, & fructus sapientiæ, non ob id iudicari debet præstantior ea, ut nonnulli elicere nituntur. Nam quamuis sit usus sapientiæ, non tamen est finis principalis, qui est contemplatio ueri, sed secundarius, & est utilitas quædam ex ea prodiens; Alioquin Ars Medendi, & Agricultura præstarent scientiæ de Natura. Considero Secundò, uarios apud uarias nationes celebrari insignes Magos, ueluti Apollonius Tyaneus à D. Hieronimo in Epist. ad Paulinam inter celebres Magos numeratur; Apud Persas Zoroaster Onomasi filius; Apud Romanos, Numa Pompilius; Apud Gymnosophistas Thespion; Apud Aegyptios Hermes; Apud Babylonios Budda; Apud Thracas Zammolsis; Apud Hyperboreos Abbaris; Apud Italos Petrus Aponensis. Considero tertiò, quòd dum Magia dicitur Sapientia, id non debet intelligi per modum formæ, sed per modum causæ producentis, quatenus ex Sapientia fluit. Re uera enim ut ad Magū refertur, est ea connectendi peritia & facultas; Vt uerò pertinet ad Naturam, est ea rerum cōsensio & dissensio, quam sequitur tractio & pulsio; hinc iure Plotinus naturam dixit Magam. Quartò considero, quòd cum à Platone Magia dicatur cultus Deorum, id eatenus uerum est, quatenus Diuina & eminens Magia nobis sine cultu diuino competere non potest; ac insuper quia non recipiunt diuina munera, nisi qui Deum colunt. Demùm considero, quòd Psell. in lib. de Dæmonibus cap. postremo inquit, Magiam esse facultatem quandam, à Græcis iudicatam

Magia non præstat sapientiæ. *Insigniores Magi.* *Quomodo Magia sit cultus Deorum.* *Psellus.*

tam

ram eximiæ virtutis;tradunt enim hanc esse extremam sacerdotij Portionem. Arist. 14 Met.cap.4.Magos inter sapientes numerat inquiens, Pherecydem dicere primum generans esse optimum,ac etiam Magos & posteriorum sapientum vt Emp.&c siquid relatorum cum decretis sacrosanctæ Ecclesiæ pugnat, exploditur,& reijcitur.

MVNDVS.

DISTINCTIONES.

Significationes nominis.

MVNDI nomen vsurpatur & propriè,& per Metaphoram; cuius significationes,vt in ordinem redigantur, ita progrediẽdum puto.Cum Mundi denotet quoddam totum & uniuersum; Potest aliquid esse uniuersum dupliciter,uel absolutè, uel in parte & cũ contractione.Si fuerit uniuersum absolutè,id uel est incorporeum,uel corporeum:incorporeum Deus est,cuncta uel eminenter,vel per Ideas includens.Vniuersum autem corporeum absolutè, est Mũdus totus,sub sensum cadens. Vniuersum autem non absolutè, sed in parte & cum contractione,etiam est duplex,uel incorporeum,uel corporeum. Incorporeum,ut Mentes participatæ,sub Deo positæ,& Anima rationalis. Corporeum uel est æternum,ut cęleste corpus,uel mortale, ut orbis sub Cęlo collocatus;ille dicitur Mundus Lucis,hic tenebrarum;ille Amicitiæ,hic Litis; ille æthereus,hic Elementaris.Et de orbe mortali loquendo,hic uel est uniuersum potestate uel actu:potestate est prima materia, se habens perinde ac Chaus:actu uerò,dum consideratur cum forma. Qui mundus mortalis actu, est duplex, uel uniuersus,uel in parte, nam ex Aristotile in 8.Phy. 17. omne animal per Metaphoram dici potest Mundus,quatenus est totum quoddam,quod ex se moue tur,& ab anima tanquam à proximo Deo regitur, & dirigitur, præsertim tamen hoc competit homini. Ex sententia Platonis Deus est Mundus per Eminentiam; Mens diuina non participata est Mundus Idealis,& originalis; Mens participata est Mundus Idealis per participationem;Anima rationalis est Mundus rationalis,cum sit omnia per insitas rationes; Natura est Mundus seminarius,cum sit omnia per semina;Mundus corporeus uniuersus, est Mundus per umbras & imitationes Idearum,in eo refulgentium,Homo autem est Mundus paruus.At ex sententia Arist.Deus est Mundus eminens;Mundus corporeus uniuersus,est Mundus secundum formam;Animal autem omne,& præsertim homo,est Mundus per metaphoram. Ex dictis patet omnes distinctiones ad Mundi significationes attinentes.Sic datur Mundus corporeus,& incorporeus;sensibilis,& intelligibilis;originalis,& ex eo pendens;insuper magnus & paruus;Litis & amicitiæ;Lucis & tenebrarum;rationalis,& irrationalis. Nunc est sermo de mundo sumpto pro uniuersa corporum serie.

Sententia Platonis.

Mundi diuisiones.

DEFINITIONES.

VARIAE Mundi circunferuntur definitiones, quarum nonnullæ per Metaphoram ei competunt, veluti circumscribitur à Cicerone in 2. de Natura Deorum, quòd sit tanquam communis Deorum, atq; hominum Domus, aut Vrbs vtrorumq;. Insuper à Plotino En.4. quòd sit fœmina Promethei ornata; dicitur fœmina ob materiam, quæ Dei virtute, & Prouidentia formata est. Ex sententia Hesiodi, Orphei, & Anaxagoræ, est Chaus, in ordinem redactus, vt contra Chaus est Mundus informis, & inordinatus. A' Platone in Timæo dicitur Animal magnum, intelligens, diuina Prouidentia constitutum. Describitur insuper ab Academicis, quòd sit corporea, visibilisq; imago incorporei inuisibilisq; Dei. Ac etiam, quòd sit corporeus, & sensibilis, incorporei ac insensibilis Dei filius. Præterea quòd sit sensibilium, insensibiliumq, rerum ordinata plenitudo. Insuper Mundus dici potest Magnus, & visibilis Liber, per Characteres Physicos, diuina Arte formatos, diuinam sapientiam, & potentiam nobis patefaciens, vt Auctorem eius noscamus, & veneremur. Ex Pimandro Termaximi Mercurij, sermone 12. hæc elicitur Mundi descriptio, quòd sit Magnus Deus, Imago maioris, iunctus illi, Patris ordinem, & voluntatem seruans, vitæ totius integra plenitudo. Cleomedes sub initio libri de Mundo, ita Mundum descripsit, quòd sit ex Cęlo, Terraq;, nec non naturis, quæ eis comprehenduntur, opificium. Ex sententia Arist. nonnulli eum definiunt dicentes, Mundus est corpus compositum ex corporibus omnibus sensibilibus & Physicis sphærica figura terminatum. At satis leuiter. In libro de Mundo ad Alexandrum describitur Mũdus, quòd sit compages è cęlo, Terraq; coagmentata, atq; ex ijs naturis, quæ inter ea continentur. Insuper hæc alia additur, Mundus est vniuersorum ordo, & digestio, à Deo & per Deum seruata. Arist. in 1. de cęlo, 97. inquit, Mundus est totum ab extrema circumlatione contentum. Et in cont. 107. ait, Mundus est totius consistentia. Putarem ego ab Arist. non recedens, Mundum ita esse definiẽdum. Mundus est ordinata series cunctorum, naturâ constantium, à Deo vt auctore, & per Deum tanquam postremum finem digesta, & seruata.

Descriptiones per Metaphoram. *Plenior Circumscriptio.* *Mercurius Termax.* *Cleomedes* *Arist.* *Exactior definitio.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, quòd cum omne animal ex sententia Arist. in 8. Phy. 17. per metaphoram dici possit Mundus paruus, id tamen maximè competit homini. Ratio prima est, quia solus ratione, & liberè se ducit, regit, prouidentiaq; vtitur. Secunda, quia anima eius, qua regitur similior est Deo regenti Mundum. Tertia, quia solus portionem includit omnium, quæ in vniuerso reperiuntur & ob id solus dicitur Epilogus, & Compendium Mundi, ac Hymenæus æternorum & mortalium. Quarta, quia solus est aptus viuere vitam omnem, & tãquam Proteus in omnia uerti. Quinta, quia solus secundum ordinem uniuersi est formatus, cum solus caput ad Sydera tollat. Sexta, quia solus aptus est per Mentem fieri omnia. Adeò vt uir sapiens fit omnia per imitationem; dum est puer, est omnia potestate; dũ præditus est habitu sapientiæ, est omnia habitu; dum eo utitur, est omnia habitu, &

Cur homo præsertim sit Mũdus paruus, ratio. *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.*

tu,& actu;ac etiam per habitum scientiæ est omnia scibilia;per habitum Prudentiæ,omnia agibilia,per habitum Artis,omnia effectibilia. Considero secundò,

Plantæ nõ parui Mũdi.

Plantas quamuis sint vita præditæ,non dici paruos mundos;tum quia cognitione non se regunt;tùm insuper quia motu secundum locum non mouentur; tum demùm quia earum partes ordine sunt dispositæ, opposito ordini partium uniuersi,nam caput earum ad centrum uergit. Considero tertiò, quòd quamuis Mundus (vt patuit,dicatur multipliciter.tamen ex omnium ordine, de quibus Mundi nomen dicitur, reuera unus consurgit Mundus, unumq; Vniuersum,

Mundus Mundorũ.

quod est omnia in unum uersa, & Mundus Mundorum. Considero quartò,

Perfectio Mundi.

quòd cum Mundus inter corpora vt corporibus licet, sit Deo simillimus, iure omni perfectione,apta corpori competere,est ornatus. Nam primò perfectus

Vt corpus.

est,tanquam corpus,quia corpus omne trina dimensione,quæ est dimensio om-

Vt corpus uniuersum

nis,est præditus,& adeò cumulatè corpus Mundi est ea præditus,ut quæuis eius dimensio,distincta ratione dici possit,tùm longitudo,tum latitudo,tum profunditas. Secundò est perfectus, ut corpus uniuersum quatenus sic includit omnia

Vt corpus Physicũ.

corpora,& nil deserit extra se. Tertiò est perfectus,ut corpus Physicum,ex se

Vt viuẽs.

aptum moueri,includens ordinatè cuncta corpora Physica. Quartò est perfe-

Vt rationẽ includens.

ctus,tanquam uiuens,cum includat uitam cunctorum. Quintò, tanquam prædi-

Vt à Deo rectus.

tus ratione,quouis modo sumpta,cum includat rationem humanam, & Diuinam. Sextò,tanquam seruatus,directus & gubernatus à Monarcha eminentissi-

Maximè Mũdus diligitur à Deo.

mo,iustissimo, & potentissimo, à quo iure maximè diligitur, cum nil sit in eo, quod ex illo non pendeat,& eius non sit proles. Hinc iure de Mundo dicere ualemus,quòd sit unus,& omnia;quòd sit ubique & nullibi,cum nullo egeat, à

Mũdus est unus p omnẽ causam.

quo contineatur;quòd extra nil dereliquat;quòd alio non egeat; quòd ex se sit sibi satis;quòd ei nil possit addi;quòd sit sensibile exemplar cunctarum uirtutum, & perfectionum;quòd semper iubilet,summoq; bono continente fruatur. Considero quintò,quòd quemadmodum Deus est unus, ac ita unus,ut id in eius ratione includatur:sic Mundus ne dum est unus,uerùm insuper adeò unus, ut in ratione Mundi sit,quòd sit unus, & eius unitas prodit ex materia, quia constat ex omni corpore Physico,sub sensum cadente;pendet ex efficiente, quod unũ est,includens pro recta ratione eminente & originalem Mundum, qui exactissimè est unus;pendet ex fine,cuncta enim ex primo principio pendentia ordinatissimè in finem unum conspirant;pendet demùm ex forma, quæ est ordo rerũ cunctarum,ex uno enim principio, unoq; fine,unus consurgit mediorum ordo; & nisi cuncta includeret,non esset uniuersum, hoc est omnia in unum exquisitissimum ordinem conuersa. Ex his elicio sextò,longè à uero recessisse Demo-

Reijcitur sententia Democriti

critum,Leucippum,& Epicurum, qui putârunt in immenso inani innumeros reperiri,& continenter gigni,crescere,decrescere,& interire Mundos. Similiter errasse Empedoclem successionem & reciprocationem ponentem,inter Mũdum ab eo dictum Sphærum,siue Amicitiæ,& Mundum Litis. Considero ul-

Plato.

timo loco ex sententia Platonis in appendice Legum,singula Elementa denotari posse nomine Mundi,quia putauit singula esse impura,& includere portionẽ cæterorum,& esse prædita anima rationali,adeò ut ordo Elementorum sit tanquam ordo Mundorum:hoc tamen longè abest ab opinione Peripateticorum, negantium Elementa esse prædita anima.

COELVM.

COELVM·

DISTINCTIONES·

CAELI nomen vſurpatur dupliciter, vel per metaphoram & ſecũdum ſenſum, vel propriè. Per Metaphoram dicitur de aëre, ſecundum quam ſignificationem Cęlum modò dicitur ſerenum, modò turbatum, & orientales ac Arabes dicantur frui Cęlo temperato, & legitur in ſacris litteris, & aquæ omnes quæ ſuper Cęlos ſunt, id autẽ euenit, quia nos inſpicientes aerem, putamus videre Cęlum. Inſuper Cęlum propriè ſumptum ex ſententia Ari. in 1. de Cęlo 96. dicitur tripliciter. Primò de mobili ſupremo cuncta continente, quod ex ſententia Aegyptiorum, Platonis, & Ari eſt ſphęra octaua, innumeris ſtellis decorata, quæ firmamentum dicitur; ex ſententia autem multorum ſequentium Aſtronomorum ſupra octauam dãtur & alię. Secundò dicitur de aggregato ex omnibus Cęli Globis, contradiſtinctis à Mundo Mortali, nam Planetas quoq; dicimus eſſe in Cęlo. Tertiò dicitur de vniuerſo corporeo Mundo, denominato per partem eius præſtantiſſimam, fungentem officio formæ; in qua ſignificatione utitur Plato nomine Cęli in Timæo dum quæritur, an ſit genitum; in eadem ſignificatione eo utitur Ariſt. in libris de Cęlo, vt ſemetipſum declarat, idq; præſertim fecit, quia diſputaturus aduerſus Platonem, voluit uti nomine Cęli in ea ſignificatione, in qua eo uſus erat Plato. Ego autem utar modò nomine Cęli in ſecunda ſignificatione, pro contra diſtincto à Mundo Mortali.

Cęlum per Metaphoram. — *Propriè.* — *In qua ſignificatione agatur de Cęlo.*

DEFINITIONES.

EX Phœnicum Theologorum ſentẽtia Cęlum eſt ſpiritus efflatus ex ore diuinioris animæ, cuncta uiuificãs, nutriens, communiq; calore afficiẽs. Ex ſententia Platonis cęlum eſt eminentia & ſublimitas cunctorum Elementorum in igneam conditionem redactorum, & ob id Plato ſępè cęlum ignẽ appellat. Pythagoras dixit Cęlũ eſſe Lyrã Dei, ex qua prodit harmonia, uniuerſũ demulcens & contemperans, de qua cecinit Orpheus inquiens, quòd Iupiter Sceptro pulſans Cęlũ, uniuerſum moderatur Plo En. 2. li. 3. c. 7. inquit cęlũ eſt eminens Liber, in quo futurorũ notæ refulgent. Vitruuius li. 9. Cęlum definiens dixit eſſe corpus ſyderibus conformatum, quod circum terram, Mareq; continẽter, per axis cardines reuoluitur. Alij inquiunt cęlum eſſe unitatem omniũ corporum, de quo ſine controuerſia negari poſſunt omnia, quæ ſunt aliorum corporum; & omnia rurſus affirmari. Eſt enim cętera corpora eminentia, & uirtute, non eſt autem ſecũdum propriam eorum formam. Phyſicorũ nonnulli aiũt, Cęlum eſſe corpus diuinum, omni numero perfectum, ſempiterno motu cõuerſum. Alij eſſe corpus animatũ, globoſum, ſuaptè naturâ volubile. Aſtronomorũ nonnulli aiunt eſſe regionẽ ſemper lucentem, ſuapte naturâ ab omni contrarietate alienam, influentem in mortalia uires ſuas. Hanc ego putarẽ ſatis diſtinctè eius conditionẽ patefacere, Cælũ eſt corpus Phyſicũ, ſimplex, æternũ, Mundiq; elementũ primũ, pręditũ ſui naturâ motu in orbẽ, & Luce, quibus tãquã cõmunib. inſtrumẽtis mortalia ſeruat, & pficit. Vel cęlũ eſt quinta ſimpliciũ corporũ

Sententia Phęnicũ. Platonis. Pythagore. Orpheus. Plot. Vitruuius Alij. Phyſici. Aſtronomi. Potior circũſcriptio.

Alter. essentia, ab interitu & contrarietate immunis, eminente vita, figura orbiculari, motuq; in orbem sui naturâ prædita, continens intra se mortalia cuncta, in eaq; suo Lumine & motu continenter influens.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò Cęlum præsertim diuidi in primum ac supremum mobile, & orbes Planetarum. *Primum Mobile.* Primum mobile, ex sententia Arist. est Spæra octaua, in qua (præter Planetas) vniuersa multitudo Stellarum posita est; quarum præcipuę in quadraginta & octo; imagines ab Astronomis pro accuratiore earum obseruatione sunt distributæ quarum duodecim in Zodiaco, vna supra uiginti à Zodiaco versus Boream, *Stellæ fixæ* quindecim versus Austrum sunt collocatæ. Hæ nuncupantur Stellæ fixæ, pro distinctione à Planetis, hoc est, Stellis errantibus. Nam quamuis stellæ omnes sint densiores partes sui orbis ad eum perinde se habens, ac nodus ad tabulam, tamen quia illæ omnes sunt in eodem orbe, & solo vnius orbis motu mouentur, semper æquè distat ab inuicem, & consimiles formant imagines, dicuntur, fixæ. *Planetæ.* Stellę autem septem Planetarum, quia sunt in distinctis orbibus, qui motu uario mouentur, non æquè semper distant ab inuicem, & propterea videntur errare; At dicebat Plato non illæ errant sed nos qui eas errare putamus. Considero *Motus totius.* secundò, quòd octaua Sphæra, quę Firmamentum dicitur, quia in ea firmę sunt stellæ propemodum innumeræ, & per eam firma seruantur omnia, suo motu moueri dicitur motu diurno, tempore viginti quatuor horarum absoluens suam reuolutionem, qui motus ab Arist. frequenter dicitur motus totius, reliqui autē motus partium. Ratio est, quia cum motus illæ primò competat supremo mobili, mox cætera omnia corpora sub eo usq; ad centrum distributa, uel eo mouen- *Terra.* tur, vel ei pro centro inseruiunt, quòd competit Terræ, ut ait Arist. in 2. de Cęlo. *Aqua.* Aqua cum non ualeat unà cum eo absoluere reuolutionem, id facit quatenus ei licet per fluxū & refluxū. Insuper nūcupatur motus totius, quia proximè procedit ex Deo, cui verè uniuerso, nō pars mūdi, sed uniuersus subijcitur. Cōsiderò *Simpliciū corporū solum cęlum præditū ꝓpria figura* tertiò, inter simplicia corpora iure solùm Cęlū esse figura propria præditum, nā quatuor Elementa à cōtinente figura recipiunt. Ratio est, quia sola uiuentia propriā sibi optat figurā, & differentijs positionis distinctè sunt prædita. Cœlū aūt inter simplicia corpora solùm est præditū uita, eaq; præstantissima, & ideò ēt figura præstantissima, qualis est orbicularis, debuit esse præditum, nā in Cœlo cō- *Ordo attinētium ad cęlum.* sideratur hic ordo. Prima est Intelligentia mouēs. Hanc sequitur materia Cęli, suis terminis circūscripta. Tertiò in ea consideratur Dēsitas, Raritas, Perspicuitas, & Opacitas. Quartò, Lux & Lumen. Quintò motus in orbem, qui corpori cōpetit, suis conditionibus prædito; Motor aūt tribuēdo motū dicitur ēt tribuere uitā Cęlo. Demùm Cęlū suo lumine & motu mortalia seruat, & perficit. Cōsi- *Cur cęlum moueatur in orbem.* dero quartò iure cęlū moueri in orbē. Ratio prima sumitur ex motore, qui intelligēdo cōuertitur in se, ac se appetit; Et ex eodem redit in idē. Insuper est immobilis & ob id motu quodā immobili mouet, Cęlū.n. uniuersum nō mutat locū. Secunda ratio elicitur ex mobili, quod est simplex & sphæricū, & ideò motu simplici & in orbē debet moueri. Præthereà cū sit corpus primū, & immune à cōtrario, motu primo experte cōtrarietatis moueri aptū est. Pręthereà cū sit corpus supremū immune à quauis dispositione ꝑter naturā, debuit eo moueri motu, à quo solo abest oīs violētia. Insuper cū moueat in orbē, ualet moueri ueloci⁹, ualet ꝑ uarios circulos seruare semina uariorū, ꝑ uarios.n. circulos distīctā uelocitate

tate mouetur. Præterea cõsimiliter distãs à medio, cõsimiliter seruat, & influit in ea, valet moueri motu vno cõtinuo & æterno, simulq; seruare æternã generationẽ & vicissitudinẽ mortaliũ, vt distinctiùs declaraui in lib. de Cęlo. Cõsidero quintò, Cęlum præsertim moueri duplici motu, vno ab ortu in occasum, altero qui dicitur planetarum, ab occasu in ortum. Ratio affertur ab Arist. in 8. Phy. & in 2. de Cęlo, quia si unico motu moueretur, solùm consimilitudinis rerum, non dissimilitudinis esset origo. Hinc in 2. de Ortu & interitu dicitur, quòd sol suo ac cessu ad verticem nostrum, est causa ortus, suo autem recessu interitus. Arist. rationem hanc sumpsit ex Platone, qui in Timæo motum diurnum nuncupat similitudinis, alterum dissimilitudinis, quæ sunt semina ordinatæ varietatis rerum. Addo ego ita moueri cęlũ, vt sua non cõtrarietate, sed summa varietate summæ consonantiæ esset origo; consonantia enim ex varietate consurgit. Insuper dico eo duplici motu debere moueri Cęlum pro contẽperandis contentis sub eo, ne cuncta vnà cum cęlo in vnã solam partẽ inclinarent. Considero sextò, Cęlũ nuncupari ab Arist. Elementũ, ne dum quia est corpus simplex, verùm insuper quia ex eo ut ex parte principalissima Mundus cõstituitur, ideò in Principio tertij de Cęlo nuncupatur Elementũ primũ, denotando ordinẽ inter simplicia corpora, Mundum constituentia; nã Elementum semper dicitur alterius Elementũ. Cõsidero septimo, Cęlum ab Arist. nũcupari nomine ætheris, quod nomẽ ex opinione Anaxagoræ, & Heracliti, deducitur ex verbo græco denotante cõbustionẽ, quia putârunt cęlum igneũ. Ex sententia autem Platonis in Cratylo, & Arist. in primo de cęlo; nec non in primo Meteorum, ex uoce denotãte æternũ cursum. Id nomen Arist. soli cęlo tribuit. Plato tamen in Timæo id tribuit supremæ & puriori parti aëris, sub cęlo positæ, quam Arist. iudicat sphæram ignis, & fomitẽ incensionis. Similiter in appendice Legum, cum cęlum dicat ignem, corpus sub cęlo proximè positum nuncupat æthera & in Cratylo ait ita dictum, quia semper currit circa aërem fluens. Considero octauò, Veteres putasse cęli naturam non differre ab ea mortalium. Architas, & Arist. fuêre primi, qui referente Porphyrio in lib. de abstinentia ab esu carnium, cęlum putârunt essentiam distinctã ab ea mortalium: & ob id materiam Cęli uariam esse existimârunt ab ea colloca torum sub Cęlo. Hinc Arist. in octauo Meta. cont. 12. & 12 Met. cont. 10. cęlo solùm tribuit materiam motus, quæ dicitur unde, & quo, & est subiectum, quod ex se actu est, ex se dico per negationem, quia aliquo actu non eget. Considero nonò, Cęlo ob eius præstantiam & eminentiã sine pugna ea uerè enũciari posse, quæ in mortalibus mutuò se destruunt. Nã cęlum simul est corpus simplex & uiuens. Insuper cũ non nutriatur, seruatur uiuẽs: & cũ non sentiat, tamẽ est animal. Prætereà quãuis sit simplex, tamen est luce præditũ, quod apud nos solùm mixtis competit; ac etiam cum sit corpus consimilium partiũ, tamen ex se mouetur. Prætereà in eo non reperiuntur qualitates quatuor primæ, & tamen maximè reperiuntur, cum ei competant eminentia & uirtute. Similiter qualitates secundæ ei non competunt, & competant, quatenus ei competunt secundum similitudinem. Insuper in eo refulget motus & immobilitas, ac etiam motus uelocissimus tardissimus & mediocris. Ei competunt Materia, Oppositio, Generatio, Principia generationis, & non cõpetunt: hæc enim ei cõpetunt cũ relatione ad motũ, non autem ad essentiam. Demùm motus eius, simul est secundum naturam, secundum animam, secundum rationem, & eminentior his omnibus. Considero decimò, quòd quamuis Cęlum dicatur essentia unã, & eius una dicatur materia, non tamen vna est sine ulla uarietate & uniuocè, sed una est unitate ab uno & cum ordinata uarietate, quod denotauit Aristoteles in primo Meteorum, inquiens

Cur duplici motu.

Quõ cęlũ sit Elementum.

Quomodo æther.

Architas & Arist. primi sciũ xerunt naturam Cęli ab ea mortaliũ.

In cęlo pugnãtia non pugnant.

Cęlũ essentia una & multiplex

quiens in cęlo aliquid esse purius, aliud impurius. Ratio est, quia Cęlum proportione respondet motoribus eius, quos sequitur, ideò ut motores sunt essentiæ subordinatæ, ita etiam cęlestia corpora, adeò vt simul dici possint eiusdem essentiæ, & distinctæ, nam sunt eiusdem essentiæ, & speciei vnitate ab vno, non uniuocè. Quod confirmatur, quia stella dicitur densior pars sui orbis, quo supposito, quæro ea maior densitas vel conuenit ei præter naturam, vel secundum naturã non primam, quia in cęlo non habet locum dispositio præter naturam. Si aut ei competit secundum naturam, maior raritas competeret orbi præter naturam, si essent essentiæ omnino consimiles. Propterea vt seruemus à cęlo abesse dispositionem omnem præter naturam, cogimur fateri essentiæ eius competere declaratam varietatem. Vndecimò considero, quòd quamuis cęlum per varias partes vel magis vel minus lucidum appareat, & dicatur Lunam, & partes alias illuminari à sole, tamen sentiẽdum puto, vniuersum cęlum & singulas eius partes, uel magis vel minus Luce propria esse præditas, adeò vt Lux remissior sit inchoatio intensioris, & dispositio ad eam, vt tepiditas ad intensiorem calorem, recipiẽs enim nudatum esse debet eo, quod recipere debet, secundum gradum, non absolutè. Hinc Luna, dũ Eclypsatur, adhuc apparet prędita sub oscuro quodam Lumine. Ratio est, quia Lux est qualitas, & affectio quædam sequens naturam Cęlestis corporis, ideò iure cuicunq; parti eius, secundum propriam suæ essentiæ conditionem competere debet, alioquin essentia Cęli non esset una saltem vnitate ab uno.

Vniuersum Cęlũ est Lucidũ

QVINTA ESSENTIA.

DISTINCTIONES.

De quinta essentia opiniones quinque.

OMNES consentiunt nomine Quintæ essentiæ denotari essentiam quandam corpoream, purissimam, & eminentissimam. Insuper consentiunt dici Quintam cum relatione ad quatuor elementa, adeò ut sit ordine corporum quinta, & dignitate prima. At quæ nam ea sit, summoperè dissentiunt, & præcipuę opiniones sunt quinq;. Prima est Stoicorum dicentium eam esse spiritum quendam communem, per uniuersum orbem effusum, partes eius nectentem & uiuificantem, non secùs ac corpora animalium per spiritum proprium eorum. Secunda opinio est, quòd sit eminentia sublimitas & puritas quatuor Elementorum, & præsertim Ignis, ut putârunt Plato, & Plotinus. Tertio usurpatur pro entelechia, ex qua Anima & sydera sint conflata, ut ex sententia Ciceronis. Quartò pro spiritu ex anima Mundi exspirato. Quintò Pro essentia quinta simplicium corporum, omninò seiuncta à conditione quatuor Elementorum; & huiusmodi est Cęlum ex opinione Aristotelis, quæ essentia infra orbem Lunæ non reperitur.

DEFI-

DEFINITIONES.

CVM Essentia quinta usurpetur multipliciter, primò debet per id de quo consentiunt omnes una communi circumscriptione definiri; mox per propria variarum opinionum distinctè explicari, & contrahi. Communi descriptione ita putarem posse circūscribi, Quinta essentia est substantia in ordine simplicium corporum amplissima, purissima, & præciosissima. Ex sententia Stoicorum Quinta essentia est primus & communis spiritus inter corpora tenuissimus & purissimus, effusus per vniuersum orbem, nectens inuicem & perficiens partes eius. Ex opinione Academicorum est essentia cęli, & est sublimitas, & puritas quatuor Elementorum, & præsertim Ignis, cęterorum autem vt rēdiguntur in naturam igneam. Ex opinione, quam Cicero tribuit Arist. est substantia quæ secundum essentiam continenter mouetur, ex qua Animæ & stellæ conflatę sunt. Ex Orphei, & Phœnicum Theologorū sentētia Quinta essentia est perspicuus, lucidusq; spiritus, ex Mundi anima effusus, eiusq; imago, rerum formas passim efficiens, secernens, ac perficiens. Ex opinione Arist. Quinta essentia est Natura & substantia Cęli, seiuncta à natura quatuor Elementorum, eáque purior, simplicior, ac eminentior, apta sui conditione semper moueri in orbem.

Descriptio communis

Ex sententia Stoicorum.

Ex sententia Academicorum & Ciceronis.

Orphei.

Arist.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, ut pertinet ad opinionem Stoicorum de ea multa dici ab Alexandro in cap. de mixtione, & iure explodi, nam partes vniuersi, ut nectantur, & sibi cohęreant, non egent alieno aliquo spiritu, sed per propriam naturam, & conditionem iunctæ sunt. Ita Aqua sui natura hæret Aëri, & Aër Igni, & cū spiritus ille statuatur corpus, si per omnia mearet, daretur penetratio corporum, explosa ab Arist. in quarto Physicorū, & præsertim quia pro connexione, conseruatione, & perfectione sat est Lumen & motus Cęli, quorum uires per vniuersum effunduntur. Considero secundò, ut pertinet ad opinionem Academicorum, quod ipsi quatuor tantùm putărūt dari simplicia corpora & Elementa, dicebant tamen ea non inueniri pura, sed permixta, adeò ut in omnibus essent omnia. Cum enim putârint ea esse prædita anima, etiam putârunt debere includere conditiones omnium primorum corporum. Supremam aeris partem nuncupârunt ætherem; Cęlum dixēre ignem, quia existimârunt cęlum esse elementa omnia in igneam conditionem eleuata, adeò ut re vera corpus simplex quintum, distinctum à conditione quatuor elementorū non approbauerint; & omnium eorum materiam dixēre unà, & eādem, & propterea re uera eorum opinio differt ab ea Arist. Considero tertiò, ut pertinet ad opinionem tertiam ex Cicerone deprompțam, quòd ipse in 1. Tusculanarum ait, Cum quatuor Elementis non competant animorum officia, & affectiones, Arist. quintum genus adhibet, uacans nomine, & sic ipsum animum ἐντελέχειαν appellat, nouo nomine, quasi quandam continuatam motionem & perennem. Insuper in progressu eiusdem libri addit, Sin autem est quinta quædam natura, ab Arist. inducta primùm, hæc & Deorum est, & animorum, & post pauca, Ita quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vult, quod uiget, Cęleste, & diuinum est, ob eamq; rem æternum sit necesse est, nec uerò Deus ipse, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi Mens soluta quædam & libera,

Exploditur sententia Stoicorum.

Opinio Academicorum.

Opinio Ciceronis.

quiens in cęlo aliquid esse purius, aliud impurius. Ratio est, quia Cęlum proportione respondet motoribus eius, quos sequitur, ideò ut motores sunt essentiæ subordinatæ, ita etiam cęlestia corpora, adeò vt simul dici possint eiusdem essentiæ, & distinctæ, nam sunt eiusdem essentiæ, & speciei vnitate ab vno, non vniuocè. Quod confirmatur, quia stella dicitur densior pars sui orbis, quo supposito, quæro ea maior densitas vel conuenit ei præter naturam, vel secundum naturã: non primam, quia in cęlo non habet locum dispositio præter naturam. Si aut ei competit secundum naturam, maior raritas competeret orbi præter naturam, si essent essentiæ omnino consimiles. Propterea vt seruemus à cęlo abesse dispositionem omnem præter naturam, cogimur fateri essentiæ eius competere declaratam varietatem. Vndecimò considero, quòd quamuis cęlum per varias partes vel magis vel minus lucidum appareat, & dicatur Lunam, & partes alias illuminari à sole, tamen sentiẽdum puto, vniuersum cęlum & singulas eius partes, uel magis vel minus Luce propria esse præditas, adeò vt Lux remissior sit inchoatio intensioris, & dispositio ad eam, vt tepiditas ad intensiorem calorem, recipiẽs enim nudatum esse debet eo, quod recipere debet, secundum gradum, non absolutè. Hinc Luna, dũ Eclypsatur, adhuc apparet prędita sub oscuro quodam Lumine. Ratio est, quia Lux est qualitas, & affectio quædam sequens naturam Cęlestis corporis, ideò iure cuicunq; parti eius, secundum propriam suæ essentiæ conditionem competere debet, alioquin essentia Cęli non esset una saltem vnitate ab uno.

Vniuersum Cęlũ est Lucidũ

QVINTA ESSENTIA.

DISTINCTIONES.

OMNES consentiunt nomine Quintæ essentiæ denotari essentiam quandam corpoream, purissimam, & eminentissimam. Insuper consentiunt dici Quintam cum relatione ad quatuor elementa, adeò ut sit ordine corporum quinta, & dignitate prima. At quæ nam ea sit, summoperè dissentiunt, & præcipuę opiniones sunt quinq;. Prima est Stoicorum dicentium eam esse spiritum quendam communem, per uniuersum orbem effusum, partes eius nectentem & uiuificantem, non secùs ac corpora animalium per spiritum proprium eorum. Secunda opinio est, quòd sit eminentia sublimitas & puritas quatuor Elementorum, & præsertim Ignis, ut putãrunt Plato, & Plotinus. Tertio usurpatur pro entelechia, ex qua Anima & sydera sint conflata, ut ex sententia Ciceronis. Quartò pro spiritu ex anima Mundi exspirato. Quintò Pro essentia quinta simplicium corporum, omninò seiuncta à conditione quatuor Elementorum; & huiusmodi est Cęlum ex opinione Aristotelis, quæ essentia infra orbem Lunæ non reperitur.

De quinta essentia opiniones quinque.

DEFINITIONES.

CVM Essentia quinta usurpetur multipliciter, primò debet per id de quo consentiunt omnes una communi circumscriptione de finiri; mox per propria variarum opinionum distinctè explicari, & contrahi. Communi descriptione ita putarem posse circũscribi, Quinta essentia est substantia in ordine simplicium corporum amplissima, purissima, & præciosissima. Ex sententia Stoicorum Quinta essentia est primus & communis spiritus inter corpora tenuissimus & purissimus, effusus per vniuersum orbem, nectens inuicem & perficiens partes eius. Ex opinione Academicorum est essentia cęli, & est sublimitas, & puritas quatuor Elementorum, & præsertim Ignis, cęterorum autem vt rediguntur in naturam igneam Ex opinione, quam Cicero tribuit Arist. est substantia quæ secundum essentiam continenter mouetur. ex qua Animæ & stellæ conflatę sunt. Ex Orphei, & Phœnicum Theologorũ sentẽtia Quinta essentia est perspicuus, lucidusq; spiritus, ex Mundi anima effusus, eiusq; imago, rerum formas passim efficiens, secernens, ac perficiens. Ex opinione Arist. Quinta essentia est Natura & substantia Cęli, seiuncta à natura quatuor Elementorum, eâque purior, simplicior, ac eminentior, apta sui conditione semper moueri in orbem.

Descriptio communis — *Ex sententia Stoicorum.* — *Ex sententia Academicorum & Ciceronis.* — *Orphei.* — *Arist.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, ut pertinet ad opinionem Stoicorum de ea multa dici ab Alexandro in cap. de mixtione, & iure explodi, nam partes vniuersi, ut nectantur, & sibi cohęreant, non egent alieno aliquo spiritu, sed per propriam naturam, & conditionem iunctæ sunt. Ita Aqua sui natura hæret Aëri, & Aër Igni, & cũ spiritus ille statuatur corpus, si per omnia mearet, daretur penetratio corporum, explosa ab Arist. in quarto Physicorũ, & præsertim quia pro connexione, conseruatione, & perfectione sat est Lumen & motus Cęli, quorum uires per vniuersum effunduntur. Considero secundò, ut pertinet ad opinionem Academicorum, quod ipsi quatuor tantùm putârũt dari simplicia corpora & Elementa, dicebant tamen ea non inueniri pura, sed permixta, adeò ut in omnibus essent omnia. Cum enim putârint ea esse prædita anima, etiam putârunt debere includere conditiones omnium primorum corporum. Supremam aeris partem nuncupârunt ætherem; Cęlum dixêre ignem, quia existimârunt cęlum esse elementa omnia in igneam conditionem eleuata, adeò ut re vera corpus simplex quintum, distinctum à conditione quatuor elementorũ non approbauerint; & omnium eorum materiam dixêre unà, & eadem, & proptereà re uera eorum opinio differt ab ea Arist. Considero tertiò, ut pertinet ad opinionem tertiam ex Cicerone deprompta m, quòd ipse in 1. Tusculanarum ait, Cum quatuor Elementis non competant animorum officia, & affectiones, Arist. quintum genus adhibet, uacans nomine, & sic ipsum animum ἐνδελέχειαν appellat, nouo nomine, quasi quandam continuatam motionem & perennem. Insuper in progressu eiusdem libri addit, Sin autem est quinta quædam natura, ab Arist. inducta primùm, hæc & Deorum est, & animorum, & post pauca, Ita quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vult, quod uiget, Cęleste, & diuinum est, ob eamq; rem æternum sit necesse est, nec uerò Deus ipse, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi Mens soluta quædam & libera,

Explodi tur sententia Stoicorum. — *Opinio Academicorum.* — *Opinio Ciceronis.*

segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & mouens, ipsaq; prædita motu sempiterno; hoc è genere atq; eadem è natura est humana Mens. Et in primo Academicorum q. cum dixisset quatuor elementorum duo superiora agere, Aquam verò, & Terram formari, & pati, addit, quintum genus, è quo essent Astra mentesq; singulares eorum quatuor, quæ supra dixi, dissimile Aristo. quoddam esse rebatur, sed subiectam putant omnibus sine ulla specie, atq; carentem omni illa qualitate materiam quandam, ex qua omnia expressa, atq; effecta sint &c. Ex his refulget, quid ex opinione Aristotelis putauerit Cicero esse Quintam essentiam; Eam enim numerat in serie corporum, ait ex ea constare Astra & Mentes, inquit dici entelechiam, hoc est, perennem motum, ac ex se moueri, addit eorum vnam essecommunem materiam; quæ tantùm abest, vt sitopinio Arist. quòd nil pugnantius cum ea enunciari valeat. Nam ita Mens esset corpus cum statuatur porrò Quintæ essentiæ, numeratæ inter corpora, ex qua constāt Astra, quæ corpora sunt. Insuper Arist. Quintæ essentiæ negat competere materiam primam communem; Similiter negat Mentem ex se moueri, ut patet ex primo de anima. Prætereà entelechiæ nomen tribuit omni actui cùm substantiæ, *Opinio 4.* tùm accidentium. Mitto alia innumera, quæ addere possem. Considero quartò, vt pertinet ad opinionem quartam, putantium Quintam essentiam esse spiritum ex mundi anima exspiratum, nonnullos existimare quod quemadmodum in vniuerso Mundo intelligibili idem est actus intelligentiæ, ita per vniuersum Mundum sensibilem effunditur ex anima Mundi perspicuus quidam lucidusq; spiritus, eius imago, formas passim efficiens atq; secernens, vt ille ideas: de hoc dici aiunt, Spiritus intus alit. Hinc Iulianus Platonicus ex Theologia Phœnicum ait, diffusam esse per vniuersum, & singulis insitam naturam quandam tralucidā, atque Lucentem in seipsa, quasi ex diaphano, & Lucido temperatam, neque mixtioni alienæ, neq; passionibus vllis obnoxiam, quæ sit actus quidam purus intelligentiæ, extra procedens, habeatq;, inuisibile Lumen, & incorporeum, luminis huius visibilis & incorporei causam. Addunt, quòd huiusmodi Lumen anima Mundi ex Mente recipit, ac illud quasi spiritum foras efflat, de quo putant debere intelligi illud, Et spiritus ferebatur super aquas, quem spiritum Cęlum cęlorum appellant, ac ut animæ particulares proprios exposcunt in animali spiritus, ex sanguine genitos, ita animæ rationales ex Cęlo descendunt, hoc spiritu circumfulæ, ex anima mundi expirato tanquam vehiculo æthereo. Et addunt nonnulli, ut ait Simplicius, cęlorum essentiam per uniuersum vsq; ad centrum *Sententia Arist. quo loci explicata.* esse effusam, ut Sphæræ cęlorum perfectæ & absolutæ essent. Considero quintò de opinione Arist. nil esse dicendum, cum enim egerim de Cęlo, à quo Essentia quinta non distinguitur. Patet quid ex eius opinione sit sentiēdum, Cęlum enim *An per sublimationem elici possit quinta. Essentia. Arnaldus Raimūd.* est non sublimitas Elementorum, sed Essentia quinta distincta à quatuor Elementis, ea simplicior, purior, & præstantior, cuius materia differt ab ea mortalīū nec valet à sua sede, aut per naturam, aut per uim seiungi. Considero sextò, multorum esse opinionem, ex singulis sub cęlo positis posse per sublimationes elici Essentiam quintam, quam dicunt preciosissimam, & præditam virtute mirabili, plurimumq; valere pro uita proroganda, pro illustrando ingenio, acquirendisq; sine labore scientijs, & pro gignendo auro, quæ sunt tria ab hominibus maximè exoptata. Arnaldus de Villa noua, & Raimundus præsertim putant elici posse ex vino cęlesti, & iunctam auro solari, imbibi ab eo, & constitui aurum potabile eximiæ virtutis, & hæ magna ex parte sunt consolationes perditorum Chimicorum, qui etiam somniant ex auro elici posse animam, ex qua mox plurimū auri producatur. At perpendamus, secundū quā opinionē valeat per sublimatio-

mationes ex rebus elici Quinta essentia?Id nō posse fieri per opinionē Ari.cōspicuū est;tū quia cęlū nō est permixtū cū mortalibus;tum insuper quia non datur corpus prius purius, & simplicius quatuor Elementis; ex mixto autem solùm quatuor Elementa elici possunt. De opinione relata à Cicerone & Aristo.tributa,nil dico.quia est conspicuus error,vt apparuit.De communi spiritu Stoicorum etiam dicendum est,non posse elici,ne dum quia concedi non debet,vt varijs rationibus Alex.patefecit, verùm insuper quia ex opinione Stoicorum eius conditio est effundi per corpora,eaq; nectere,non autem seorsùm subsistere. Si loquimur de opinione Orphei,& Phœnicum Theologorum, ea Quinta essentia vel est incorporea,vel corpus:si incorporea ad rem non facit, quia id quod elicitur per sublimationes corpus est,insuper incorporeum non rectè cōstituit gradum quintum inter corpora.Si est corpus,absurdum est animam incorpoream spirare corpus; insuper apud nos nunquam inspectum fuit aliud corpus præter quatuor Elementa, & constituta ex eis. Quare si dicimus posse ex his corporibus elici,cogimur cum Academicis dicere Essentiam quintam esse sublimationem,& depurationem quandam quatuor Elementorum, reductionemq; eorum in spiritus tenues,igneam & solarem quandam conditionem includentes,eximia facultate præditos,ob conditionem eorum,ex quibus educuntur.Hoc si dicimus,nec Aristo.nec experientiæ aduersabimur: at minus rectè illi spiritus Quinta essentia nuncupantur, cum sint mixti ex quatuor Elementis,nec valent esse præditi tot viribus, quos Chimici tribuunt Quintæ essentiæ.

PORVS.

DISTINCTIONES.

PORVS apud Platonem in Conuiuio dicitur consilij filius,& Deus affluentię,ex quo cum Penia,hoc est,cum egestate,& indigentia iuncto, ait ortum ducere Amorem, in qua significatione non est præsentis considerationis. Vsurpatur secundò pro exiguo aliquo corporum meatu, in qua significatione,quinque Pororum varietates considerandas puto.Nam primò ex sententia Democriti,Leucippi,Epicuri,& concedentium inane,porus est exiguus,& inanis meatus,inclusus inter partes corporum,ex principijs naturæ constitutorum;in qua significatione Aristo. in primo de Ortu & interitu cont. 76. inquit non dari inanes meatus,& Poros. Secūdò vsurpatur Porus per metaphoram pro parte corporis magis apta pati; in qua significatione Arist.in 1.de Ortu & interitu 77. inquit, & hac ratione poros dicet aliquis corporibus inesse,vt in metallicis extenduntur continuatæ venæ.Tertiò vsurpatur pro angustiis venis,& arterijs,repletis spiritu, vel aliquo tenui humore;in qua significatione Gale.10. de Vsu partium cap.12. inquit ab Herophilo neruos,visui seruientes,dictos esse Poros,quia perforati sint.Quartò per metaphoram meatus, qui in spongia, pumice,linteo,& panno ex Lana conflato apparent pori dicuntur?Quintò propriè Pori dicuntur illi meatus, qui includuntur in partibus corporum viuentium, veluti in cute,carne, & osse, & pleni sunt tenui aliquo humore: hi conspicuè apparent in pelle arida,qui meatus

Porus & Penia parētes Amoris.

Quinque varietates Pororum.

tus producuntur, & reficiuntur à calore viuentium, pro sui transpiratione, alimenti distributione, & excrementorum vltimæ coctionis insensibili transpiratione. Aristo. in omni significatione concedit poros, præterquàm in prima; propriè tamen dictus Porus, cuius danda est definitio, est quinto loco relatus.

DEFINITIO.

PORVS est angustus meatus, partium viuentis corporis, à calore eius productus, pro sui transpiratione, alimenti vltimi oppositione, & excrementorum ultimæ coctionis insensili secretione.

ANNOTATIONES.

Pori variantur. CONSIDERO primò, propriè sumptos & definitos Poros non semper seruari eosdem, sed præcedentes frequenter repleri, & à calore nouos gigni, & permutari. Considero Secundò, corpora viuentium calidiora, & ficciora maximè huiusmodi poris esse prædita vt hominum bile flaua abundantium, & vulgo dicuntur corpora raræ testuræ. Arist. in 4. Meteorum agens de assatione inquit, Clausis externis poris, nō potest fecerni intus extraneus humor: & in 4. Part. prob. vltimo ait, Per sudorem poros reddi laxiores. *Pori solū viuentib. Propriè cō petunt.* Considero tertiò, quòd cum Pori à proprio viuentium calore producantur, in corporibus inanimis non inueniuntur nisi per similitudinem, vt in terra, dum à Sole, tamquam à calore vitali vniuersi orbis deficcatur, & halitus varij ex ea madefacta per meatus eliciuntur. *Dub.* At oritur dubitatio, quia Arist. 11. Part. prob. 58. cùm Aquæ, tùm Aëri Poros tribuit, per quos inquit nos videre, & audire. *Sol.* Soluitur, quia loquitur ex sententia Empedoclis, quam damnat in 1. de Ortu & interitu loquens de actione & passione. In Pellibus defunctorum apparent Pori, quia iam in viuentibus à vitali calore fuerunt producti, & tunc æquiuocè dicuntur Pori, cum non fungantur munere propriè sumptorum Pororum, per definitionem explicato.

DE

DE VOCVM VARIETATE.

Quæ sint Vniuoca, Aequiuoca, Ab Vno, Ad Vnum, Analoga, & Multiuoca.

DIVISIO VOCVM.

VOX imposita ad aliquid significandum, vel denotat naturam vnam omninò consimilem,& dicitur Vniuoca, græcè *Vox Vniuoca.* συνωνυμα, vel non denotat naturam omninò unam, & dicitur vox Multipliciter dicta. Diuisio est Ari. in 1. de Ortu & interitu cōt. 44. Insuper vox Multipliciter dicta, uel dicitur *Multipliciter dicta.* de varijs æquè primò,& casu quodā, vel nō æquè primò: Si æquè primò, dr̄ purè Aequiuoca,& Aequiuoca casu, græcè ομωνυμον. Si non æquè primò varia denotat, id contingit dupliciter, vel cum simi- *Purè Aequiuoca.* litudine rationis,& dicitur vox Analoga, uel sine similitudine rationis, sed ordi- ne aliquo:& hoc etiam contingit dupliciter, uel per deductionem ab uno prin- *Analoga* cipio;& dicitur Ab Vno, uel per directionem in unum finem,& dicitur Ad V- *Ab Vno.* num. Eadem tamen uox, distincta relatione dici frequenter potest Ab Vno, & *Ad Vnū.* Ad Vnum. At si uoces fuerint uariæ,& res quæ denotatur, sit una, dicitur Mul- *Multiuoca* tiuoca. Si uerò & uoces,& res denotatæ fuerint uariæ, dicuntur Diuersiuoca. *Diuersiuoca.* Insuper diuisæ uoces, uel sunt principales, uel ne: Si non fuerint principales, tunc dicuntur uel per denominationem, uel per compositionem ex uarijs uocibus, ad quas pertinet Ethymologia. Diuiduntur Aequiuoca, Vniuoca & alia, in Aequiuocantia & Aequiuocata, siue Vniuocantia & Vniuocata: Vniuocantia sunt uoces communes: Vniuocata res, quæ per eas denotantur.

DEFINITIONES.

VNIVOCA uniuocata ea dicuntur, quorum nomen commune est,& ratio essentiæ, secundum id commune nomen tradita, est *Vniuoca.* eadem. Vox autem uniuocans, est uox, denotans essentiam, cuius ratio secundum id commune nomen tradita, sit eadem.

Aequiuoca purè, siue casu, ea sunt quorum nomen forte fortu- *Aequiuoca.* na æquè commune est,& ratio essentiæ secundum id commune nomen tradita, est diuersa. Aequiuoca latè sumpta, includentia omnem uocem multipliciter dictam, ea sunt, quorum nomen commune est,& ratio essentiæ secundum id commune nomen tradita, est modo aliquo uaria.

Analogia est similitudo plurium rationum, quam comitatur commutata pro- *Analogia.* portio,& Metaphora.

Analoga ea dicuntur, quorum nomen est commune, & ratio essentiæ secun- *Analoga.* dum id commune nomen tradita, modo aliquo est uaria.

Ab

Ab Vno. Ab Vno ea dicuntur, quorum nomen commune est, ratio uerò essentiæ secũdum id commune nomen tradita, cum sit modo aliquo uaria, & tamen prædita ordine ab uno primo deducto.

Ad Vnũ. Ad Vnum ea dicuntur, quorum nomen commune est, ratio uerò essentiæ secundum id commune nomen tradita, cum sit modo aliquo varia, est tamen prędita ordine in vnum finem directo.

Multiuoca. Multiuoca ea dicuntur, quorum nomina sunt varia, ratio autem essentię, per ea nomina denotatæ, est eadem.

Diuersiuoca. Diuersiuoca ea dicuntur, quorum nomina sunt varia, & rationes essentiæ secundum ea varia nomina traditæ, variæ sunt.

Denominatiua. Denominatiua ea dicuntur, quæ ab aliquo principali, solo distincta casu vocis, recipiunt appellationem. Ea quæ dicta sunt de nominibus, etiam intelligi debent de verbis, nam verba vt rei conditionem aliquam significant, nomina sunt, vt dicitur in libro de Interpretatione.

ANNOTATIONES.

Aequinocũ duplex. CONSIDERO primò Aequiuocum apud Arist. vsurpari dupliciter, vel latè pro omni voce Multipliciter dicta, vel pressius pro purè Aequiuocis, quæ dicuntur Aequiuoca casu. Hoc considerauit Ale. in 4. Met. con. 2. Latè vsus est ea voce Porphyrius dum in lib. Vniuersalium dixit, Siquis decem prædicamenta nũcupauerit entia, æquiuocè nuncupabit, non uniuocè. In eâdem significatione, ea est vsus Arist. in Antepredicamentis, nam æquiuocorum ibi tradita definitio, etiam illis competit, quæ sunt Ab Vno, & Ad Vnum: à quibus etiam sumpsit exemplum, inquiens, ut animal, dicitur homo, & quod pingitur. Pressiùs autem uoce æquiuoci est usus Arist. in 1. Ethic. cap. 6. In primo de Ortu & interitu cont. 44. In 7. Met. cap. 4. & alibi. Considero Secundò, inter Aequiuoca, & Vniuoca dari, & non dari medium; nam si Aequiuocum accipitur, ut contradistinguitur ab Vniuoco, & latè, non datur medium: at si accipitur pro purè Aequiuoco, media sunt, Ab Vno, & Ad Vnum. Considero tertiò, Analogiam definiri ab Euclide in 5. suorum Elementorum, quòd sit identitas, siue similitudo plurium rationum: ita etiam definitur ab Arist. in quinto moralium Nicomachiorum, cap. 3. dum ait, quòd Analogia est similitudo græcè ἰσότης, rationum. Sic in 1. Phy. *69.* ait, Materiam nosci per Analogiam, sumptam ex rebus artificiosis, quia ut lignum se habet ad Lectũ, & æs ad statuam, ita Materia rerum, naturâ constantium ad composita naturalia. Quæ Analogia potest esse, Vel continuata, dum unum repetitur, ut si dixero, ut octo ad quatuor, ita quatuor ad duo: Vel seiuncta sine repetitione, ut octo ad quatuor, ita sex ad tria. Quam non continuatam Analogiam sequitur commutata proportio, dum inferimus, quare ut primum se habet ad tertium, ita secundum ad quartum; Ex qua commutata Analogia elicitur deinde Metaphora, secundum quam unum commutatum dicitur de altero, ut infimæ partes montium nũcupantur radices, uel pedes eorum, quia perinde se habent ad montem, ac radices ad Plãtas, & pedes ad animalia. Et quamuis Aristo. in 3. Rhetoricorum & in Poëticis uarias statuat Metaphoræ species, ea tamen quæ ex Analogia depromitur, præstat cæteris. Considero quartò, Aristo. & Græcos interpretes nunquam in alia significatione uti uoce Analogi, ab ea, quam explicaui: & Analogiam seiunxis-

An detur medium inter Vniuoca, & Aequiuoca?

Analogia.

Analogia duplex.

Commutata proportio.

Metaphora.

ſe ab his,quæ dicuntur Ab Vno,& Ad Vnum,ut cónſpicuè patet ex primo lib. Moralium Nicomachiorum,cap.6.quo loci inquit Philoſophus,Cum Bonum non ſit vniuocum quomodo dicetur? Non enim eſt æquiuocum fortuitò, an quia ſit Ab Vno,vel quia ſit Ad Vnum,vel potiùs proportione ſiue analogia? Conſpicuè Philoſophus tradit integram diſtinctionem vocum,& ea, quæ ſunt Ab Vno,& Ad Vnum,ſecernit ab Analogis: Ex quo patet conſpicuè multos errare,qui ea putant Analoga,quæ dicuntur Ab Vno,& Ad Vnum, cum tamen maximè ſecernantur. Ita Ariſto.ens,ſanum, & ſimilia, nunquam nuncupauit analoga,ſed ab vno & ad vnum. Conſtat inſuper minus rectè à nonnullis diuidi Analogiam,in analogiam attributionis,& analogiam proportionis.Nam id, quod dicitur attributionis non eſt analogum, ſed ab vno & ad vnum: ponere autem analogiam proportionis, eſt repetere idem:omnis enim analogia eſt ſimilitudo rationum,quæ proportio dicitur. Conſidero quintò,vocem poſſe dici Ab Vno tribus modis.Primò,adeò vt primum abſolutè ſit cauſa vt cætera dicãtur talia,veluti Sanum eſt ab vno,non ita tamen vt vnum in alio includatur.Secundò,ut unum in alio non includatur,nec ſit cauſa eius, ſed ſolùm adſit ordo dignitatis,uel ſaltem originis,ſic Demonſtratio,Definitio,& ſimilia dicuntur ab uno. Tertiò,ut unum includatur in altero,ut Figura dicitur ab uno de triangulo,& quadrato,& Anima de uegetali,& ſentiente, & Senſus dicitur de tactu, & alijs,nam ſi originem inſpicimus,primò dicitur de tactu, ſi dignitatẽ de uiſu Ex his elicio errare nonnullos,qui inficiantur Naturam dici ab uno de ea mortalium & æternorum,quia cęlum non eſt cauſa, ut Elementa dicantur corpora Phyſica. Similiter negant de Anima,quòd dicatur ab uno de eius gradibus;& de Senſu,quòd dicatur ab uno,de tactu,& alijs,nam ab uno eſt multiplex ut dixi,& pro eius conſtitutione ſatis eſt ordo uel originis,uel dignitatis. Conſidero ſextò,quæri à nonnullis,num id quod eſt Ab Vno, dicat, & denotet naturã unam,uel ne? Inquit Zim. denotare quidem conceptum unum, at non Naturam unam:ſed errat,nam conceptus reſpondet naturæ,& eius unitas pendet ex unitate naturæ. Propterea dicamus,quòd cum vnum dicatur multipliciter, id quod eſt Ab Vno dicit,& non dicit naturam unam: non dicit naturam unam uniuocè,ſed unam unitate ab uno. Hinc rectè Simplicius in 2. de Anima exponens cont.30.inquit,Id quod eſt ab uno,non dicere naturam unam, ſed totum id,unam multiplicem,hoc eſt unitate ab uno. Hinc Ariſt. aliquando ait denotare naturam unam,ut in 2.de Anima 68.inquiens,Corpora dici perſpicua, quatenus eſt natura eadem in aëre,aqua,& perpetuo corpore. Sic Perſpicuum, quod eſt ab uno,dicit eſſe naturam unam.Aliquando negat eſſe naturam unã, vt in 3.Phy.cont.4 loquens de motu attinente ad quatuor prædicamenta. Hãc reſolutionem indicauit Ariſt.in 3.de Rep.cap.1.inquiens. Non latere nos debet,quòd in rebus,quarum ſubiecta differunt ſpecie,& aliud eorum eſt primũ, aliud ſecundum,aliud conſequens,aut omninò nihil eſt,qua talia ſunt commune,aut vix,inquiens,vix,indicat eſſe vnum diminutè,& ab vno. Conſidero ſeptimò id quod eſt ab vno non diſtinctè noſci,niſi noſcantur contenta ſub eo,cum non ſit natura vniuocè una,eademq; in omnibus. Ideò Ariſt.in 2.de Anima 32. cum manifeſtaſſet animam dici ab uno,colligit propriam animæ conſiderationem eſſe eam, quæ eſt de ſingulis eius gradibus ſeorſùm. Ex quo patet minus rectè putare nonnullos,Ens non poſſe confuſè noſci,cum ſit conceptus ſimpliciter ſimplex: immò dico maximè cognoſci confuſè, dum noſcitur ſeorſùm à contentis,nec eſſe conceptum re uera ſimpliciter ſimplicem, cum non ſit uerè unus,ſed in ſingulis uarius. Ex quo etiam infero,Metaphyſicum deſcendere ad

Error exploditur.

Vox ab uno 3.

Error exploditur.

Num Ab Vno ſit natura una?

Zim.

Simpl.

Quomodo diſtinctè noſcatur id quod eſt ab vno?

Ens confuſè noſci poteſt.

rerum

rerum essentias in specie, alioquin non distinctè nosceret Ens, sed confusè tantùm. Colligo insuper exactam definitionem eius, quod est Ab Vno, esse cum enumeratione contentorum, ut definitur Anima ab Arist. quòd sit Principium primum nutriendi, sentiendi &c. & Enunciatio, quòd sit unius de uno, uel ab uno; & hoc rectè considerauit Them. in 2. de Anima 31 inquiens. Quæ sunt ab uno, definiri per enumerationem contentorum. Considero octauò, quòd Simpl. in 2. de Anima 31. inquit, His quæ sunt ab uno competere differentias constituentes contenta, non autem diuidentes. Quæ sententia solùm est uera in parte, non absolutè. Verùm profectò est, ei, quod est ab uno, non competere differentias diuidentes; cum enim non sit natura una, non ualet propriè diuidi, sed eius diuisio est enumeratio contentorum. At ex aduerso dicere, quòd ei competant differentiæ constituentes, uerum non est, quoniam ut caret differentijs diuidentibus, ita caret propriè sumptis differentijs constituentibus. Nam differentia dicitur constituere, quatenus iuncta Naturæ generis constituit speciem: at eorum quæ sunt ab uno, non datur Natura una communis, cui iungi possit. Hinc dum Ens distribuitur in decem prædicamenta, quia est ab uno, id non fit per differentias diuidentes, & constituentes, sed per modos, & gradus uarios eorum quæ sunt in quos sine medio cadit Ens. Solùm dicuntur constitui ea prima genera per propria Principia, quæ sunt actus, & Potentia, ut ostenditur in 12. Met. Considero nonò, quòd dum in scientia agitur de eo, quod est Ab Vno, Id quod propriè subiectum est, & per definitionem explicatur, & de quo ostenduntur affectiones, est id quod primum est; Et præsertim dum id primum est causa cæterorum, ut nos docet Philosophus sub initio 4. Metaph. inquiens. Considerationem entis, esse considerationem substantiæ. Et ratio est conspicua, Id enim quod primò est tale, & est ratio ut cætera sint talia, est id quod uerè, propriè, & maximè est tale, & est mensura cæterorum, adeò ut quemadmodum reliqua sunt per illud, ita per illud elucescant. Considero decimò, iure Alex. in 1. Nat. q. ca. 11. asseruisse commune Ab Vno esse posterius contentis sub eo, cùm secundum esse, tùm secundum intellectum: nam secundum esse semper singularia dicuntur prima, ut patet de primis substantijs; at loquendo de uniuocis, communia sunt priora secundum rationem & intellectum, vt ex Alex. sententia refertur ab Auer. in 12. Metap. con. 27. Ea autem quæ sunt ab uno, neq; etiam secundum rationem & intellectum possunt esse priora, cum intellectus non ualeat naturam unam ex eis elicere.

Metaph. descendit ad species rerum.

Quæ ab uno quomodo definiēda?

Quomodo generi ab uno competant differentiæ?

Dum agitur de eo quod est ab uno, præsertim agitur de primo. Ratio.

Commune ab uno est posterius.

SONVS,

SONVS, VOX, ELOCVTIO, ORATIO, ENVNCIATIO, NOMEN, ET VERBVM.

DISTINCTIONES.

PRIMO occurrit Sonus tamquam commune genus; sub quo collocata est Vox, solis animalibus spiritantibus competens. Sub Voce est Elocutio, competens soli homini, munere rationis. Elocutionem constituunt Nomina, & Verba, ex quibus prodit Oratio. Elocutio est duplex, vna interna, altera externa, vt diuiditur à Platone in Philebo. Externa autem est signum internæ, ut dicitur in libro de Interpretatione, nam quatuor inueniuntur inter se ordine prædita, Res de quibus loquimur, Notiones animi, Voces dearticulatæ, & Literæ. Notiones animi sunt simulacra Rerum. Voces sunt signa Notionum, & Literæ Vocum. Elocutio externa duplex est, vna propriè sumpta, vt ea hominis, altera est eius imitatio, vt Picæ & aliarum quarũdam auium. Insuper Sonus est duplex, vel facultate, vel actu: Facultate adhuc dupliciter, vel ad actum primum, adeò vt valeat produci, vel ad actum secũdum, vt valeat audiri. Insuper Sonus etiã est duplex, uel primus, uel prodiens ex primo, vt Echo. Diuidi etiam potest in acutum, & grauem; magnum & paruum; lenem & asperum, & consimilibus alijs diuisionibus. Vox soli animali competit, & diuiditur in dearticulatam, qualis est ea hominis loquentis, & non dearticulatam, in significantem per naturam, ut ea brutorum, & ad libitum, ut ea hominis. Insuper Elocutio soli homini competens, diuiditur in simplicem, qualis est prolatio incomplexarum uocum, & complexam, qualis est Oratio. Simplex, siue incomplexa, uel est Nomen, uel Verbum; & utrumq; uel est primum, uel ex eo deductum, siue modo aliquo compositum, ut Cadauer, hoc est, caro data uermibus. Insuper uel est finitum, ut Aër, uel infinitum, ut non Aer. Elocutio complexa, quæ Oratio dicitur, uel est perfecta, uel imperfecta. Perfecta diuiditur per modos; principalissima autem est indicatiua, quæ & Enunciatio, & Interpretatio, & Propositio, & Conclusio, & Problema dicitur, ob uarias eius considerationes. Hæc diuiditur in Categoricam & Hypotheticam; in Affirmantem & Negantem; in Veram & Falsam, in Vniuersalem, Particularem, Indefinitam, & Singularem; In eam quæ est de ipso est secundo adiacente, & in eam, quæ est de ipso est tertio adiacente; Insuper in formatam tempore præsente, præterito, & Futuro. Prætereà uel est de re contingenti, uel necessaria, uel impossibili. Insuper uel constat ex terminis finitis, uel infinitis.

Sonus. Vox. Elocutio. Nomen. Verbum. Oratio. Quatuor subordinata.

R DEFI-

DEFINITIONES.

Son' quid. SONVS definitur ab Aristotele in 2. de Anima 85. quòd sit motus eius, quod ita est aptum moueri, ut resilientia à leuibus, cum aliquis percusserit. Distinctiùs tamen dicere ualemus, Sonum esse qualitatem productam à mutua solidorum percussione, in aëre simul expulso auditui per se, & propriè respondentem. *Vox.* Insuper Vox ab eodem Philosopho in 2. de Anima. 90. definitur, quòd sit percussio respirati aëris, ab Anima in pulmonibus existente ad asperam Arteriam. Quæ definitio intelligi debet per modum causę, ut ea Soni. Vel dicamus, Vox est sonus, ab animali productus, per aërem expiratum, & in gutture repercussum, cum instituto aliquam animi affectionem *Elocutio.* patefaciendi. Elocutio est uox lingua, labijs, & dentibus dearticulata, formata ad libitum eorum, qui primò nomina condiderunt, pro animi notionibus patefaciendis. Oratio est minus communis, quàm Elocutio, nam etiam si *Oratio.* solùm proferimus nomen, uel uerbum, dicimur loqui, cum tamen ea non sit Oratio. Nam Oratio est uox, ad libitum conditoris nominum significans, cuius proximæ partes tamquam dictiones aliquid significant. Enunciatio est o- *Enũciatio.* ratio indicatiua, ueram, uel falsam animi notionem significans. Nomen est *Nomen.* uox ad libitum conditoris significans, sine temporum distinctione, cuius par- *Verbum.* *Nomina* tes, dum seorsùm ut partes considerantur, nihil significant. Verbum est uox, *finita.* ad libitum conditoris significans, cum temporum distinctione, cuius partes, *Infinitá.* dum seorsùm ut partes considerantur, nihil significant. Nomina, & Verba si fuerint finita, definitè aliquid significant: at si fuerint infinita, indefinitè significant unumquodq; præter id quod per negationem excludunt. Insuper definiri potest Nomen, quòd sit Vox denotans id, quod per definitionem explicatur, ut elicitur ex 4. Metaph. cont. 11. Præterea Nomen dicitur instrumentum, ex syllabis aut litteris naturæ rerum congruentibus constans, pro confusè indicanda essentia rerum, ut elicitur ex Cratylo Platonis. Insuper est instrumentum docendi, & secernendi conditiones rerum, ex eodem Platone. Verbum est signum, quo actiones rerum, & perpessiones denotantur. Echo *Echo.* est iteratus sonus per aërem à solido concauo repercussum, in quo etiam aliquid aëris permanentis sit inclusum.

ANNOTATIONES.

Omne verbũ potest dici Nomẽ & uice uersa. PRO notitia relatorum, duodecim se offerunt explicanda, & consideranda: ordiar autem à leuioribus. Considero primò; Verbum omne posse dici nomen: & Nomen omne posse dici verbum. Primum patet ex Aristo. qui in libro de Interpretatione ait, Verba secundum se dicta, nomina sunt, significant enim aliquid, & qui audit acquiescit. Nam verba, dum absolutè considerantur, ut aliquid ad libitum significant, dicuntur nomina, & eis frequenter vice nominum vtimur, vt dicentes currere est moueri. Etiam vice

uersa

versa Nomen omne dici potest verbum, sumendo verbum vniuersè pro simplici quauis hominis voce ad libitum significante, veluti dum de silente dicimus, illum nec vnum proferre verbum, ac insuper dum dicimus verbo Dei Cęli firmati sunt. Considero Secundò, quòd dum Nomen, & Verbum tanquam distincta considerantur, Nomen denotat naturam, conditionem, & essentiam rerum: Verbum verò actionem, & effectionem, vt docet Plato in Cratylo. Auer. in 4. Physic. con. 9. ait, Nomen imponi rebus quiescentibus; Verbum verò mobilibus: hinc verba in actiua & passiua diuiduntur. Ex quo patet Verbum magis facultatem, virtutem, & efficaciam denotare, quàm Nomen, & ob id de Deo loquentes potiùs vtimur voce verbi, quàm nominis, & dicimus, quòd Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: & Verbo Dei firmati sunt cęli, & sic de alijs. Considerò tertiò, quòd aliud est significare tempus, & significare cum distinctione temporum: Nomen potest quidem significare tempus, vt Dies, & Hora: at non cum distinctione trium temporum. Verbum contra non significat tempus, sed consignificat, quatenus denotat actionem, vel passionem cum temporum distinctione. Considero quartò, quòd partes nominum & verborum, seorsùm sumptæ, nil dicuntur significare, quod de illis verum est, dum considerantur vt partes, nam si dicendo equiferus, equus, & ferus seorsùm aliquid significant, id eis competit, vt sunt integra nomina, non autem quatenus sunt partes alterius, quod ex pluribus nominibus est conflatum. Considero quintò, quòd cum detur Nomen infinitum, cui præponitur negatio, dubium est, an similiter detur Verbum infinitum. Nam videtur non dari, quia dum ei pręfertur negatio, enunciatio redditur negatiua, non autem ex verbo infinito, vt datur affirmatio ex nominibus infinitis, veluti dicendo non homo ambulat. Respondeo ex sententia Aristo. in libro de Interpretatione, dari nedum nomen sed etiam verbum infinitum, id autem accidit, dum negatio iuncta verbo, non seiungit prædicatum à subiecto, ut in enunciatione negatiua, sed cadit supra prædicatum, siue subiectum ueluti dicendo cum Aristo. in 1. Poster. Quod non scintillat, est propè: Planetę non scintillant; igitur sunt propè. Cuius syllogismi ambę propositiones sunt affirmatiuæ, & ideò colligitur conclus. affirmatiua. Similiter dicendo, quod non est, potest imaginationem concipi; chimera non est: quare potest imaginatione concipi. Ea minor propositio, quæ uidetur negatiua, profectò affirmatiua est, ut etiam conclus. & ea negatio ad prædicatum pertinet, dicendo chimera est non ens. Dico tamen quòd dum negatio iungitur uerbo, ut fungitur officio uerbi nectentis prædicatum cum subiecto, tunc uerbum id non propriè dicitur infinitum, sed constituitur enunciatio negatiua: dum autem est infinitum, & enunciatio ob id non redditur negatiua, tunc fungitur officio nominis, nimirùm subiecti, uel prædicati. Sextò considero non leuem esse dubitationem, quid primò significent nomina cōpositorū, & denominatiua, ut Terra, Aurum, Arbor, Homo, Album & similia? Sententia fuit Auicennæ, relata ab Auer. in 5. Met. 14 Nomina concreta, ut Album, primò denotare subiectum, & substantiam, secundariò accidens. Auerr. autem ei aduersatur inquiens, primò denotare formam, & accidens. Aristo. in 8. Metaph. cont. 7. & 7. inquit huiusmodi nomina esse ab uno, & primò denotare formam, secundariò compositum, ut animal primò denotare animam: & Auerr. eo loci inquit, Nomen non denotare rem, nisi ut actu est; actu autem est per formam, quod etiam dicitur

Nomē denotat naturā: Verbū actionem.

Aliud est significare tempus, aliud id cō significare

Quomodo partes nominū seorsùm nil significent.

Quomodo detur uerbum infinitum?

Quid primò significent nomina compositorum.

citur ab Ari. 8. Met. cont. & distinctiùs Auc. profert suam sententiam in Parap. Meta. tractatu 2. inquiens, Nomen famosiùs uidetur significare congregatum ex materia & forma, licet quandoq; dicatur de forma, & est id, cui ueriùs applicatur nomen. At si inter has significationes fiat comparatio: significatio compositi est prior tempore, posterior secundum esse; significatio uerò formæ est posterior tempore, prior autem secundum esse. Hac de re etiam loquitur Auer. in 1. Physi. 25. in 2. de Anima con. 8. in 2. Met. 18. & 19. & uidetur modo aliquo pugnantia proferre. Verùm ut omnia componantur, & controuersia diluatur, ita dicendum censeo, Nomine denotari aliquid primò contingit tripliciter, vel causa, vel dignitate, vel proprietate. Primum denotatum causa, & origine, est forma; nam ex ea pendet illud esse, quod nomine denotatur. Primum dignitate in denominatiuis, quæ per accidentia denominantur, est subiectum, quod substantia est, vt etiam dicitur ab Auer. in 2 de Anima: Primum proprietate est compositum; nam id est nobis notius, nomen imponitur ei, & id respondet nomini, vt enim res, ita nomen concretum est. Considero septimò, sæpè in dubium verti, qui fuerint primi nominum conditores? Plato in Cratylo triplicem refert opinionem; Vnam, quòd à Dijs quondam recepta fuerint nomina; Alteram, quòd à Barbaris, denotans nomine Barbarorum, nationes alias, præter græcam. Tertiam, quòd à longitudine & successione temporum, & adeò à prima origine sint permutata, vt nomina primò imposita minime discernantur; magna enim cursu temporum fit nominum permutatio. Ex sententia Aristo. Primi conditores nominum non dantur, nec assignari queunt, cũ enim putârit Mundum æternum, æternas iudicauit scientias, & nomina, solùm censuit assignari posse redintegratores, restauratores, & secundum partem aliquã impositores alicuius nominis, absolutè tamen nomina censuit æterna, ut etiam res. Propterea cum eo dicendum est, Nomina & Verba, vniuersè & absolutè considerata, esse æterna; considerata autem in parte, ut hæc, vel illa nomina à particularibus conditoribus fuisse formata, quorum nonnulla à Populis, & vulgo formata fuerunt: alia quæ rectiùs sunt imposita, & veriùs sunt nomina, à viris sapientibus. Ideò Auer. in 7. Met. 54 inquit, Nullum imponere nomina rebus, quas non cognoscit: & in princip. quinti Metaph. ait, Impositionem nominum esse partem Diuinæ scientiæ. Hinc Aristo. in quinto Metaph. explicauit communium nominum significationes. Hæc ex sententia Arist. dicenda puto. Absolutè autem, unà cum sacris Theologis affirmo, Deum verum, vt Mundi, ita primorum nominum, fuisse Auctorem: nam Adam creauit perfectione præditum, & ut rerum cognitione, ita nominum notitia insignitum, quæ deinde per uarios, & apud uarias nationes uariata sunt. Hinc scientia uerorum nominum non est humilis, sed excelsa, quam Hebræi tanti fecerunt, ut eam nedum scientijs, uerùm Legi quoq; scriptæ prætulerint, affirmantes eam à Deo Patriarchis & Moysi fuisse traditam, & principalem uim Cabalæ in principalium nominum interpretatione insitam esse existimârunt: & propterea Dionysius Areopagita cuncta diuina mysteria, in nominibus inquisiuit. Considero octauò, inter Platonem & Aristo. quæ sunt duo humanæ sapientiæ Lumina, non leuem uerti controuersiam, Num nomina rerum iudicari debeant secundum naturam, uel potiùs ad libitum impositorum instituta? Hermogenes nomina esse ad libitum censuit. Cratylus contra, ex natura habere vim existimauit. Aristo. libro de Interpretatione, definiens nomen & uerbum, in eorum definitione assumpsit, quod ad libitum significent...

Resol. difficultatis. — *Primi nominum cõditores.* — *Plato.* — *Arist.* — *Sententia vera.* — *Pro Cabala.* — *Dionysius Areop.* — *Num rerũ nomina sint ad libitum.*

Id

Id autem quod in definitione accipitur, ad essentiam rei pertinet. Et confirmatur, quia nomina apud uarias nationes, sunt varia, & in facultate conditoris nominis est unicuiq; rei tamquam signum quod ei libuerit nomen imponere: Ac insuper sæpè variarum rerum idem est nomen, vt patet de æquiuocis. Et confirmatur, quia literæ formantur ad libitum, quare etiam nomina, quæ componuntur ex eis. At ex aduerso rationes se offerunt magni ponderis, pro approbanda sententia Cratyli; & opinantium nomina sequi naturam rerum, & re vera se habere, perinde ac instrumenta, quorum forma & constitutio ex conditione operis efficiendi desumitur. Et confirmatur, quia si essent ad libitum, vnusquisq; valeret nomina imponere, nec id magis esset officium sapientis, quàm alterius; nec requireretur pro imponendo nomine, ut nosceretur natura rei, cui imponitur; cuius oppositum in præcedentibus approbaui. Similiter non diceremus nomina nonnulla perperàm esse imposita; quia non sunt consona rebus. Insuper id ipsum ostenditur, quia Aristo. frequenter vtitur ratione sumpta ex Ethymologia, ueluti dum loquitur de Casu, de Aethere, de Aeuo, de Mutatione, & similibus, quæ ratio solùm facultate est prædita, quatenus nomina respondent naturæ rerum. Dubitatio itaq; est satis perplexa. Pro cuius resolutione accipiendum est primò in nomine duo considerari. Vnum est, ut recta ratione rei respondeat, quæ denotatur, eiusq; conditionem indicet. Alterum est, ut impositum rei sit pro ea denotanda. Hæc duo inuicem secernuntur; & potest nomen esse impositum rei, cui non conueniat, & tunc dicimus perperàm esse impositum; potest etiam includere rationem rectam, & non esse impositum, & tunc dicimus id non esse nomen rei, sed si esset, & optimè conueniret. Hinc dicebat Socrates; ut orationum, ita nominum, quædam esse uera, nimirùm ea, quæ rei congruunt; alia uerò falsa. Accipio Secundò, quòd cum considerentur ea duo; id Secundum, nimirùm impositio, est tamquam communis forma nominis; ut signum est, Alterum uerò est, tamquam forma ueri nominis, constituens id, ut rectum est; & ideò est ratio potior. Eorum duorum vnum est ad libitum, & id considerauit Ari. alterum uerò sequitur naturã rerum. Vulgus est magister unius; Sapiens uerò alterius. Insuper vulgus est magister vsus nominum, nõ rectæ impositionis. Et dum Ari. utitur ratione sumpta ex Ethymologia, supponit id, quod pertinet ad rectitudinem. Insuper pro solutione rationum considerandum est, literas esse præditas hac uarietate, ut quædam magnitudinem, & horrorem denotent, ut, r. o. & similes: aliæ uerò humilitatem, & mollitiem, ut l. i. & aliæ huius generis, propterea pro dẽdotandis magnis & horribilibus utimur primis, ut terror, Arma, Mors, Roma; pro denotandis humilibus utimur alijs, ut leue, liquidum, & hæc rectitudo seruatur apud omnes nationes, in omnibus nominibus ueris, hoc est rectè formatis, & respondentibus naturæ, & conditioni rei, quam primò tenetur mente concipere ille, qui rectè nomen cupit imponere. Ex his elicitur solutio rationum, & cõcilium sententiæ Arist. & Platonis. Sic itaq; in nomine uox illa est tamquam materia; impositio & signum tamquam communis forma; recta ratio, mutuaq; responsio rei & nominis est differentia, & forma potior, & proximior. Considero nonò, frequenter quæri, & quæstionem esse ingenio sublimi, animoq; ingenuo dignam, Num orationi, & nominibus competat facultas, & uirtus aliqua, uel ne? Ex una parte uidetur eis nullam competere uirtutem, quia signis rerum nõn competit uirtus, sed indicatiò solùm rerum, quarum sunt signa; nomina autem sunt signa rerum, ut patet ex libro de Interpretatione. Insuper nomina describuntur, quòd sint uoces: at dum inuicem comparantur

Rationes aduersæ.

Resol. difficultatis.

Socrates.

Varietas Literarũ.

De uirtute nominum.

parantur voces, omnes dicuntur esse eiusdem speciei, non autem distinctæ; & propterea non distinctæ virtutis. Confirmatur, quia nomina & voces sunt accidentia, ad libitum formata, quibus virtus aliqua eminens, & absoluta non videtur posse competere. Ex aduerso varia occurrunt indicantia eximia aliqua

Pro uirtute nominũ

facultate esse prædita, veluti adiurationes per nomina varia, Cabala Hebræorum, quæ magna ex parte in nominibus includitur, Nomina diuina à Magno Dionysio Areopagita considerata, & alia similia. Et confirmatur, quia nisi nominibus facultas competeret, cur voluit Deus, vt filius eius, Dominus diceretur, potiùs nomine Iesus, & Ioannes nomine Ioannis nuncuparetur, quàm alio quouis nomine? Hinc nomen Dei tetragrammaton dicitur ineffabile, & potentissimum; & sermo Dei dicitur potens, & penetrabilior omni gladio acuto; & verbo Dei Cęli firmati sunt; & creata sunt omnia, nam ipse dixit & facta sunt, & in principio erat Verbum, & Deus erat verbum: hæc & alia multa nobis conspicuè indicant, nomina eximia aliqua facultate esse prædita. Sic nomina nonnulla leniunt animos; alia eos irritant. Missam facio Onomantiam, quę inter diuinatrices Artes numeratur, & ex nominibus vires suscipere videtur,

Resolutio difficultatis.

nam hanc tamquam inanem negligo. Pro solutione huius difficultatis accipio primò, nomina & orationem esse duplicem, vnam internam, animo & ratione formatam, alteram externam antecedentis signum. Insuper oratio interna duplex est, vna diuina, altera humana. Modò sermo est de oratione externa. Insuper accipio orationem externam tripliciter posse considerari; Primò ratione rei denotatæ; Secundò ex parte rectę institutionis eius; Tertiò ex parte eius, vt vox est ad libitum formata. His præassumptis, quatuor profero conclusiones. Prima est, Verbo Dei virtus competit, ac etiam interno hominis verbo. Altera est, Verbo externo ob rem denotatam facultas aliqua competit. Tertia

Quatuor cõclusiones

est, Nomen recta ratione præditum, est affectum virtute aliqua. Quarta, No-

1. Conclus.

men consideratum, vt vox ad libitum formata, non est prædituũ propria aliqua facultate, nisi vt rem denotet, cui tamquam signum imponitur. Prima conclusio pro parte, attinẽte ad verbũ Dei, cõspicua est, Verbũ.n. Dei est Dei volũtas, & mãdatũ, & est ipse met Deus, nil.n. est in Deo, qđ nõ sit, Deus; & ideò iure legitur Deus erat Verbũ, & potiùs per verbũ, quã p nomẽ denotatur, quia verbũ denotat actiones, & magis indicat vires & facultatem, quàm nomen. Vt verò pertinet ad internam hominis orationem, ea est discursus, & notio complicata, prædita facultate rerum, quæ animo concipiuntur, quibus animi affectiones vehementer excitantur, & commouentur: hoc nos docuit Arist. in libr. de Motu

2. Conclus.

animalium, inquiens notiones rerum seruare facultatem earum, & animalia varijs motibus agitare. Altera conclusio erat, Verbo externo ob rem denotatam facultatem competere, quæ etiam conspicua est, vt enim rem denotatam nobis repræsentat, vario modo nos mouent, ita Nomina rerum, quas diligimus, le-

3. Conclus.

niunt, & demulcent animos nostros; nomina uerò aduersorum nos turbant & ad iram prouocant. Tertia conclusio erat, Nomini rectam rationem includenti, uirtutem aliquam conuenire, & iure hoc dicitur; nam recta nominis ratio est consensio eius cum re, & ideo habet facultatem ne dum confusè rem denotandi, verùm insuper explicandi naturam & conditionem eius, & inde ortum ducunt rationes uariæ ex Ethymologia, depromptæ: hoc conspicuè seruatur in uocibus græcis, ut in Cratylo patefacit Plato, & longe magis in Lingua hebraica, in qua omnium ferè nominum afferuntur rationes. At demùm ut pertinet ad conclusionem quartam, dum nomi-

4. Conclus.

na & uerba considerantur, ut uoces ad libitum pro re denotanda for-

matæ,

matæ, solùm hoc eis competit, ut tanquam signa rem indicent, & tanquam uoces ratione musica prædita, uarios in nobis excitent, & componant affectus, ut in 7. de R. P. docuit Arist. At quòd deinde propria ratione uirtutem aliquam, vel sanandi uel mouendi uel aliud efficiendi includant, non est existimandum. Ex his quæ dixi, elicio uerba maximè apud Theologos prædita esse uirtute ob uerbum Dei, & alia eius mandato formata, minus apud Academicos conside-rantes humana uerba, magis tamen, quàm apud alios sapientes, cum magis considerent & magnificant rectam nominum rationem; minime autem omnium apud Peripateticos, dicentes nomina ad libitum esse formata. Decimo conside-randum occurrit, Num uiri sapientes de nominibus teneantur esse solicitì? nam uidetur id minimè eis conuenire, quia nos de rebus, non de earum signis curã habere debemus, ideò Gal. in 4. de Vtilitate partiũ, & Them. in 1. de Anima c. 19. & alij Peripatetici, frequẽter monẽt, nõ esse disserendũ de nominibus, sed conditiones rerum esse considerandas. Ex aduerso cùm Nomina apparuerint virtute, & facultate aliqua prædita, & ea condere sit officium sapientis: & recta eorũ constitutio, & consideratio nobis patefaciant conditiones rerum, negligentia verò per æquiuocationes multarum deceptionum sit origo vt patet ex libro Elechorum videtur dicẽdum nos teneri accuratè nomina considerare. Pro solutione propositæ difficultatis, dico teneri Grammaticum pro rectè formanda oratione accuratè considerare attinentia ad nomina, & partes orationis. Similiter teneri Rhetorem id ipsum facere pro ornamento ordinato ad persuasionem. Insuper teneri Phylosophum esse solicitum de nominum proprietate, rectáque eorum constitutione. Addo etiam teneri Theologum esse solicitum de nominibus diuino mandato superoq; spiritu formatis: hinc in libro qui dicebatur sancta sanctorum nil includebatur maioris momenti, quàm propium nomen Dei, & prohibitum erat ne quis id proferret: ideò ineffabile dicebatur. Et diuina nomina facultatem habent à re, pro qua denotanda eminenti ratione sunt imposita. Similiter dico teneri Dialecticum in nominibus & vocibus esse accuratum, ne per æquiuocationes decipiatur. At ex aduerso dico Sapientem non teneri de nominibus principaliter esse solicitum, sed de rebus; de nominibus autem secundariò, & solùm vt sunt instrumenta explicandi notiones animi; Insuper dum uerba sunt varia, & sententia seruatur eadem, non debet sapiens de ea varietate litigare, veluti inter Platonem, & Aristotelem frequenter apparent controuersiæ nonnullæ, quæ in vocum varietate, distinctoq; earum usu sunt positæ, cum tamen sententia sit eadem; de hac varietate non est disputandum, sed de natura rerum quauis voce, tamquam signo denotata. Vndecimò considero, quatenus pertinet ad Echo, siue ad iteratam vocem, quòd repercussio soni est duplex, vna obscura, altera conspicua: obscurè semper sonus ab aëre repercutitur, alioquin dum loquimur, non audiremus propriam vocem: conspicuè autem non fit, nisi in loco concauo, in quo etiam aliquid aeris firmi & permanentis includitur, conducens pro soni repercussione. In repercussione consideratur primò repercussio soni, secundò, & difficiliùs dearticulationis eius, & tunc magis propriè dicitur Echo. Repercussio fit & bis & ter, & multoties, at post secundam repercussionem, solùm percipitur sonus, non autem dearticulatio. Ea multoties iterata repercussio præsertim apparet in magna nola, siue campana, quæ cum desierit pulsari, per conspicuam moram, ob repetitas aëris intra eam repercussiones, edit bombum, siue tinnitum quendam. In qua etiam repercussione considerandum, quòd non idem aër ab initio ad finem repercutitur, vt repercutitur eadem pila, sed pars aëris, partem sibi iunctã percutit, vt unda excitat subsequentem undã, ueluti

Nũ uir sapiens tenẽtur de nominibus esse solicitus.

Resol. difficultatis.

Echo.

Repercussio multiplex.

Non idem aër semper repercutitur.

ueluti declarat Arist. in octauo Phy. loquens de motu proiectorum. Insuper cõsidero, quòd Sonus defertur & per aërem & per aquam, ideò pisces in aqua audiunt; at non producitur sine aëre, nam difficilius est sonum producere quàm productum deferre: & propterea sine aëre nunquam producitur. Insuper considero sępè quæri, num Sonus sit qualitas materiata, uel potiùs spiritalis? Puto ego Sonum solùm per facultatem audiendi recipi spiritualiter, in medio autẽ solum esse qualitatem materiatam, à percussione productam quod ex eo patet, quia à uento in oppositum defertur, & detinetur, ne audiatur. Insuper eget tempore, ut percipiatur, & ne dum directè, sed etiam obliquè percipitur, quæ ei non competerent, si esset qualitas spiritalis: hinc non defertur, nec seruatur, nisi cum aliquo motu; per facultatem verò audiendi redditur spiritalis, nam sensus ab Aristo. in secundo de Anima dicitur aptus recipere species sine materia, aër autem per sonum dicitur reddi sensibilis, vt idem Philosophus in calce secundi de Anima secundum sectionem Græcorum affirmat; nam in medio solùm Lumen, & per id colores deferuntur spiritaliter, vt in libro de Sensu visus patefeci. Demùm considero pro attinentibus ad Sonum, Vocem & Repercussionem non leuem esse dubitationem, num vox eadem vel sonus, primò productus à percutiente, à varijs audiatur, vel potiùs attingens uarios, uarius sit? Nam si est materiata qualitas, necessariò est uaria, quia idem numero non potest esse in distinctis subiectis, nec ualet accidens migrare ex subiecto in subiectum: ex aduerso si sonus est uarius, non id quod ego audio, alter audiret, nec audientes eam uocem audirent, quam profert loquens. Respõdens dico eam uocem partim esse eandem, partim distinctam: nam est eadem pro uoce repræsentata, est uaria pro repræsentante; est eadem longè, & pro prima productione, est uaria proximè ob varietatem aëris repræsentantis, ita tamẽ est uaria, ut sit imitatio, & imago primæ quæ eadem est. Et animaduertendum, quòd ex definitione Vocis elicitur, pisces carere uoce, cum careant respiratione, & solùm posse per branchias agitando aquam & aërem producere sonum quendam ut dixit Arist. in 2. de Anima 87. & distinctius in 4 de hist. Anim. cap. 9. Similiter coaxatio ranarum, & strepitus cicadarum, non respirantium, nõ propriè est uox, sed sonus uoci similis. Considerandum est, quòd ea quæ dixi de aëre producente, & deferente sonum, etiam uera puto de igne. Nã etiam in sphæra ignis posset produci, & deferri sonus, si cętera adessent, quæ pro soni productione requiruntur. Id tamen tribuitur aëri, tum quia in aëre & non in igne degunt animalia, tum insuper quia ignis est tanquam tenuis & depuratus aer. Vt uerò pertinet ad repercussionem soni, quæ dicitur Echo, considero primò illum repercussionis motũ perse fieri à producente sonum, ex accidenti autem à loco cõcauo adeò ut fiat à producente sonum per locum illum concauũ, ut in 8. Phy. 32. dixit Arist. de repercussione pilæ. Cõsidero 2. quod ea uocis repercussio partim potest dici Vox, partim solùm Sonus: per relationem ad loquẽtem est Vox: at quatenus per externum locum fit, solùm est Sonus, qui est imago uocis, ut etiã ea loquentis Psittaci solùm est uox, imago tamen orationis. Considero. 3. quòd dum fit Echo, præsertim apparet repercussio postremæ partis soni & uocis. Ratio est, quia non percipitur repercussio pręsente sono principali, ut potentiore, sed eo desinente, & forma postrema à subsequente non turbata distinctior seruatur.

Sonus etiã per aquam defertur.

An sonus sit spiritalis?

An sonus idem a varijs audiatur.

Sol.

Etiam in igne sonus potest produci.

RARVM, ET DENSVM.

DIVISIONES.

RARVM & Densum duplex est uel cęli, vt stella dicitur dē sior pars sui orbis, vel corporum mortalium. Insuper dum considerantur in mortalibus, adhuc sunt duplicia, uel enim considerantur in distinctis corporibus, uel in eodem: in distinctis ut dum dicimus, *Densum æternorũ* *Mortaliũ.*

Apparent rari nantes in gurgite vasto,

Et extenditur etiam ad relata ad tempus, ut dicimus Incẽsiones, & inundationes rarò fieri: Si uerò considerantur in eodem corpore, uel id corpus est simplex, ut ignis dicitur rarissimus: & terra dẽsissima; uel est mixtũ. Insuper Rarum & Densum mixtorum est duplex, uel enim prodit ex imperio Elementi densi, aut rari, ut Plumbum densum, spiritus rari sunt, uel ex positione partium, ut Spongia & Pumex rara sunt, Ebenum uerò densum. Diuisionem hanc explicauit Ammonius in prædicamento Qualitatis. Eandem nouit Hippocrates: & in lib. de Elementis propriè Rarum id esse dixit, quod multis, & magnis meatibus est præditum, ut Pumex & Spongia; alterum uerò dixit esse Rarum per metaphoram, propriè autem dici laxum & solutum. *Amonius.* *Hippocrates.*

DEFINITIONES.

RARVM, sumptum pro denotante pōsitionem partium, est corpus, ex cuius partium positione uarij prodeunt meatus, tenuiore corpore pleni. Densum ei oppositum est corpus, cuius partes adeò iunctæ sunt, ut alieno corpori aditum non præbeant. Rarũ pro qualitate sumptum est id corpus, quod parum materiæ, & multum extensionis includit. Insuper Rarum est corpus tenue, & ob id laxum & leue. Densum est corpus crassum, & solidum, quod ob id graue est. Insuper Raritas est qualitas, ad tactum pertinens, eiq; cedens, sequens calorem præsertim cum sicco, mox cum humido aëreo iunctum, per quam corpora redduntur leuia. Densitas est qualitas, tactui obsistens, sequens frigus, præsertim cum sicco, mox cum humido aqueo iunctum, per quam corpora redduntur grauia. Sic putarem Rarum & Densum debere definiri. Nonnulli ita definiunt, Rarum est ampla magnitudo corporis sensibilis, quæ magnitudini paruæ & densæ æqualem includit materiam. Densum est magnitudo exigua corporis sensibilis, quæ amplæ magnitudine, sibi oppositæ, æqualem habent materiam. Quæ definitiones multiplici ratione mihi non satisfaciunt, & præsertim quia considerare ualemus densitatem, & raritatem corporum, non considerata magnitudine eorum. *Rarũ per situ.* *Pro qualitate.* *Opinio quorundam.*

ANNO-

DE RERVM DEFINITIONIBVS

ANNOTATIONES.

Soluitur controuersia. CONSIDERO primò, quòd cum duplex sit Raritas (vt apparuit) ea ad duplex prædicamentum redigitur, nimirùm, ad situ partium, & ad qualitatem, ideò Arist. non secum pugnat, cum aliquando dicat denotare positionem partium, ut in prædicamẽto Qualitatis, aliquando verò eam numeret inter qualitates, ut in 2. de Partibus Animalium cap. 1. immo in 8. Phy. 55 Rarum & Densum statuit principia omnium passionum inquiens, amplius autem passionum omnium principium est raritas & densitas. Et Auer. in 7. Phy. con 11. inquit, Vltimæ differentiæ corporum sensibilium vt sensibilia, sunt qualitates. Rarum & Densum sunt huiusmodi: Quare sunt qualitates. *2. controuersia.* Considero secundò, in dictis Arist. & Auer. duplicem apparere controuersiam. *Prima.* Vna est, quia Arist. nonnunquam ait Raritatem & Densitatem esse principia omnium passionum, ut in 8. Phy. 55. inquiens, Principia omnium passionum sunt Densitas & Raritas, nam Graue, Leue, Molle, Durum, Calidum, & Frigidum, densitates quædam esse videntur, & raritates: raritas autem & densitas sunt congregatio & secretio, secundum quas interitus substantiarum dicitur; Aliquando verò negat esse qualitates primas, & ait Calidum & frigidum antecedere, Rarum autem & Densum sequi. Altera controuersia est, quia Auer. nonnunquam ait eas esse qua- *Secunda.* litates, vt patuit, aliquando uerò quantitates, nam in 4. Phy. 84. ait, Manifestum est, quòd rarum & densum sunt contraria in quantitate, & mox in con. 85. inquit, rarum & densum non attinere ad essentiam quantitatis. Dicuntur itaq; quantitates, non quantitates; primæ qualitates, non primæ; anteceden- *Sol. primę. Zimara.* tes, & subsequentes: quæ pugnam conspicuam includunt. Ordiens à prima controuersia, Zimara inquit, Aristotelem ex propria sententia numerare densitatem & raritatem inter qualitates sequentes primas: ex sententia autem veterum, putantium cuncta gigni per condensationem & rarefactionem, & statuentium rarum & densum principia rerum, dicere antecedere, & esse principia omnium passionum. Quæ solutio mihi non satisfacit; tum quia *Plato.* etiam Plato in 10. de legibus ait magnum & paruum, rarum & densum antecedere, sequi autem passiones alias, ut calidum, frigidum, humidum, siccum, & reliquas, quamuis non putârit esse principia rerum ut ueteres; tum insuper quia Arist. nedum absolutè ait rarum & densum esse principia aliarum passionum sed etiam ratione id confirmat, ut patet. Præterea Arist. in 8. Phy. 77. ait, densari & rarefieri esse motus secundum locum, & in 7. Phy. 10. ait, Omnem motum secundum locum esse congregationem, & disgregationem; quare cum motus se- *Sol. propria.* cundum locum antecedat & sit origo quædam passionum; etiam rarum & densum antecedent. Propterea soluens controuersiam dico, Rarum & Densum dupliciter considerari, primò ut collocantur in ordine qualitatum, secundò vt referuntur ad quantitatem. Prima consideratione sequuntur quatuor qualitates primas, ut dicitur in 2. de Partibus Animalium. Vt verò referuntur ad internã quantitatem, cum qua intimiùs nectuntur, vt dicitur in 4. Phy. con. 84. dicuntur antecedere, vt quantitas antecedit qualitatibus. Addo secundò Rarum & Densum cõsiderari dupliciter primò vt sunt qualitates, secũdò vt denotant positionẽ partium. Dum considerantur tanquam qualitates, & cum relatione ad alias qualitates dicuntur sequi primas. Vt verò denotant positionem partium, & con

side-

ſiderantur pro abſoluta origine,ſic ſequuntur motum loci partium, & per eas producuntur aliæ qualitates. In 8. Phy. 55. Philoſophus conſiderat quomodo motus loci primus ſit,& antecedat alterationi & alijs, & quamuis in eo cốt. legatur,ortum & interitum fieri ſecretione & concretione, quæ fecit ſententia Veterum,tamen etiam id eſt uerum ex ſententia Ariſt. quatenus generatio non fit ſine motu ſecundum locum,per quem fit ſecretio,& concretio, nec non eductio ex potentia materiæ,hinc in 8.Phy.77.dicitur denſari, & rarefieri eſſe motus ſecundum locum; & ex his patet compoſitio primæ controuerſiæ. Altera erat,quia Rarum & Denſum nonnunquam dicuntur opponi ſecundùm quantitatem,nonnunquam uerò ſecundum qualitatem. Reſpondeo diſtincta conſideratione vtrunq; eſſe uerum:ex ſe enim qualitates ſunt: dicuntur autem opponi ſecundum quantitatem ex parte terminorum, quia eadem materia iuncta cum denſitate exigua eſt,cum raritate uerò magna. Inſuper Denſum includit plus quantitatis ſequentis conditionem materiæ,& non fit noua quantitas, niſi addatur noua materia. Conſiderandum tertiò,quòd Denſum,Durum, Graue, Quieſcens, & Frigidum magna ex parte connectuntur: vt ex aduerſo Rarum, Molle,Leue,facilè Mobile,& Frigidum,nam vnum pro altero conducit. Hinc Ariſt.in 4.Phy.84.ait,Eſt autem ipſum quidem denſum;graue; rarum autem leue. Dixi tamen id eſſe verum magna ex parte,ſequens Ariſtotelem, qui mox in cont.85.ait,diſſonant autem graue & durum in plumbo & ferro, quamuis graue & durum denſa eſſe videantur,nam plumbum eſt denſum, & graue, non autẽ durũ. Conſidero quartò,Rarum & Denſum non competere corpori mathematico,ſed corpori Phyſico,cùm mortali,tùm ęterno.Non competit Mathematico,quoniam Mathematicus cæteris derelictis,ſolam conſiderat quantitatem, vt dicitur in 11.Met.hinc figuræ,ab eo conſideratæ, non dicuntur raræ vel denſæ.Solùm dicere poſſumus Rarum & Denſum conſiderari poſſe conſideratione mathematica,abſtrahendo à conditionibus corporis Phyſici,propria forma præditi,veluti in 4.Phy.dum Ariſt.loquens de motu per medium, conſiderat id eſſe vel minus, vel magis rarum in infinitum, quod ſolùm fieri poteſt imaginatione Mathematica,ut conſpicuum eſt. Sic etiam dum meteria prima conſideratur ſeorsùm à forma,ea nec rara,nec denſa eſt,cum ſit qualitatum expers. Materia autem Cęli,quia eſt corpus actu,eſt denſa, & rara, quæ denſitas & raritas,non ſequitur quatuor primas qualitates,ſed naturam,& conditionem ſubiecti:Et ſecùs ſe habet ac in mortalibus,nam in his denſiora, ut terra,viliora ſunt:in cęlo autem ſtella,quæ dicitur denſior pars orbis, etiam eſt præſtantior. Ratio eſt,quia non variatur forma,vt immortalibus & plus eſſentiæ cęli includit. Conſidero quintò, in mortalibus raritatem & denſitatem partim eſſe qualitates ſecundas,partim ſimiles eis:ſunt qualitates ſecundæ in mixtis,quia ſequuntur temperamentum eorum: in Elementis autem non propriè ſunt qualitates ſecundæ, ſed ſimiles eis, quia non ſequuntur temparamentum, ſed connexionem duarum primarum qualitatum. At in cęlo neutro modo ſunt qualitates ſecundę,cum nullam aliam ſupponant.

Sol. ſecundæ.

Mathematica nec rara nec denſa.

Denſitas Cęli.

NECES-

NECESSARIVM.

DISTINCTIONES.

VARIAE Necessarij circunferuntur diuisiones. Necessarium enim vsurpatur dupliciter; uel pro uerè necessario, vt Cęlum moueri; vel pro eo quod difficile est aliter se habere vel saltem bene aliter se habere, ut pro scientias addiscendis necessaria dicitur Logica, & pro longo itinere equus. Insuper verè Necessarium, vel est incomplexum, vt Mors, vel complexum, ut hominem esse animal. Prætereà diuiditur Necessarium in 5. Met. cont 6. in præditum causa, vt cęli motus, & carens causa, vt Deus. Diuiditur etiam ab Auer. in 1. Post: con. 44. in necessarium secundum essentiam, quod verè est necessarium, ut quòd homo sit rationis particeps, & necessarium ex accidenti, ut dum una affectio de altera sibi iuncta dicitur, ue luti risibile dicitur capax scientiæ, vel accidens inseparabile de subiecto, vt coruus dicitur niger. Ego hunc in modum vnà cum Arist. puto diuidendum Necessarium, dicendo id esse duplex, unum in signo, alterum in re: Necessarium in signo est id enunciationum: Necessarium in re est duplex, vnum ex suppositione, alterum absolutum. Et hoc est duplex, uel coactum, ut necesse est lapidem tendere sursùm, dum à proijciente impellitur, vel secundum naturam, ut lapis eleuatus, & non detentus necessariò descendit. Ita diuiditur Necessarium ab Aristotele in secundo Post. cont. 12. Insuper Necessarium secundum naturam, vel est diuinum, uel rerum mortalium: si Diuinum, vel est ex se, adeò vt non pendeat ex alio, ut Deus, vel ex alio pendet, vt competentia Intelligentijs & Cęlo: Si fuerit rerum mortalium, uel sequitur formam, ut homo necessariò est risibilis, uel materiam, ut mors, senium, imbecillitates, & similia. Cætera necessaria non euertunt finem, ut hoc postremum est id necessarium absolutũ, quod finem destruit, quo Emp. Democritus, & multi Veterum putârunt opera Naturæ fieri, quorum sententia primò à Platone, mox ab Aristotele in calce secundi Phy. reiecta fuit. Demùm his distinctionibus addo, Necessarium esse duplex, vel pro esse, & hoc propriè est necessarium, vt necesse est Deum esse, uel pro non esse, & hoc est id, quod dicitur impossibile esse, ut necesse est inane non esse. Nam ut patet ex libro de Interpretatione impossibile, & necessarium sumpta modo contrario idem denotant, ut necesse est esse, impossibile est non esse, & necesse est non esse, impossibile est esse.

Integra diuisio Neceß.

DEFINITIONES.

Emp. DESCRIBEBATVR Necessarium ab Empedocle (referente Simplicio in 8. Phy. 15.) hunc in modum,

Est necessitas Deorum signum uetus.
Aeternum, amplo iureiurando suo robore stans.

Auer. Auer. in 2. Phy. 88. inquit, Necessarium simpliciter est, id quod non est propter suam actionem, sed actio eius est propter ipsum. Quæ descri-

puo

ptio uera est de necessario sequente materiam. In disputatione tertia contra Algaz. in Sol. 14. dubij inquit, Necessitas est affectio in ente necessario nil superaddens nisi remotionem causæ, adeò vt non sit quid additum super esse extra animam. Ex sententia Algaz. (referente Auer. in disp. 7. in sol. 4. dubij) Necessitas denotat negationem, hoc est non habens causam; & cum negationis non detur causa, etiam necessarij causa non datur. Auer. ei aduersatur primò, quia etiam negationis ait dari causam, secundò addit in disp. 8. in sol. 2. dubij. Quod dixerat Algazel necessarium esse id, quod non habet causam agentem, uerum non est: Necessarium enim est denominatio affirmatiua, sequens naturam, quæ nullam causam agentem extra se habet. Ex his eliciuntur descriptiones ex sententia Algaz. nec non Auer. Dicamus itaq; Necessarium, uniuersè sumptum, est id, quod ita se habet, ut secùs se habere nequeat. Necessarium ex suppositione est id, quod cum absolutè ualeat secùs se habere, ui tamen suppositi, uel antecedentis uel sequentis, uel comitantis secùs se habere nequit: Antecedentis, ut si terra nunc interponitur, necessariò nunc Luna eclypsatur: Sequentis, ut si homo uolat, necessariò habet alas: Comitantis, ut si animal est capax disciplinæ, necessariò est risibile. Necessarium independens est id, quod cum absolutè sit tale, non ex alio, sed ex sua conditione habet, ut tale sit. Huiusmodi ea sunt, quæ Deo competunt. Necessarium pendens est id, quod cum semper sit tale, id tamen non ei competeret, nisi in aliquo genere causæ penderet ex alio. Huiusmodi sunt ea, quæ competunt motoribus Celorum, sub Deo positis, & nonnullis contentorum sub eis.

Algaz.

Veriores definitiones.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò Necessarium non esse uniuocum, sed ab uno; & ita ab uno, ut primum sit causa necessariæ conditionis aliorum: & huiusmodi est id necessarium, quod refulget in Deo. Ex qua consideratione elicitur resol. eius difficultatis, quæ est, num Necessario competat causa? Cum enim necessarium sit ab uno, uel eius nomine denotamus primum, quod propriè, & præsertim denotari dicitur, ut elicitur ex principio quarti Metaph. sic approbanda est sententia dicentium, Necessarium carere causa. At si denotamus uniuersum genus necessariorum, dicendum cum Arist. in quinto Metaph. dari Necessarium carens causa, & præditum ea. Considero secundò, aliquid carere causa contingere dupliciter; uel ita ut nulla adsit causa media, per quam prædicatum competat subiecto; uel absolutè ut ex nulla causa pendeat. Deus absolutè ex nulla causa pendet. Quòd autem homo sit animal rationis particeps caret causa, ob quam prædicatum competat subiecto: non enim ob aliud, sed solùm quia est homo, est rationis particeps, ut docet Philosophus in 7. & octauo Met. habet tamen causam, à qua pro esse absoluto producitur, & cuius gratia talis est. Considero tertiò, Necessario opponi Impossibile, & id Contingens, quod potest esse & non esse. Inquit Marsilius Fic. in Plotinum de Fato cap. primò, Necessario secundum materiam opponi Impossibile; secundum formam uerò Contingens. At non uideo, quomodo Necessarium, & Contingens secundum materiam præsertim non opponantur, cum materiæ de quibus est sermo statuantur tres, Necessaria, Impossibilis, & Contingens. Potius dicerem Necessarium & Impossibile opponi tamquam extrema, inter quæ mediat Contingens: maximè enim

Necessarium non est uniuocum.

Quo Necessario opponitur Impossi. & Contingēs è Mars. Fic.

S à Ne-

à Necessario distat Impossibile, inter quæ mediat Contingens. Insuper alia consideratione nectere possumus Necessarium & Impossibile, quia vtrumq; necessitatis est particeps, vnum vt sit, alterum vt non sit: ac ita vtrisq; iunctis opponitur Contingens, omninò expers necessitatis. Tertiò, cum Aristo. in lib. de Interpretatione dicere possumus, Necessarium & Impossibile esse contraria, quia sumpta modo contrario idem significant. Necessarium uerò & Contingens esse contraditoria, quia idem denotant addendo contradictionem, ut necesse est esse, impossibile non esse, non contingit non esse.

POSSIBILE, SIVE CONTINGENS, ET IMPOSSIBILE. DIVISIONES.

Possibile actu & potestate.

POSSIBILE siue Contingens, uel est ex suppositione, ut si homo haberet alas, posset uolare, vel simpliciter: & hoc diuiditur ab Arist. in lib. de Interpretatione, quia uel est actu, uel potestate. Possibile actu est id, quod cum sit, dicitur posse esse: & hoc est duplex, uel enim ex sui natura & conditione est rei insitum, uel contingenter adueniens. Insitum uel est æternorum, ut sol potest Lucere, & cęlum moueri, uel mortalium, ut ignis potest calefacere. Contingenter, autem adueniens, ut homo potest ambulare, dum ambulat. Ex aduerso Possibile potestate triplex est; Vel enim est potestate cum necessitate iuncta, ut Sol cras oriri potest; Vel iuncta cum impedimento, & est non repugnantia ex parte alicuius, ut talpæ quatenus est animal non repugnat uidere; & continuo ut continuum est nõ repugnat diuidi in infinitum; Vel potest ad actum redigi. Et hoc, uel est positum in successione, ut numerus potest crescere in infinitum, uel est simul. Quod triplex est, uel enim est contingens rarò, uel æquale, vel frequenter. Arist. sub initio primi Priorum tria refert contingentium capita, inquiens, Contingere dicitur & Necessarium, & non Necessarium, & Possibile. Per Contingens necessarium denotat, cùm id quod necessariò actu est, tùm id quod cum non sit, necessariò erit. Per non necessarium verò id quod est actu, at non necessariò. Per possibile demùm quod cum non sit, contingenter potest esse. Insuper diuidi potest Possibile, quia vel tale est per naturam, ut ex materia res gigni possunt, vel per absolutam Dei potentiam, vt ex nihilo cuncta fieri. Demùm, vel est coactũ, ut lapis potest tendere sursùm, uel secundum naturam, ut graue potest descendere. Similiter Impossibile est multiplex. Vel enim est ex suppositione, ut impossibile est auem uolare si caret alis. Vel absolutè, ut impossibile est hominem uolare: item Impossibile est aliquid esse, ut Inane, & non esse, ut Deum. Tertiò diuiditur ab Alexandro in 1. Nat. q. cap. 18. quia uel est Impossibile absolutè, vt lapidem uidere; vel ob impedimentum, ut hominem captum oculis uidere. Præterea quartò diuiditur Impossibile, quia uel est tale omninò, uel est difficile, ut seni tendere Romam sine equo. Præterea, Vel est Impossibile absolutè, & ex sui conditione, ueluti quòd pugnam includit ut esse hominem sine anima rationali: & hoc sub potentiam non cadit. Vel non absolutè sed alicui, ut surdos audire. Demùm aliud est impossibile absolutè, ut puerum uolare, aliud pro tunc, ut puerum generare.

Tria capita Contingentium.

Impossibilis diuisiones.

DESCRIPTIONES.

POSSIBILE est id, cui ex sui conditione nil repugnat, ut fit. Insuper Possibile est id, cui competit causa apta id producere. Tertiò Possibile est id, cui competit subiectum, ex quo fit aptum fieri, uel in quo fit aptum recipi. Quartò Possibile est id, cui non adeò aduersantur impedimenta, ut omninò prohibeant illud esse. Quintò Possibile est id, quod non est impossibile ut fit, uel fiat, uel factum fit. Demùm Possibile contradistinctum à Necessario est id, cui nec esse, nec non esse repugnat. Impossibile est id, cuius conditioni repugnat esse, & ob id caret causis, per quas fit, uel esse ualeat.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò Possibile & Contingens pro eodem usurpari, ideò & diuisiones eædem & definitiones utrisque competunt. Contingens tamen magis propriè dicitur de eo possibili, quod excludit necessarium: & Possibili magis congruit Priuatio, dicendo impossibile, quàm contingenti. Considero Secundò iure traditas esse sex descriptiones Possibilis. Nam uel inspicimus conditionem propriam rei possibilis, & oritur prima descriptio. Vel causam eius efficientem, & oritur Secunda. Vel materiam siue subiectum eius, & oritur tertia. Vel externa impedimenta, & oritur quarta. Vel eius negationem & oritur quinta. Vel demùm id consideramus, ut contradistinguitur à Necessario, & oritur sexta. Considero tertiò, materias, siue res de quibus loquimur, iure esse tres, Necessariam, Impossibilem, & Contingentem. Nam Impossibile, & Necessarium maximè distant, & sunt tanquam contraria inter quæ mediat Contingens; excludens Impossibile, & Necessarium & si Possibile usurpetur latè dicemus rem uel posse esse, uel non posse esse: Si potest esse, uel id ei competit cum necessitate, uel sine. Considero quartò quòd Auic. definiens possibile, & necessarium, id faciebat per externa impedimenta, dicendo, Contingens ut plurimùm est id, cui raró competunt impedimenta: Necessarium uerò est id, quod caret impedimentis. Auer. in 2. Phy. 48. euertit eius sententiam, inquiens, differentiam contingentis à necessario non in hoc esse positam, quia contingenti extrinsecùs competunt impedimenta, non autem necessario ita enim cuncta sui natura & conditione essent necessariò, sed dicendum contingens esse id, in cuius natura est potestas, ut eius actioni competere ualeant impedimenta & ob id impedimenta inueniuntur, adeò ut antecedat propria conditio possibilis, & necessarij: impedimenta uerò sequantur, uel non sequantur. Componi posset hæc lis dicendo descriptionem esse duplicem, unam per principalia, & priora naturâ, alteram per signa, & priora nobis. Auer. considerauit primum & principale genus descriptionum. Auicenna uerò sequutus est secundum. Considero quintò putasse

Cõtingẽs, & Possibile reciprocantur.

Cur impossibile sex modis describatur?

Cur materiæ eloquutionũ sint tres?

Sententia Auic.

Auer.

Concilium

An idem relatū ad uaria possit esse necessariū & possibile? Auicennam idem relatum ad uaria posse dici Necessarium, Possibile ut plurimùm, rarò & Aequale; damnatur autem ab Auer. in 2. Physic. 48. quia si id esset, non erit aliquid contingens uarium ex sui natura, sed solùm per relationem; Similiter neq; necessarium, quod derelinquit tamquam conspicuè absurdum. At Auer. secum pugnare uidetur, quia in 12. Metaph. 41. motum cęli ait ex se esse contingentem; necessarium autem ab alio. Similiter ex eiusdem opinione idem, relatum ad materiam, est æquale, datur enim patiens æquè se habens ad opposita; relatum verò ad agens est ut plurimùm, uel rarò: sic attingere scopum sagittario perito competit ut plurimùm, imperito uerò rarò. *Controuersia in Auer. Sol.* Respondeo Necessarium & Possibile esse duplex, uel absolutè & ex sui conditione, uel cum relatione ad uarias causas, & conditiones. Id quod absolutè & sui conditione est necessarium uel contingens, re uera, & propriè est tale, & Auer. eos damnat, qui solùm ea considerant cum relatione, at non ob id inficiatur idem relatum ad uaria posse dici uarium. Præterea, dum dicimus mortale ex se, non posse ab alio reddi æternum, id uerum est de illis, quibus competit proprium æuum, non autem de illis, quæ ab alio habent ut sint, & seruentur, ueluti se habet de motu ut alibi latiùs patefeci. Qua de re minus rectè puto sensisse Balduinum. Considero sextò, putasse Algazelem Potentiam non exposcere subiectum reale, ut etiam impossibile id non exposcit. *Sententia Algazelis Auer.* Aduersus quem disputans Auer. in 1. dispu. in fol. 22. dubij inquit, sermonem eius esse Sophisticum, quoniam cùm Possibile, tùm Impossibile subiectum exposcunt, nam cum opposita exposcant subiectum, & ea sint opposita, iure subiectum exposcunt, ut patet exemplo Vacui, & Pleni, quæ in eodem, nimirùm in loco considerantur. *Concilium.* Sed animaduertendum, quòd Algaz. considerauit Potentiam & Possibile pro obiecto cum relatione ad uires Dei, cui subiectum non competit: quæ à Scoto dicitur potentia obiectiua, qua res dicuntur posse à Deo creari. Auer. uerò eam retulit ad naturam, cuius potentia subiectum exposcit, cum per naturam nil sine materia gigni possit. *Quomodo in æternis esse et posse non distinguātur* Considero Septimò, sententiam esse Aristo. in 3. Physic. 32. in æternis esse & posse non distingui, quoniam ea quę esse possunt, etiam sunt. Fundamenta eius sententiæ duo sunt. Primum, quia (ut legitur in 2. de cęlo, Mundus quàm optimè se habet) & ob id cuncta, quæ pro eius perfectione requiruntur, in eo reperiuntur. Alterum est, quia Mundus ex Deo pendet, ut legitur in 12. Metaph. 38. Deus autem (ex sententia Aristote. operatur secundum quandam naturæ necessitatem) ideò quæcunq; ex eo pendere ualent, necessariò pendent, & ob id in æternis, quæ ex Deo proximè pendent, esse & posse non distinguuntur. Et quoniam hoc secundum fundamentum est falsum; ideò rectiùs cum Theologis dicimus, multa potuisse esse, quæ tamen non sunt, ut ualuisset Deus hunc Mundum creare maiorem, ac etiam alium creare ei similem; quem non creauit. Solùm dicere ualemus, quod esse & posse per potentiam ab æterno prædefinitam non distinguuntur. Considero octauò, Auer. in 2. Physic. 48. negasse dari Potentiam agentem æqualem, quia ex ea non prodiret actio, & esset inanis; & solùm concessisse Potentiam patientem æqualem. *An ab æquali proceat actio?* At aduerte posse dari etiam Potentiam agentem æqualem, primò considerando libertatem humani arbitrij, Secundò considerando contingere posse, ut duo obiecta opposita æquè exciteut appetitum, ac ita æquè mouent, ut duo uaria alimenta. Et quando dicimus ab æquali non prodire actionem, id uerum est secundum se, quia nulla est ratio, ut unum potiùs quàm alterum fiat; falsum autem est ex accidenti, ut rectè etiam nouit & explicauit Simpl. in 2. Physi. Considero nonò, sententiam esse Arist. in sexto Metap.

cap. 2.

cap. 2. in 9. Metaph. cont. 17. & in calce 4. de Gen. animalium, Contingentiam ducere ortum ex materia. Ideò Auer. in 1. Physi. cont. 60. inquit, si non daretur materia, non daretur contingentia. Quæ sententia est vera de potentia passiua, relata ad Naturam, non de obiectiua relata ad Deum, per quam varia dicuntur posse creari. Demùm considero, quòd cum omnia pendeant ex principio absolutè necessario, cuncta etiam seruant conditionem aliquam Necessarij, adeò vt etiam de Contingente dicere valeamus necessitatem includere. Quod ei competit dupliciter. Primò absolutè ex parte generis, nam dicimus in vniuerso necessariò contingentiam reperiri, cum in eo necessariò reperiatur materia, quæ est fons, & origo eius. Secundò ex suppositione, quia de omni eo quòd est, quando est, rectè dicimus, quòd necessariò est, vt dicitur ab Aristo. in lib. de Interpretatione.

Contingentia ex materia oritur.
Cuncta seruant conditionē quandam necessary.

MONSTRVM.

DIVISIONES.

MONSTRVM est conspicuus egressus ab Ordine, & Lege communi, adeò vt, ob nouitatem admirationem aliquã pariat. Vsurpatur Monstri nomen, vel per metaphoram, vel magis propriè. Quod vt distinctiùs pateat, ita dicendũ puto. Monstrum vel consideratur in attinentibus ad Animum, vel ad corpus: & in vtrisq;, vel est egressus in bonũ, vel in malum, Veluti vitia viri maximè vitiosi monstra dicuntur: Hinc Hercules, cum vitia superasset, dicitur domuisse Monstra: Similiter qui supra communem hominum conditionem virtute ornati refulgent, Monstra inter viros probos dici possunt. Loquendo autem de attinentibus ad corpus egressus vel in malum vt viri deformes, vel in bonum vt valdè formosi Monstri nomine designantur. Hinc Franc. Petrarcha Lauram suo iudicio formosissimam inter mulieres Monstrum nuncupabat. Communiùs tamen Monstri nomine denotatur egressus in malum: Hinc Feræ homini aduersæ, ab humana conditione longè recedentes, immania Monstra dicuntur. Insuper Monstra vel sunt Naturæ, vt fœtus duorum capitum, & Polyphemus monoculus à Virgilio dicebatur,

Monstrum egressus legum.
Monstrum animi.
Monstrum corporis.
Formosa Laura Mõstrum.

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,

Vel est monstrum artis, siue per imitationem, siue per errorem, siue per Artis præstantiam, vt statua exactissimè à Polycleto formata, quæ (referente Galeno) erat mensura cæterarum: similiter per insertionem variorum surculorum in eadem Planta constituitur Arbor, pariens fructus varios. Vel tertiò Monstrum efficitur violentia, vt per nasi, & labiorum incisionem, vel per incisionem neruorum crurium monstra formantur. Vel quartò per fortunam & casum, vt monstrum est, quod rusticus euadat Rex, & frequenter casu in visceribus terræ producuntur variæ animalium imagines, vel deformes, vel formosissimæ. Quintò per assuetudinem & studium, quo viri redduntur vel summoperè improbi, vel supra communem conditionem probi. Sextò gigni possunt monstra per Dei potentiam, vel deformia ob pœnam, vt

Monstra Naturæ.
Artis.
Violentiæ.
Fortunæ.
Assuetudinis.
Dei.

Nabuchodonafor Rex uile monstrum euasit, uel supra naturæ uires eleuata, ut creatio & miracula relata ad uires naturæ per eminentiam dici possunt monstra, ueluti etiam uniuersæ terræ inundatio: Similiter homo à Natura & Deo mira arte formatus, à Platone dicitur monstrum, præditum facie Virginis, denotante Mentem, & caudis innumeris uariorum iumentorum, denotantibus sensuum appetitiones.

Homo mõstrum.

DEFINITIONES.

Arist. Auer.

MONSTRVM ex sententia Ari. in 4. de Gen. anim. cap. 3. & 4. est id, quod est præter Naturam, & præter eam, quæ magna ex parte fit. Auer. in 2. Physi. 82. ait, Monstrum est aliquid per Naturę errorem productum. Insuper Naturæ Monstrum est opus à natura præter institutum productum, extra semper & frequenter, ob deprauationem, copiam, uel inopiam materiæ. Præterea, Monstrum est conspicuus recessus ab instituto naturæ, ob materiæ impedimenta. Insuper latiùs, Monstrum est conspicuus egressus communium legum, operantium, admirationem excitans. Ex Arist. in 4. de Gen. animalium c. 3. Monstrum est id, quod non est simile suis parentibus.

ANNOTATIONES.

Monstri definitiones uarię. Natura gignens monstrat, deserit & seruat leges. Sententia Manichæorum. Euersio. Cur feræ dicantur mõstra? Auaritia Fraus. Vnde prodeant monstra naturæ?

CONSIDERO primò, quòd cum Monstri nomen uario modo usurpetur, etiam modò uario debet definiri. Sat est noscere quid Monstri nomine denotetur: definitio enim id explicat, quod per nomen denotatur, ut dicitur in proœmio Phy. con. 5. Considero Secũdò, quòd Natura gignens monstra, Leges egreditur, sibi ab æuo Dei prouidentia præscriptas, ita tamen eas egreditur, ut egrediendo seruet, quia per Naturæ legem semper eorum quæ fieri possunt, id efficit quod melius est. Considero tertiò, sententiam fuisse Manichæorum, & quorundam Stoicorum in uniuerso duo esse Principia prima, ni mirùm Deum, & Materiam, ex quorum primo prodeant bona, ex altero mala & monstra. Quæ sententia duo errata includit. Primum, quod ambo sint absolutè prima: nam Materia ex Deo pendet. Alterum, quod materia ex se sit causa mali, cũ solùm ex accidenti eius causa sit. Consideo quartò, quòd cũ Monstrum sit egressus legum, & præsertim lapsus in deterius, iure per relationem ad humanam conditionem, feræ ei aduersæ, ut Tigres, & Leones, Vrsi & similes dicuntur Monstra Naturæ, & ob eandem rationem Vitia deterrima, & uiri Feri, monstra appellantur, cum maximè recedant à lege, & conditione propria hominum. Sic Auaritia à Dante Harpyæ imagine in inferno cant. 13. denotatur, & imagine Gerionis cant. 17. denotatur Fraus. Quæ monstra animi sunt longè ferociora, & deteriora monstris Naturæ, & ob id uerè est fortis, & Heros, qui hæc monstra domat; & hic dicitur uicisse seipsum. At uaria occurrunt dubia. Quæritur primò, unde ortum ducant Naturæ monstra? Breuibus dico, Monstra consistere, uel in diminutione, uel in additione, vel in peruersione, & ortum ducere partim ab agente, partim à recipiente: Ab agente, vel per intensionem, vel per remissionem, vel per deprauationem tempera-

menti,

menti, & instrumentorum: A' recipiente verò vel ob inopiam materiæ, vel ob copiàm, vel ob deprauationem. Absolutè tamen, loquendo de monstris, magis proprиè sumptis, labentibus in deterius, ea dicuntur oriri ex materia, quia in materia consideratur copia, inopia, ac etiam deprauatio quælibet, cum ea nõ sit sine materia.

Monstra prodeunt ex materia.

Quæritur secundò, An gigni possint monstra, constantia ex partibus animalium distinctæ speciei, vt dicitur de Centauris, Hircoceruis, Harpiys, Sirenis, Satyris, & similibus? Mouit hanc difficultatem Arist. & in 2. Phy. declarans naturam operari propter finem, negat id contingere posse, nam si id eueniret in Animalibus, longè magis contingeret in Plantis: at in Plantis ait nõ contingere. Insuper in 4. de Gen. Animalium distinctiùs hoc considerans, inquit, Animal constare ex partibus animalium distinctæ speciei dupliciter posse intelligi, vel quod sint animalium distinctæ speciei intrinsecùs, & secundum essentiam; vel extrinsecùs, & secundum imaginem, & figuram, negat id contingere primo modo, concedit secundo, & iure id negat, nam unius vna est forma, & essentia: contingere tamen id potest secundo modo, ut dicimus nonnullos esse præditos facie simiæ: sic Mulus videtur præditus partibus nonullis Asini vt auribus, alijs Equi. Aduertendum tamen quòd cum in Plantis id non accidat per Naturam, fit tamen Arte per insertionem variorum surculorum in eodem trunco.

An gignãtur monstra ex partibus animalium distinctæ speciei.

Quæritur tertiò, An plura in Plantis gignantur monstra, uel potiùs in animalibus? Inquit Arist. in 2. Phy. quòd si producerentur Animalia constantia ex partibus animalium distinctæ speciei, longè magis deberent gigni Plantæ conflatæ ex partibus plantarum distinctæ speciei, vt Oleæ, & Vitis, & iure, quia materia Plantarum est rudior, & cum sint viliores, minus sunt curæ Naturę. Ex aduerso monstra, quę celebrantur & circunferuntur, Animalia sunt. Dicendum puto longè plura gigni monstra in Plantis, quàm in animalibus: ea tamen animalium esse magis conspicua, & maiorem parere admirationem.

An ĩ Plãtis plura, quàm in Animalibus gignãtur. Monstra.

Resol.

Ratio primæ partis huius resolutionis est quia materia, sine qua non fiunt monstra in Plantis est rudior & ineptior, & in earum generatione faciliùs varia & pugnantia connectuntur. Insuper minor in eis refulget Prouidentia, & cura, quàm in Animalibus. Ratio alterius partis est, quia leges, quæ seruantur in formandis animalibus, sunt eminentiores, & distinctiores. Insuper partes animalium sunt magis definitæ, eorumq; figura est exactior, & exquisitior, & propterea recessus à lege est magis conspicuus, & maiorem parit admirationem.

An Fęmina sit Monstra.

Quæritur quartò, An fęmina possit dici monstrum, cum sit mas lęsus, ut ait Arist. & sit recessus à principali instituto naturæ, & facultatis formantis? Pro solutione duo dicenda puto.

Sol.

Primũ est, ex fęmina prodire monstra. Alterum est, fęminam non absolutè, sed in parte posse dici monstrum. Prima conclusio ex eo patet, quia Monstra (ut apparuit) prodeunt ex materia: Fęmina autem ea est, quæ (ex opinione Arist.) proli præbet uniuersam materiam. Altera conclusio declaratur pro vtrâque eius parte, nam fęmina non absolutè est Monstrum, tum quia non raro, sed frequenter, & sine admiratione paritur, tùm insuper quia non absolutè est præter institutũ naturæ, cum sit necessaria pro conseruatione specierum: est tamen præter institutũ principale, quia non primariò, & tanquam finis, sed secundariò, & pro ulteriore fine optatur. Est itaq; fęmina aliqua ex parte monstrum, absolutè uerò, est fucina & Antrum unde prodeunt monstra: & ob id monstrorum monstrum dici potest, Quintò quæritur, An miracula possint dici monstra? Respondeo cum miracula ea, sint quæ prodeunt ex absoluta Dei potestate, supra uires Naturæ eleuata, possunt dupliciter considerari. Primò absolutè, & per relationem ad Deum, & sic non sunt monstra, quia non sunt præter leges eius, sed opera supra

An Miracula sint Monstra?

natu-

naturam eleuata. Secundò cònsiderari possunt cum relatione ad Naturam, & quia sunt præter leges & uires eius, ideò hac consideratione sunt monstra, rarò nobis apparentia, admirationemq́; parientia, & sunt recessus à legibus Naturæ per eleuationem, adeò ut non sint contra, sed supra Naturam. Sextò quæritur,

An Pygmæi sint Monstra?

AnPygmæi debeant dici, & iudicari monstra? Respondeo Pygmæum esse duplicem, vel hominem præter naturæ Leges paruum, & hic verè est monstrum inter homines, uel speciem animalis, ab humana specie distinctam, homini tamen similem, & huiusmodi Pygmæi cum gignantur seruatis Naturæ legibus, ut species aliæ, absolutè non sunt monstra. Solùm dici possunt monstra per relationẽ; dum considerantur tanquam homines destituti propria forma, & perfectione hominum. Dubitatur Septimò, An vniuersa aliqua species possit dici mostrũ?

An species tota possit dici Monstrũ.

Respondeo, speciem posse considerari dupliciter vel absolutè, vel per relationẽ ad hominem: dum consideratur absolutè, ut est species, non debet dici Monstrum, quia fit seruatis naturæ Legibus cum requisitis pro eius perfectione, & secundum institutum Naturæ. Si verò consideratur cum relatione ad hominem, dum ualdè recedit à conditionibus eius apprimeq́; ei fit aduersa, & nouitatem aliquam præsefert, dici potest monstrum, ut apparuit de immanioribus feris; quę Monstra appellantur.

Monstrum speciei & generis.

Et animaduertendum, quòd Monstrum considerari potest cùm in specie, iùm in genere: uerè monstrum est in specie, dum gignitur indiuiduum, præter institutum naturæ, & præter leges speciei eius. Monstrum uerò generis est egressus quidam & excessus specierum illius generis qui excessus uel est in deterius: sic Feræ dicuntur Monstra, uel in melius, ut homo dicebatur naturæ Monstrum, & monstrum inter animalia. Quæritur octauò, An per ægritudines gigni possint monstra?

An per ægritudinẽ gignantur monstra.

Respondeo, Monstra propriè sumpta, cum sint egressus legum debere referri ad aliquod Principale agens, quod præsertim Natura est, ac ita propriè dantur monstra Naturæ, secundariò Artis: ea autem quæ uel ægritudine fiunt, ut contractiones neruorum, uel uiolentia, ut incisiones nasi & labiorum, sunt monstra per similitudinem, & minus propriè dicta; propriè autem sunt uiolentæ deprauationes, & peruersiones. Nonò quæritur, An in cęlo gignantur Monstra? similiter non gignãtur in simplicibus corporibus?

An in cęlo fiãt monstra.

Respondens dico, Cęlum vsurpari dupliciter vel pro vero, vel pro apparente: in vero cęlo nil gignitur præter motum, semper consimilem: in cęlo autem apparente, nimirùm in aëre & nubibus, gignuntur monstra vel apparentia, quales sunt figuræ variæ Centaurorum, & variorum animalium apparentes in nubibus, per uarias radiorum fractiones, & repercussiones; vel fiunt per generationes quorundam Meteorum præter communes leges, & ordinem Naturæ, veluti dum copiosissimæ gignuntur Pluuiæ, Terram inundantes, vel grandines magnæ molis, vel exuperantes incensiones, ac ita etiam patet quomodo in simplicibus locum habeant monstra. Decimò quæritur, An monstra Naturæ fiãt casu, ut dum manui additur sextus digitus?

An monstra fiant casu.

Hac de re verba feci in sermonibus de Casu, nunc cum Arist. in 2. Phy. dico, monstra esse similia his, quæ fiunt casu; absolutè tamen non fieri casu; Similia sunt, quia gignuntur rarò, & pręter leges, ac principale institutum Naturæ, absolutè tamen non fiunt casu, quia causę non extrinsecùs occurrunt, & indefinitæ sunt, vt casu factorum sed sunt internæ & definitæ, ut copia, uel inopia, vel deprauatio materiæ, & ob id monstra cadunt sub scientiam. Ea tamen copia, vel deprauatio ex causis indefinitis prodire potest, ac ita in eius productione potest modo aliquo fulgere casus.

IMITA-

IMITATIO DIVISIONES.

IMITATIO non est Principale aliquid, sed principalioris repræsentatio,& quoniam repræsentatio est multiplex ideò multiplex etiam iudicari debet Imitatio. Quæ in quatuor gradus potest distribui, datur enim Imitatio Diuina super rationem; Humana & cum ratione;Sensitiua infra rationem; Physica sine cognitione.Imitatio diuina, ex sententia Platonis dici potest ea Idearum,quatenus sunt imitationes & participationes summi Boni,Pulchri,& Vnius; ob quam participationem Ideæ omnes dicuntur boniformes,pulchriformes,& vniformes.Mox mũdus dicitur imitatio Idearum,de quo cecinit Boëtius. *Imitatio non est aliquid Principale.* *Quatuor grad' Imitationis.* *Primus.*

Tu cuncta superno,ducis ab exemplo.

Et ex sententia Philonis, Idea hominis est imago Dei, Homo autem dicitur factus ad imaginem Dei:Ex opinione autem Arist. motores Cælorum, sub primo positi,sunt participatio primi,& mouendo emulãtur primum.Imitatio Rationalis ad hominem pertinet,nam homo per rationem valet cuncta imitari,aut contemplando,vt sapiens,aut agendo,ut Prudens,aut efficiendo,ut Artifex;Insuper imitari valet Diuina,& ob id à Platone dicitur Ludus Deorum;Humana ut homo hominem;& Collocata sub eo,ut dum homo imitatur cantus,& uoces auium.Sic dantur imitationes Poëtarum,& pictorum,de quibus dicitur Pictoribus, & Poëtis traditam esse facultatem cuncta imitandi. Insuper in omni hominum actione,effectione,& enunciatione refulget communis quædam imitatio,quatenus externa sunt imitationes affectionum,& notionum animi. Tertio consideratur Imitatio sentientium, expertium rationis, ut Pica, & Psittacus imitantur eloquutiones hominum,& una auis cantum alterius: conspicua autẽ imitatio refulget in Simia, quæ hominem imitatur, hinc præcipua eius species dicitur Gattus maymon,hoc est imitans nos.Quartum genus Imitationis dicebatur Physicum sine cognitione,& hoc est duplex,uel enim forma Physica est imitatio superioris gradus,uel sui consimilis;Imitatio superioris gradus ex sententia Platonis est dicendo formas Physicas esse imitationes, & participationes Idearum,& semina rationum:Ex sententia autem Arist.formæ Physicæ sunt participationes,& imitationes summi Boni,eminenter eas continentis,à quo omnibus tributum est esse,uel clarius,uel obscurius. Alterum genus Imitationis Physicæ est, dum dicimus formas Physicas esse principia generationis similium adeò ut genita dicantur imitationes generantium. Qua consideratione Arist. in 2.Phy. 28.formas nuncupauit exemplaria,quo loci (referente Simpl.)dixit Alexander formas dici exemplaria,ut sunt principia generationis similium. Sic datur Imitatio cum cognitione,& sine;cum ratione,& sine;cum Arte,& sine;spiritalis, & materiata. Missas facio particulares distinctiones Imitationum Poëticarum, cũ non sint præsentis considerationis. *Secundus.* *Tertius.* *Quartus.* *Alex.*

DEFINITIONES.

IMITATIO ex sententia Platonis in 10. de R. P. est imago, & ludus, ab essentia rei distans, eamq; leuiter repræsentans. Insuper est conformatio imitantis, ut ei licet, cum re quam imitatur. Præterea, est repræsentatio rei, quæ per imitationem exprimitur. Vel etiam est imago & expressio eius, cuius est imitatio.

ANNOTATIONES.

Pueri debent imitari honesta. Vera imitatio est iũcta cum ratione. Ad Visũ & Auditum pertinet. Imitatio est in gradu infimo. Cur ualeamus imitari uaria?

CONSIDERO primò, quod quisquis diu studiosè aliquid imitatur, modo quodam in eius transit naturam, & redditur particeps conditionum eius, propterea enitendum pro facultate ut Pueri honesta, & præclara imitentur: ita enim honesti & insignes euadent. Considero secundò propriè sumptam Imitationem esse iunctam cum ratione, & propterea homini propriè cõpetere: ea aut Ferarum, & Iumentorum, est potiùs umbra, quàm vera imitatio. Considero tertiò quòd loquendo de Imitatione ad sensus attinente, ea propriè locum habet in Visu, & Auditu. Nam imitamur & uoces, & ea quæ uisu percipiuntur: in cęteris sensibus non apparet, & iure nam hi sunt illi duo sensus, qui apprimè iuncti sunt cum ratione, & propriè disciplinas pariunt. Considero quartò, quòd Plato in 10. de R. P. uaria & pulchra profert de Imitatore, & Imitatione, & præter cętera inquit Imitatori tertium & infimum competere gradum. In primo enim reperiuntur essentiæ rerum, nimirùm Ideæ. In secundo formæ in materia apparentes, quæ sunt umbræ idearum. In tertiò Imitatio huiusmodi formarum, quæ est adumbratio earum. Ex quo infert Imitatorem procul à uero abesse: nam uerum in essentia includitur, à qua imitatio longè abest. Ex quo etiam patet ratio, cur Imitator unus ualeat imitari plura? Cum enim procul à re absit, & parum ac umbrã solam eius exprimat, facilè ei est multa adumbrare, & leuiter tangere. Hinc Poëtis facile est uideri se esse Astronomos, Cosmographos, & in uarijs uersatos, cum enim sint imitatores, sat eis est leuiter, & eminus uaria tangere, & adumbrare, ut Virgilius, Lunæ solisq; labores, & sic de cæteris. Veluti etiam Pictor uaria pingendo imitatur, quæ non intelligit, & propterea Imitatio potiùs est Ludus, quàm res seria. Et ob id homo, ut nititur diuina imitari, à Platone dicitur ludus Deorum. Considero demùm quòd esse spiritale, quo uaria repræsentantur, dici potest Imitatio quædam, ut Lumen est imitatio Lucis, Actiones colorum in sensum uisus, sunt imitatio colorum: & Species sine materia in sensibus receptæ sunt imitatio sensibilium: Species uerò uniuersales sunt imitatio intelligibilium: & humana Mens cuncta intelligẽs dicitur fieri omnia per imitationem.

Esse spiritale est imitatio.

OPINIO.

DIVISIONES.

OPinio vsurpatur dupliciter uel latè pro quouis iudicio, & assensione, uel iuncta cum ratione, uel seorsùm ab ea. Secundo pressiùs pro existimatione,& assensione, sequente rationem. Hanc distinctionem,(ut rectè considerauit Simpl.)indicauit Arist.in 3.de Anima 57.inquiens, Appetitum sensitiuum non habere opinionem illam, quæ est ex Syllogismo,indicans dari etiam opinionem sine Syllogismo, ut ea puerorum. Insuper Opinio cum ratione adhuc est duplex; uel sumpta latè pro omni assensione,rationem sequente,adeò ut ea etiam, quæ scimus, opinari dicamur;uel propriè magis pro existimatione,rationem probabilem sequente, in qua significatione Arist.in 2.de Anima 154.dixit sunt autem existimationis differentiæ Scientia,Opinio,Prudentia,& contraria his &c. *Arist.*

Diuidi etiam potest Opinio in veram & falsam; in rationi rectæ consentaneam,& aduersam;in constantem,& mobilem;in perniciosam, utilem, & neutram; in nouam,& ueterem;in cursu temporum approbatam,& reiectam; in dignam consideratione,& negligendam;& alijs consimilibus diuisionibus.In bonam & malam minus rectè diuiditur,cum pertineat ad cognitionem, non ad actionem;in qua propriè Bonum & Malum refulget.

DEFINITIONES.

EX sententia Platonis in Theęteto,Opinio est internus animi sermo ad seipsum, sine uocis strepitu. Insuper ex Sophista, Opinio est interna animi affirmatio,uel negatio,silentio; facta, & ex cognitione collecta. Præterea ex calce 5. & 6. de Rep. Opinio est interna animi affirmatio,uel negatio,de rebus uarietati obnoxijs silentio facta,ex cogitatione collecta. Insuper ex eodem sexto de Rep. Opinio est cæca animi interna assensio,cogitationem sequens. Dimisso Platone,sequens Aristotelem dico, Opinio latè sumpta est interna animi assensio,siue approbatio iudicij prænotarum rerum. Opinio pressiùs sumpta, ut contradistinguitur à Scientia,est existimatio græcè ὑπόληψις, ex principijs nō necessarijs pendens,ut elicitur ex 2.de Anima cont.154. siue Opinio est existimatio,ex principijs probabilibus,de re non necessaria. *Plato in Theæteto. In Sophista. In 5.de R. P. Ex sententia Arist.*

ANNO-

DE RERVM DEFINITIONIBVS

ANNOTATIONES.

Distinctio Opinionis à scientia.

CONSIDERO primò, quòd Opinio sumpta pressiùs, ut distinguitur à Scientia, secernitur ab ea, tum ex parte obiecti, tum ex parte methodi, qua acquiritur. Ex parte obiecti primò, quia Scientia est eorum, quæ nequeunt secùs se habere: Opinio uerò tanquam in propria materia uersatur in his quæ uarietati & inconstantiæ sunt obnoxia. Ex parte autem Methodi, quia Scientia pendet ex principijs necessarijs, Opinio autē ex probabilibus. Et hæc secunda est distinctio magis necessaria, quia etiam de æternis potest esse opinio dum principia, ex quibus colligitur, caruerint necessitate.

Sententia Platonis de Opinione.

Considero secundò, quòd Plato in 5. de Rep. Opinionem propriè sumptā ait mediare inter Scientiam, & Ignorantiam. Nam Scientia est de eo, quod omninò est: Ignorantia de eo, quod non est: Opinio de eo, quod partim est, partim non est, cum sit de rebus inconstantiæ obnoxijs. Insuper in Theętero explicans quid sit Opinio, inquit, Cum anima secum aliquid interrogando, respondendoq; asseruerit, neq; uagatur, hanc ipsam opinionem ponimus, quamobrem opinari, loqui appello, opinionemq; sermonem dico, non ad alium, neq; uoce, sed silentio, & ad seipsum. Latiùs in Sophista suam sententiam explicans ait, Cogitatio est sine strepitu vocis interior alloquutio, qua se se animus noster alloquitur, & quemadmodum in oratione, quæ ex ore effluit, affirmationem, & negationem animaduertimus, ita dum in anima per cogitationem id silentio fit, potest ne alio quàm opinionis nomine nuncupari? & quando talis passio non per cogitationem, sed per sensum fit, Phantasia dicitur. Prætereà in sexto de R. P. addit Plato, An nescis opiniones omnes absq; scientia turpes esse, quarum quæ optimæ cęcæ sunt, nam qui absq; intelligentia uerum aliquid opinantur, similes sunt illis, qui licet cęci sint, recto tamen tramite gradiuntur. sic patet etiam ex sententia Platonis, duplici distinctione Opinionem à Scientia, & Intelligentia secerni. Hinc, ut pertinet ad materiam, ait Plato in calce sexti de R. P. nec non in septimo, Scientiam & Intelligentiam uersari circa ea, quæ verè sunt; Opinionem uerò circa vmbras rerum.

PER-

PERSPICVVM ET OPACVM.

DISTINCTIONES.

PERSPICVVM, & Opacum inuicem opponuntur; & propterea quot modis vnum, totidem alterum vsurpatur. Perspicuum vsurpatur propriè, & per metaphoram. Dum propriè vsurpatur, competit corporibus: per metaphoram verò transfertur ad Mentem, quæ dicitur perspicua, vel opaca, quatenus est, vel non est apta recipere Lumen veritatis. Insuper Perspicuum, & Opacum, propriè sumpta, sunt duplicia, vel enim competunt corporibus simplicibus, vt Terra dicitur opaca, Aër vero perspicuus: vel competit mixtis per simplicia, vt Vitrum dicitur perspicuum: Lignum verò opacum. Perspicuitas simplicium non est propriè qualitas secunda, quia non sequitur temperamentum primarum, est tamen qualitati secundæ similis, quatenus sequitur connexionem duarum primarum qualitatum, vt ex sicco terreo, & frigido consurgit opacitas. Perspicuitas verò mixtorum magis propriè est qualitas secunda, cum sequatur temperamentum primarum. Tertiò Perspicuitas & Opacitas est duplex, vna ætherea, altera Elementaris. Nam cæli perspicui sunt, Luna verò (facta comparatione inter ætherea) maximè est opaca; & dicitur Terra æetherea, quæ sua opacitate obumbrat solem, eiusq; parit Eclypsim. Quartò Perspicuitas corporum mortalium mixtis competens, vel est interminata, vt in Vitro, vel est terminata opaco Terreo, vt in Ligno, vel partim terminata, partim interminata vt in Vitro colorato, quod vt coloratum, est terminatum, vt verò Lumen alienum defert, est perspicuum.

Perspicuũ propriè & per metaphoram. Perspicuũ simpliciũ & mixtorum. Quomodo perspicuitas sit & non sit qualitas secunda. Aetherea & Elemẽtaris. Perspicuitas terminata & interminata.

DEFINITIONES.

PRISCIANVS Lydus in Theophrastum de Anima cap. 17. perspicuum definiens inquit. Perspicuum esse formam conciliatricem mortalium pro Luminis perfectione recipienda, præbentem eis facultatem quandam pro recipiendo Lumine, & subeundis tenebris. At hæc descriptio non competit perspicuo æthereo. Aristo. in 2. de Anima 68. inquit Perspicuum est, quod non est secundum se visibile, sed per externum colorem redditur visibile; nimirùm per Lumen; In cont. autem 71. eiusdem libri inquit, Perspicuitas est natura apta esse & tenebricosa, & Lumine prædita. Insuper dici potest affectio plurimorum corporum naturâ constantium, peruia Lumini. Similiter dici potest dispositio conciliatrix corporum lucidorum cum opacis. Insuper Perspicuitas est medium, per quod Lucidorum radij in oppositum effunduntur. Hanc ego puto esse exactiorem, & cumulatiorẽ definitionẽ, Perspicuitas est qualitas, vel secunda, vel secundæ similis peruia Lumini, competens cęlo & mortalibus, sequẽs conditionẽ à terrea conditione immunẽ, conducens pro sensu visus, & pro multorũ corporũ productione, cõseruatione, & perfectione.

Priscianus Lydus. Arist. Aliæ definitiones. Potior definitio.

competit distincta ratione. Vt enim perspicuum opaco Terreo in parte est terminatum, apparet coloratum; ut verò est terminatum diminutè & adhuc seruat perspicuitatem; ualet deferre Lumen, quod dicitur actus perspicui terminati. Considero sextò, quod Auicenna in sexto Naturalium tractatu de Visu, cap. primo opinionem propriam de Perspicuo profert satis distantem à communi. Putat enim lumen, & tenebras, non esse in perspicuo, sed Lumen recipi in solido opaco; & inde prodire colores; & dum solidum terminatum fuerit illuminatum, tunc medium dicitur illuminatum, quia in eo medio apparet: Eum sequitur Lymioniensis, qua de re alibi verba feci. Quæritur primò, num Perspicuitas sit qualitas prima, vel secunda? Queritur secundò, num competat cunctis corporibus Physicis? Tertiò, quæ sit causa eius? Vt pertinet ad primum iam dixi Perspicuitatem simplicium corporum non esse qualitatem propriè secundam, sed in parte similem secundis; in mixtis uerò magis propriè esse qualitatem secundam. Quærebatur secundò, num Perspicuitas competat cunctis corporibus? Respondeo, corpori Mathematico non competere cum corpus mathematicum sit accidens, seiunctum imaginatione à substantia, & subsequentibus qualitatibus: Loquendo autem de corporibus Physicis, Iulianus Platonicus in libro de Sole, nec non Iamblichus, & Priscianus Lydus, putârunt perspicuum secundum magis, & minus cunctis competere, nam in omnibus recipitur Lumen, & virtus eius; & quia dubium est de Terra, etiam per eam patet effundi Lumen, cum in eius uisceribus uaria per Lumen gignantur, Lumen autem solùm in perspicuo recipitur, & adeò est potens, ac salubre, vt nil ei obsistere ualeat. Hi putârunt animam rationis compotem per uniuersum extendi, quæ cum sit uita, est origo uitalis caloris, & cum sit spiritalis, ab ea effunditur Lumen, & cum Lumine perspicuum, quod est natum id suscipere. Id confirmârunt, quia cuncta corpora intra terram posita inspiciuntur colore prædita; Color ex Luce prodit, Lux autem non seruatur sine perspicuo, cum sit actus eius. Alexander quoq; in suo lib. de Anima cap. 39. id ipsum affirmat eâdemque ratione ex colore sumpta confirmat. Similiter id approbat Simpl. in 2. de Anima 68. Arist. tamen non cuncta iudicat perspicua, nam in cont. 68. 2. de Anima ait, Perspicuum esse aërem, & aquam & multa solidorum, non autem ait omnia. Sententia primò relata est Academica, minimè tamen consentanea principijs Peripateticorum, negantium animam Mundi per uniuersam effusam. Sententia Alexandri verior est, nam putat Perspicuitatem non prodire ex anima rationis compote, sed esse affectionem sequentem conditionem corporum Physicorum secundum magis & minus. Verùm quòd Terra sui conditione sit particeps perspicuitatis, uerum non puto; tum quia terreum terminat perspicuum, eiq; aduersatur, tum quia cum detur Perspicuum debet in uniuerso etiam eius oppositum reperiri, quod est Opacum; tum quia Opacum repercutiendo radios, eximiam præbet utilitatem; tum demùm quia sensu visus clausi in thalamo, & cauitatibus Terræ iudicamus puras tenebras, ex opaco prodeuntes. Pro resolutione dico, Terram dupliciter considerari; Vel secundum propriam & simplicem naturam, summè densam, frigidam, aridam, & grauẽ, qua consideratione expers est perspicuitatis; Vel considerari, ut impura, alterata, & mixta est cũ alijs Elemẽtis, per quæ redditur modo aliquo particeps perspicuitatis. Terra enim per radios Solis est prædita cauitatibus, & poris aëre plenis, quorum munere redditur in parte perspicua, non adeò tamen, quia in cauitatibus nonnullis

Quomodo idem coloratum & perspicuũ.

Sententia Auic. de perspicuo.

An perspicuitas sit qualitas prima uel secunda.

Num competat cunctis corporibus.

Iulianus Iamblich. Priscianus Lydus

Alex.

Simpl.

Sol.

Ostenditur dari Opacum.

Resol.

puræ tenebræ inueniuntur, pendentes ex opacitate partium terræ ambientium, luminiq; obsistentium. Quærebatur tertiò, Ex quo Perspicuitas ducat ortum? Ait Auer. in secundo cap. de Substantia orbis, Perspicuitatem ex raritate prodire, Opacitatem uerò ex densitate. Quæ sententia est dubia, quia Spongia, Lana, Lignum rara sunt & opaca: Vitrum uerò, & multi lapilli, cum sint densiores, sunt perspicui. Propterea dicendum puto raritatem conducere quidem pro perspicuitate, at non esse causam potissimam, id enim potiùs tribuendum est conditioni corporum, quo enim eminentiora, sinceriora, & à terrea conditione fuerint secretiora, eo magis sunt perspicua; conditio autem terrea tanquam fæx Perspicuitatem aufert. Hinc ut corpus reddatur perspicuum, purgari debet à fæce terrea: Et Luna, quæ opacitatis est particeps, ætherea terra dicitur, & iudicatur.

Causa perspicuitatis

Sol.

MEDIVM.

DIVISIONES.

Medium actionis. Triplex.

MEDIVM est duplex, uel actionis, vel rei. Medium prò actione requisitum, est id quod mediat inter causam agentem, & finem: & hoc est triplex Vel superius, ut iuncti Principibus sunt mediatores Populorum pro gratijs à Principe recipiendis; Vel æquale, ut amicus pro amico; Vel inferius, ut instrumenta, & causæ secundæ sunt media, per quæ agens principale attingit finem. Medium uerò in re consideratum; Vel est per negationem, ut lapis mediat inter uidens, & cæcum; Vel per priuationem & potentiam, ut Puer mediat inter iustum & iniustum; Vel tertiò est Medium secundum affirmationem, & positionem.

Mediū rei triplex

Quod est triplex vel qualitatis, uel uirtutis, uel quantitatis. Medium qualitatis est duplex; uel distinctum specie ab extremis, ut colores, qui mediant inter albedinem, & nigredinem; uel solùm est distinctum secundum magis & minus, ut tepidum, & gradus inexistentiæ formarum, qui mediant inter primum, & supremum gradum. Medium facultatis & uirtutis est id, un de prodit uirtus, quæ in alia effunditur: sic ab Aristotele in secundo de cęlo. 74. cælum dicitur medium facultatis, & uirtutis, qua ratione etiam cor est medium Animalis. Medium autem quantitatis est duplex, vel continuæ, uel discretæ. Medium quantitatis continuæ; uel est per æqualem distantiam à terminis extremis: & dicitur exactè medium; uel per distantiam non æqualem: & hæc media considerantur in Linea, Superficie, Corpore, Loco Tempore, Motu; & Figura, ut centrum circuli. Medium quantitatis discretæ consideratur in numero, & iunctis cum eo, quod etiam esse potest per æqualem, & inequalem distantiam ab extremis: & hoc medium à Proclo in Timæum, & à Boëtio in sua Arithmetica lib. 2. cap. 12. diuiditur in medium Arithmeticum Geometricum, & Musicū. Quæ distinctio quamuis in parte extendi possit etiā ad quantitatem continuam, conspicuè tamen apparet in numero Nam Medium Arithmeticū cōsideratur in absolutè ęquali distātia ab extremis vt sex me diāt inter quatuor, & octo, & seruatur in Iustitia cōmutationū Mediū Geometricū cōsideratur in cōsimili proportione, tertij ad mediū, & medij ad primū. ut

Medium formæ. Medium uirtutis.

Medium quātitatis continuæ.

Discretæ.

Medium Arithmeticum.

Geometricum.

sex

sex mediant inter nouem, & quatuor, ut enim nouem se habent ad sex, ita sex ad quatuor; vtraq; enim est proportio sexqui altera, & hoc medium seruatur in Iustitia distributiua, ut patet ex quinto Ethicorum. Medium Musicum est, dum medius terminus eâdem maioris termini parte à maiori superatur, qua ipse minoris minorem superat terminum, vt sex, quatuor & tria; quatuor enim tertia maioris parte, nimirùm senarij à maiori exceditur, & eâdem minoris, nimirum ternarij parte, minorem excedit. Demùm medium est duplex, vel secundum compositionem ex extremis, ut colores medij, vel sine compositione ex illis, sed per solam comparationem, vt virtus mediat inter duo vitia; & aër ac aqua inter extrema elementa: & distincta relatione grauia & leuia dicuntur.

Musicum.

Mediū per compositionem & sine.

DEFINITIONES.

CVM Medium sit multiplex, propriè una communis definitio tradi non potest, sed tot sunt tradendæ, quot sunt prima capita mediorum, quæ patent ex eorum nominis explicatione. Assignantur tamen descriptiones nonnullæ per communia eis, quæ magis propriè Media dicuntur. Auer. in primò Phy. 56. inquit, Medium est id, quod est vtrumq; extremum non pura potentia: & Arist. in 5. Phy. cont. 6. ait, Medium est extrema quodámodo. Insuper in contextu 22. definiens id, quod dicitur μεταξὺ, hoc est inter siue medium, ait, Medium est, in quod aptum est prius peruenire id, quod mouetur, dum secundum naturam continuè mouetur. Insuper dicere ualemus, Medium est quod inter duos definitos terminos positum est. Hinc in infinito, ut infinitū est, non reperitur medium. Præterea, Medium est id, quod inter extrema est positum, per quod extrema inuicem distant, & ex uno in aliud est progressus. Ex antecedente autem mediorum enumeratione, & vocum explicatione elici sigillatim potest, quid sit unumquodq; Medium.

Auer.

Arist.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, Medium æquè distans ab extremis vnicum esse, ut non æquè distans ualet esse multiplex: sic medium circuli unicum est, colores uerò medij sunt multi. Considero secundò, idem distincta ratione posse esse medium & extrema, veluti uirtus in more posita, dum refertur ad latitudinem perturbationum, dicitur mediare inter duo extrema uitia; dum verò consideratur ex parte sui generis, & ut virtus est, sic est extremum vnum, & opponitur uitio, tanquam alteri extremo, & hac consideratione ait Aristoteles in libro Nicomachiorum, virtutem esse modo quodam extremum. Considero tertiò, quòd cum detur triplex illud Medium, nimirùm Arithmeticum, Geometricum, & Musicum, de his ait Proclus in Timæum, quòd tres istæ numerorum medietates, tres Themidis filias indicant, Geometrica enim medietas Eunomiæ, hoc est rectæ Legis est simulachrum, propterea Plato ait, Hanc ciuitates gubernare, quam & Iouis iudicium nuncupauit. Harmonica medietas Iustitiæ dicitur similitudo, cum maioribus terminis

Mediū est vnicum et multiplex

Idem medium & extremum

De triplici Medio sententia Procle.

Plato.

T 3 maio-

maiorem tribuat rationem, minoribus verò minorem, quod Iustitiæ opus est. Arithmetica demùm medietas Pacis est signum, hæc enim (ut dicitur in Dialogis de Legibus à Plat.) ea est quæ tribuit omnibus id, quod secundum mensuram æquale est, efficitq; , ut Populi cum Populis pacem seruent. Occurrunt quinq; dubia. Primum est, num in infinito locum habeat Medium? Alterum, quę sit conditio potior, num Principij, num Medij, num Finis? Tertium, num omnia contraria sint prædita Medio? Quartum, num detur Medium inter formā, & priuationem? Quintum, an transitus ex extremo uno in alterum, necessariò fit per omnia media? A' primo ordiens, quærebatur num in infinito inueniatur Medium? Dicebatur non inueniri, quia caret extremis terminis: ex aduerso dicitur præsens mediare inter præteritum, & futurum, quæ tamen infinita terminisq; destituta ab Arist. iudicantur. Soluitur dicendo Infinitum considerari dupliciter; Primò secundum se vt infinitum est, ac ita caret medio; Secundò, ut aliqua relatione, & consideratione est finitum, ac ita præditum est medio, veluti considerando præteritum, præsens, & futurum, tanquam numero tria, & ternario prædita, dicimus præsens mediare, hæc enim terminata sunt ex parte nostri, quibus aliquid est præsens, ac ita etiam ex parte nostri in tempore, & motu consideratur prius & posterius, non autem absolutè per relationem ad absolutum principium primum. Insuper in tempore & motu præsens est medium per negationem, quatenus præteritum & futurum cum sint infinita, dicuntur æqualia per negationem, quatenus unum non est maius altero & sic præsens medium est, nō autem propriè ut tempus & motus infinita sunt. Quærebatur secundò, quæ conditio sit potior num Principij, vel Medij vel Finis? Pro præstantia Principij dicitur id esse plusquam Dimidium, & facultate includere totum. Pro præstantia Medij dicitur in medio collocatam esse virtutem moralem, & medium tenuêre Beati, & honoris gratia tribuimus dignioribus locum medium. Pro fine dicitur in eo collocatum esse vniuersum bonum, & dempto fine, demi omne bonum, & eius gratia esse cętera omnia, illum uerò esse vltimum, & optimum. Res itaq; est dubia. Pro resolutione dico, cum multiplex sit Medium, non esse de omnibus consimilem rationem. Vt tamen præsenti instituto inseruit, considerando Medium, vt contradistinctum à Principio, & Fine, ad eaq; relatum; Principium est omnia facultate, Medium executione, Finis inclusione & actu: nam Finis cætera supponit, maximè optatur, & eius gratia sunt alia: & propterea hąc consideratione absolutè præstat. Et dum dicitur Virtutem in medio positam, tunc non consideratur Medium, ut contradistinctum à Principio & Fine, Virtus enim & eius opus finis est, sed consideratur Medium latitudinis perturbationum, quæ habitu virtutis corrigitur, in quo medio includitur finis perfectionis; non autem excessus, & defectus sunt fines, vel principia eius. Tertiò quærebatur, num omnia contraria sint prædita Medio? Academici id affirmant: Arist. verò in Post prædicamentis inficiatur, veluti inter sanitatem & ægritudinem, par & impar, rectum & curuum, nullum datur medium. Et inquiunt Academici, cōtraria non dicerentur maximè distare, si medio carerent: per medium enim distant. Pro solutione dico contraria considerari dupliciter, uel ut simplicia & summa, uel ut sunt latitudine prædita: dum considerantur, ut simplicia, & summa, veluti ea considerârunt Academici, sunt prædita medio, nam inter summè bonum, & summè malum multa mediant; & inter numerum pariter parem, & impariter imparem mediant numeri impariter pares, uel pariter impares; similiter, inter exactè rectum, summeq; curuum; exactè sanum, summeq; ęgrum, uaria sunt media, quę tamen non semper sunt specie distincta,

sed

Quinque dubia.

An infinito cōpetat Mediū? Sol.

Quid præstet, num Principiū, uel mediū, uel Finis.

Resol.

Nū omnia contraria sint medio prædita.

Resol.

sed solùm per magis, & minus. At dum considerantur contraria in uniuersa eorum latitudine, ut ea considerauit Aristoteles, rectè cum eo dicimus dari contraria carentia medio. Quartò, quærebatur, num inter priuationem & habitum detur medium? Arist. in 1. Phy. id sub dubio dereliquit, inquiens musicum fieri ex immusico, aut ex medio, si aliquod ei competit medium. Breuibus dico, Medium esse duplex, vel per compositionem, ac mixtionem, vt medij colores, vel secundum magis, & minus alterius oppositorum. Inter priuationem & habitum non potest dari medium per cōpositionē, cum enim priuatio secundum se sit non ens, non valet misceri, vel cum ente componi: dari tamen potest Medium secundum magis, & minus alterius oppositorum, vt inter cōspicuam Lucem, & puras tenebras mediat Diluculum, & tempus vespertinum: similiter inter habitum Musicæ, & puram priuationem mediant dispositiones pro habitu Musicæ. Quintò demùm quærebatur, an transitus ex extremo in extremum sit per omnia media? nam id videtur necessarium, alioquin eis non competeret definitio medij, ab Aristo. tradita in 5. Phy. Ex aduerso Auer. in 2. de Anima, loquens de saporibus, negat id esse necessarium. Soluens dico extrema esse duplicia. Vel simplicia, prima, & ex alijs contrarijs non pendentia, quales sunt quatuor primæ qualitates; & de his necesse est transitum fieri per omnia media, vt ex summè frigido fit summè calidum, transeundo per omnes gradus medios; similiter ex humido siccum: Ratio est, quia via vnica est, & simplex. Vel contraria non sunt prima, sed ex alia primorum complicatione pendent, vt sapores, colores, & odores, prodeuntes ex temperamento quatuor primarū qualitatum; & in his non est necesse transitum fieri per omnia media, quia ille transitus, ob multitudinem primarum qualitatum, potest esse multiformis; & non semper cum eodem gradu caloris nectitur idem gradus humoris; & sic de cæteris. Et de his est vera sententia Auer.

An priuatio & habitus sint predita medio? Sol.

An transitus sit p omnia media? Sol.

INFLVXVS.

DISTINCTIONES.

EX aquarum fluxibus sumpta est metaphora fluxuum, & influxuum virium, & facultatum. Huiusmodi Influxus si est per conspicuum actum ab agente, in corpore receptum, dicitur motus; at si latenter, vel spiritaliter virtus, & facultas aliqua infundatur, communi voce dicitur Influxus, & Influentia. Quæ latè sumpta effusio quadruplex est; vel ex corporeo in corporeum, vel ex incorporeo in incorporeū; vel ex incorporeo in corporeum; vel ex corporeo in incorporeum. Ex corporeo in corporeum, vt cęlum influit vires suas in mortalem orbem. Ex incorporeo in corporeum, vt motores Cęlorum effundūt vires in cęlum & mortalia animalia; Ex incorporeo in incorporeum non propriè dicitur influxus, sed potiùs afflatus, & Inspiratio quædam, & internus contactus; & inde prodeunt varia inspirationis genera; Ex corporeo demùm in incorporeum; Si corpus fuerit mortale, non propriè dicitur Influxus, sed potiùs Lęsio, & Contagio. vt se habet de Sonno & Delirio; Si verò corpus fuerit æternum vt cęlum, id suis viribus etiam attingit animos mortalium, & potest rectiùs dici Influxus, ille tamen pri-

Motus. Influxus. Influxus quadruplex.

mò

Influxus communis et proprius. Bonus & malus. mò & præsertim attingit corpus, animum verò solùm per consecutionem. Insuper diuiduntur Influxus in communes, & proprios alicuius; ac etiam in bonos & malos; magis propriè tamen illi, qui boni sunt, dicuntur influxus, quia Influens obtinet locum principalioris, & Influxus includit conditionem facultatis, & uirtutis.

DEFINITIONES.

INFLVXVS est virtus effusa in id, quod eius est capax, idque perficiens. Nonnulli eum ita definiunt, Influxus est certa caloris cęlestis mēsura in magnitudine recepta, vi, & tempore actionis, nobis incerta. Dicamus potiùs ex multorum sententia, Influxus est qualitas spiritalis, effusa à virtute diuina per cęlum, in mortalem orbem, non apta per medium aliquod impediri. Et quia proximè Influxus prodit ex corpore, Inspiratio uerò ex incorporeo; ideò pro distinctione ab Inspiratione dicendū, Influxus est spiritalis facultas, ex superiore corpore in inferius latenter effusa, per quam apta eam recipere, dispositione aliqua afficiuntur. At ex sententia Arist. qualitates huiusmodi spiritales non concedentis, dicendum puto. Influxum esse Motum, & Lumen Celi, vt prædita sunt facultate eis competente, munere conditionis Cęlorum, & Syderum, quorum sunt instrumenta, latenter operantia in hæc mortalia.

Definitio potior. *Sententia Arist.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, Spiritalem Influxum, à varijs, non tamen ab Aristo. approbatum, distingui à Lumine, & motu Cæli; Primò, quia non cadit sub sensum; Secundò, quia impediri nō potest à corpore opaco, dēso, quiescēte, & in oppositū moto, vt impediri potest partim Lumē, partim Motus. Cōsidero secūdò inter influxus latè sūptos à nōnullis etiā numerari afflatus animorum, & Furores desuper inspiratos: at quia hi non propriè sunt influxus, ideò de furorum generibus seorsùm loquar. Considero tertiò, sensu constare, ab omnibusq; concedi, Cęlum operari in hæc mortalia Lumine, & Motu, at num operetur qualitate aliquā spiritali, ab his distincta? & quomodo Lumine, & Motu operetur? non leuem esse difficultatem. Qua de re cum in libr. de Cęlo cap. 38. & sequentibus cumulatè sim loquutus, nolo eadem repetere.

Distinctio influxus a motu. Inspiratio nō propriè est influxus.

INSPI-

INSPIRATIO, FVROR, ECSTASIS, RAPTVS DIVINVS, ET DIVINATIO.

DISTINCTIONES.

SEPTEM inueniuntur modo aliquo iuncta & subordinata, nimirùm Motus, Influxus, Inspiratio, Furor, Ecstasis, Raptus diuinus, & Diuinatio. Loquutus sum seorsùm de Motu, & Influxu: Superest, vt de reliquis verba faciã. Dñ ea se ptè inuicẽ comparãtur, Motus ad sola corpora pertinet, & sub sensum cadit; Influxus pertinet ad corpora, ãt latet, & non ita cadit sub sensum; Inspiratio inter incorporea versatur, prodit enim ex incorporeo, & tendit in incorporeum, nimirùm ex Mente in Mentem; Furor inspirationem sequitur, non quidem omnem, sed vehementem, quæ inspiratio, siue afflatus, etiam dicitur diuinus contactus. Similiter Inspirationem nonnunquam sequitur Ecstasis, Raptus Diuinus, & verior Diuinatio, siue Prophetia. Inspiratio est duplex, vna diuina, altera Angelica. Inspiratio ni opponitur Tentatio, nam Inspiratio est à superiore, & præstantiore, Tentatio à deteriore; Inspiratio dirigit ad bonum, Tentatio ad malum; Inspiratio est per mentem, Tentatio per sensum. Inspiratio differt à Spiratione, quia Inspiratio mediat inter inspirantem, & id in quod inspirat: non sic Spiratio, nam dicimus spirare Ventos, & Patrem, ac Filium spirare Sanctum Spiritum, quæ tamen non dicitur Inspiratio. Loquendo de Furore, hic duplex est; Vel enim pertinet ad sensus, ex eisq; oritur, nec non ex deprauato temperamento corporis, veluti viri, atra bile uexati, nonnunquam sunt furiosi, & Ira dicitur Furor breuis, qui non est præsentis considerationis; Vel pertinet ad Mentem, & sequitur inspirationem vehementem. Cuius Furoris ab Academicis quatuor numerantur species. Prima est furoris Poëtici, secunda Furoris Mysterialis, Tertia Vaticinij, Quarta Amatorij. Poësis est à Musis, Mysterium à Dionysio, Vaticinium ab Apolline, Amor à Venere. Poësis componit affectus Animi; Mysterium expiationibus, & cultu Dei, singulas animi partes in Mentem diuina petentem dirigit; Vaticinium Mentem supra se extollit, cum enim Anima supra Mentem in vnitatem eleuatur, futura præsagit; Amor demùm per Diuinæ Pulchritudinis desiderium, cum supero vno connectit. Inspirationem vt Furor, ita Diuinatio sequitur. Quinque sunt modi prædicendi, nimirùm Arte, Casu siue Sorte, Naturã, Dæmone, Deo: & hęc postrema propriè dicitur Diuinatio, quam rectè nostri Theologi explicant, Prophetiæque nomine appellant, patefacientes ex Deo liberè operante, proximè prodire inspirationem, per quam futura prænoscentes, Vates reddimur, & Prophetæ; quorum decreta solùm approbo, cætera uerò sine approbatione solùm refero. Dum enim futura prædicimus, vel id facimus Arte aliqua, vel sine Arte: si Arte, vel id efficimus per Dæmones & cultum eorum, vt Ars Necromantiæ, vel sine cultu Dæmonum, sed per causas Physicas; & tunc vel id facimus per causas communes, & remotas, vt nituntur id facere

Septem iũcta & subordinata. Motus. Influxus. Inspiratio. Furor. Ecstasis. Raptus Diuinus. Diuinatio. Inspiratio duplex. Tentatio. Furor duplex. Quatuor diuini Furores. Quinque diuinandi modi. Diuisio prænotionum.

cere Astronomi;vel per proximas,ut Ars medendi prædicit mortem,& saluté; vel per signa insita,vt Physiognomi,& Chiromantes;vel per signa seiuncta, vt Aruspices,Hydromantes,Auspices,Pyromantes, Capnomantes, Onomantes, Geomantes,& similes,qui despiciendi potiùs, quàm distinctè explicandi sunt Si verò id fiat sine Arte;vel id facimus casu vt per sortes;uel ægritudine,ut laborantes morbo Gallico prænoscunt temporum mutationes;vel quodam naturæ instinctu vt Galli prædicunt temporum mutationes; vel supera inspiratione, quam frequenter sequitur Ecstasis,quæ est exitus & eleuatio supra se,& cum diuinis connexio,& nônunquam Furor,& Raptus ille,qui diuinus dicitur, dum Diuina,& supera facultate extra nos ad diuina trahimur,de quo raptu legitur, cum ascendero in Cęlum omnia ad me traham,& Paulus legitur raptus ad tertium Cęlum;

DEFINITIONES.

Inspiratio siue afflatus. PORPHYRIVS Afflationem Diuinam definit, vt sit mentis motio,vnà cum Inspiratione Dæmoniea. Iamblichus verò in li. de Mysterijs negat animum diuinitùs afflatum moueri, dum re vera continetur à Deo. Insuper negat diuinam inspirationem debere dici alienationem,vel exitum, sed restitutionem in melius. *Afflatus. Iãblichus. Arist.* Est itaq; Afflare ex Iamblichi sententia nil aliud,quàm totos animos à Deo occupari,& contineri. Ex sententia Aristo. dicere possumus, quòd Inspiratio sit excitatio mentis per connexionem,quam habet cum primo vero & bono,ad bonum aliquod agendum,vel verum enunciandum: re vera autem Inspiratio est excitatio humanæ Mentis, liberè & proximè ex Deo prodiens, ad bonum, & verum dirigens. *Furor.* Furor ex vehementi inspiratione prodiens,est vehemens motio humanæ Mentis;supra eius vires posita, adeò vt ad verum & bonum diuinitùs ducatur,& rapiatur,& inde oritur Ecstasis, quæ est Mentis supra sensus constitutio,& eleuatio; *Ecstasis.* quæ etiam sine antecedente inspiratione nobis competere potest per vehementem affectum erga supera, vel eorum sublimem contemplationem. per quã Ecstasim ea attingimus Mente,quę sensu minimè apprehendimus. *Iãblichus.* Ideò dicebat Iamblichus,quòd Sacerdotes, Sybillæ,& Prophetæ,quamdiu Prudentes sunt,vel parum, vel nil præsagiunt; qũ verò rapiuntur à Deo vaticinantur, Furor ex sententia Aristo. in 1. Probl. trigesimæ particulæ,est vehemẽs Mẽtis cõmotio,ex spiritu bilis atræ,rectè contemperato prodiens,ad aliquid supra communem hominis conditionem nos excitans,& eleuans. *Arist.* Ex Platone in Phædro Furor est Mentis alienatio. Rectè autem Diuinus Furor dici potest vehemens excitatio animæ rationalis, sequens inspirationem,per quam Anima à superis delapsa ad infera,ab inferis ad supera retrahitur. *Plato.* Furor Poëticus ex Phædro est occupatio à Musis, quæ sortita lenem animam,excitat eam,& exagitat per cantilenas,& Poësim ad genus hominum instruendum. *Furor Poëticus.* In Ione inquit Plato,Poetæ sunt Deorũm interpretes, dum sunt Furore correpti. Insuper in eodem Dialogo,nec non in 4. de Legibus legitur, Poetam rem esse lenem, volatilem, & sacram; nec canere prius posse, quàm Deo fuerit plenus,& extra se positus,à Menteq; alienatus. *Diuinatio.* Transeundo ad Diuinationem, siue Vaticinium, hoc cum sit multiplex etiam modis varijs potest describi. Nam Præsagium est futurorum, non necessariò euenientium prænotio. Euripides cecinit,

Qui

Qui bene coniectat is Vates optimus esto.

Qui ob idipsum etiam dixit, Sortem animæ esse filiam. *Euripides* Plato in Apologia, *Plato.* & Menone inquit, Vaticinium est Diuina Animi concitatio, qua afflati Diuina dicunt, quorum nil intelligunt. *Plotinus.* Plot. li. 2. de Prouidentia capit. 6. inquit, Ars præsagiendi est lectio quædam naturalium literarum, ordinem indicantium, nec vsquam ad inordinatum aliquid declinantium, vt hæc est prænotio per sydera. *Philo.* Philo in libro de Monarchia inquit, Propheta est, qui Deo dictante loquitur, nil de suo proferens. Insuper Diuinatio est futurorum aliqua ex parte latentium prænotio, siue est futurorum non necessariò euenientium, & latētium prænotio, munere Dei, mentem nostram afflantis, tangentis, & dirigentis. Sic descendendo ad species valemus addere, & referre alia quorum munere prænoscimus. *Vates & Propheta ex Platone.* Plato in Timæo Vates eos dicit, qui diuinantur, & fatidico, furenteq; ingenio futura enunciant. Prophetas uerò ait esse non Vates, sed vaticiniorum interpretes: non enim officium est eius, qui furore est correptus, iudicare Vaticinia, cum extra se sit positus. Colligamus itaq; potiorum potiores definitiones, & dicamus, *Inspiratio.* Inspiratio siue Afflatus est Dei, siue diuinioris Ira in Mentem hominis Spiratio, per virtutis contactum, munere cuius Anima ad verum aliquod enunciandum, vel bonum agendum, excitatur, vt ea à superis ad infera delapsa, ab inferis reuocetur ad supera. *Tentatio.* Tentatio, ei aduersa, est commotio Mentis per aliquod sensui oblatum, præseferens conditionem boni, ut Mens conuersa ad supera, retrahatur ad infera. *Furor.* Furor diuinus est uehemens Mentis commotio, præpotentem inspirationem sequens, per quam anima tam promptè supera petit, ut à nullo sensu ualeat reuocari. *Ecstasis.* Ecstasis est Mentis eleuatio per inspirationem intimam ut superum contemplationem, per quam à sensibus eorumq; officio secernitur. *Raptus Diuinus.* Raptus Diuinus est Mentis supra suas uires ad supera eleuatio, per inspirationem adeò potentem, ut ea tunc diuini, & non proprij iuris esse iudicetur. Ideò D. Thom. 2. 2. quæstio. 175. inquit Ecstasim simpliciter denotare excessum Mentis: Raptum uerò addere uiolentiam: ea tamen est uiolentia diuina, & supra naturam, non contra eam. *Diuinatio.* Diuinatio est futurorum non necessariò euenientium, & latentium prænotio, præsertim beneficio Diuinæ inspirationis, hominis animo competens.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO Primò, ut pertinet ad Inspirationem, quòd Philosophi, supero lumine destituti, uaria, & inania de Inspirationibus protulerunt: & solùm forte fortuna nonnunquam ue ri aliquid enunciârunt. *Philosophi de Inspirationib. inania multa proferunt.* Porphyrius tria è multis in medium affert oracula. *Porphyri* Vnum Colophonium, ubi aqua bibita, uaticinium bibenti competebat. Alterum Delphicum, ubi sedens ad os Antri uaticinabatur. Tertium Branchidicum, ubi haurientes uaporem ex aqua, reddebantur Vates. *Iamblich.* Iamblichus uerò in libro de Mysterijs inquit, Sybillam in Delphis duplici modo suscepisse Deum, uel per spiritum quendam igneum & tenuem, erumpentem ex antri cuiusdam ore, vel sedentem in aditu super sede ænea, prædita tribus vel quatuor pedibus, Deo dicata, & vtroq; modo Sybilla exponebat se spiritui diuino; per quem radio diuini ignis illustrabatur.

batur. Insuper inquit Iamblichus tres fuisse de afflatu Diuino sententias, prima illum referebat ad corpus, secunda ad animum, tertia ad compositum. Considero Secundò, de Inspiratione, & eam sequente Vaticinio, variorum Philosophorum varias fuisse opiniones. Epicurus inspirationem Diuinam negligebat, putans Deum nec noscere, nec curare mortalia, & solùm vmbram eius concedebat, prodeuntem ex imaginibus rerum, fluentibus, & circumlatis, vt etiã Emped. Astronomi id tribuebant influxibus stellarum, in animo receptis. Academici id tribuunt Deo, & Dæmonibus, & præsertim aiunt id fieri per connexionẽ rationum, & idearum cum Principe Deo. Vt etiam Stoici id tribuunt seriei, & connexioni communium causarum, cui subijci putant omnia. Nos autem vnà cum Theologis affirmare debemus id esse munus Dei, vel sine medio, vel per medios Angelos. Considero secundò, dubium esse quomodo ex sententia Aristo. & per eius Principia reperiatur Afflatus, & Diuinatio. Et breuibus dico, Aristo. uarijs in locis Diuinatiõnẽ, Inspirationẽ, Diuinumq; contactum tetigisse, ueluti in 1. de Cęlo cont. 2. dum ait, Propterea à Natura accipientes tamquam Leges eius, & in sacrificijs Deorum, utimur ternario numero: Et in cont. 22. omnes homines de Dijs habent existimationem, & omnes eum, qui sursùm est Locum, ei tribuunt, & Barbari, & Gręci; Et cont. 100. Nomen æui ait Diuinè enunciatum fuisse à Veteribus: Et in 2. de Cælo cont. 6. approbans æternitatem Cęlestis corporis inquit, Ita solùm consentanea dicimus ei diuinationi, quę est de Dijs: Et in 1. Phy. 48. inquit, Veteres sine ratione, & à ueritate coactos statuisse Principia contraria. Insuper in 7. Nicomachiorum cap. 13. inquit, Rectè Hesiodum cecinisse,

Opiniones Variæ de Inspiratione. Epicurus. Emped. Astronomi. Academici. Stoici. Theologi. Quid de inspiratione senserit Arist.

Fama autem haud dubiè non funditùs interit illa,
Quam multi celebrant Populi.

Et in eodem cap. addit Fortasse uerò etiam sequuntur, non eam uoluptatem, quam putant, sed eandem, in omnibus enim Diuinum quiddam insitum est naturâ: Similiter in lib. de bona Fortuna Diuinationem subindicauit, & diuinũ contactum. At perpendamus modũm, quo Diuinam Inspirationem, & Afflatũ concedere ualuit. Ipse enim perperàm putauit Deum Finitæ Virtutis, operari quadam necessitate Naturæ, extrinsecùs proximè solùm producere motum primum, cætera uerò per causas secundas, & non cognoscere hæc mortalia, nisi eminentia quadam; ideò uerum Inspirationis modum inspicere non ualuit. Inquit in lib. de Diuinatione per somnium, somnia non Diuina, sed Dæmonica esse, quia Natura Dæmonica est, hoc est potens, Famula Dei; & operans (ut dicitur de Dæmonibus) latenter, cum eximia potentia, adeò ut admirationem pariat. Insuper in lib. de Mundo ad Alex. (si Aristo. est liber ille) dicitur diuinationes fieri per halitus ex Terra erumpentes. In 1. Probl. tertiæ particulæ dicitur, id homini conuenire per bilem atram, congruenter contemperatam. At adhuc conspicuè modus non apparet. Propterea dicamus fundamentum Diuinationis ex sententia Aristo. hoc esse, quòd Mens hominis, ut seiuncta à materia, suiq; conditione apprimè Deo iuncta, dum fuerit rectè affecta, per quã uis leuem occasionem, ei per naturam oblatam, facilè excitatur ad uerum enũciandum, & bonum agendum, cum pendeat ex uero, & bono, eiq; sit summoperè iuncta: & hoc dicitur fieri per mediam naturam, hoc est, per agentia, operantia secundum naturam, adeò ut nonnunquam huiusmodi excitatio fiat per halitus atræ bilis, ut dicitur in lib. Problematum; nonnunquam per halitus ex Terra

De Modo. Natura cur Dæmonica? Modus explicatur.

Terra

ex Terra prodeuntes, vt dicitur in lib. de Mundo ad Alexandrum; nonnunquam per congruentia Phantasmata Menti in somno oblata, dum Mens magis à corpore libera, & soluta est vt dicitur in lib. de Diuinatione per somnia; nonnunquam per varias operum Dei conditiones, refulgentes in operibus Naturę, vt denotatur per relata ex primo Physicorum. Adeò ut per Principia Aristotelis nota concedenda sit Diuinatio, Primò ex parte obiecti, quia est de Diuinis; Secundò ex parte modi, quia latenter per potentiam Dei, & cum admiratione; Tertiò ex parte Naturæ Ministræ officiosissimæ, & potentissimæ eius, quæ ob id dicitur Dæmonica; Quartò ex parte Mentis, non pendentis ex materia, & maximè iunctæ Deo, ob quam connexionem facilè ad uerum & bonum excitatur, quam notitiam ait Simplicius in secundo de cęlo esse præstantiorem scientia.

Artes diuinatrices negligēda.

Considero tertiò pro attinentibus ad Vaticinia, quòd Artes, quæ diuinatrices appellantur, magna ex parte sunt leues, inanes, & despiciendæ, & præsertim, quæ utuntur cultu Dæmonum. Eis tamen præest Physiognomia, quia utitur signis corporis proximè pendentibus ex temperamento, idq; patefacientibus, mores autem frequenter sequuntur temperamentum, quia multitudo hominum sequitur sensum, & propensionem ex temperamento prodeuntem.

Somnia matutina cur præstent? Homerus. Iamblich.

Considero quartò, quòd vulgi uoce somnia matutina dicuntur ueriora, ne dum quia, ut ait Homerus, prodeunt ex portà cornea, hóc est ex capite, & Mente à uaporibus cibi minus turbati; Vespertina uerò ex parte eburnea, hoc est, ex dentibus, & uaporibus ex cibo eleuatis, uerùm insuper (ut inquit Iamblichus) quia somnia matutina se offerunt unà cùm sole, expurgante, & Apolline conducente pro ueri prę sagio: omnia tamen sunt negligenda.

Cur Vates Cęci.

Considero quintò, quòd cum Vaticinium sit diuinatio quædam sequens non cognitionem nostrã, sed diuinum latentem contactum, ideò iure legitur in ore puerorum, & lactantium collocatum esse verum: & Vates dicuntur esse, vel oculis corporis capti, vt Tiresias; vel pueri vel fęminæ vt Sybillæ: interno tamen quodam instinctu & commotione communiore afflatum & diuinationem ad Deum referimus, de quo Poëtæ,

Poëtæ.

Est Deus in nobis agitante calescimus illo. Insuper

Est Deus in nobis, sunt & commercia Celi. Præterea

Spiritus ille sacer, qui natum pectora uersat,

Sedibus Aethereis spiritus ille uenit.

Plato de Furore.

Considero sextò ex opinione Platonis in Phædro, quòd cum Furor sit Mentis alienatio, alienationis eius duo sunt genera, vnum prodiens ex humanis morbis, alterum ex Deo, & Diuinis; primum dicit esse insaniam, alterum verò Furorem Diuinum, & Raptum; Per insaniam homo infra hominem deprimitur, & eius terminus est Feritas, vitiumq; ingens, & tot sunt eius uarietates, quot viæ ad scelera, & vitia. Per Diuinum autem Furorem, erigitur homo supra conditionẽ hominis, & eleuatur ad Deum, à quo inspiratio prodit.

Furor Poeticus. Controuersia inter Plat. & Arist. Sol.

Considero septimò, ut pertinet ad Poëticum Furorem, se nobis offerre controuersiam quãdam inter Aristotelem & Platonem. Nam Arist. in Procemio Metaphysicæ inquit, Philosophus est amator Fabularum, quia Fabula ex mirandis constat; Philosophia autem ex admiratione orta est. Ex aduerso Plato in 10. de Rep. inquit, Vetus quædam Philosophiæ, & Poësis dissensio est. Diluitur hæc controuersia dicendo, Poësim dupliciter posse considerari. Primò ex parte admirationis & ueritatis, in metaphoris latentis, nec non rectę institutionis, pro qua parata est Poësis; ac ita ambo concedunt Philosophiam & Poësim familiares esse, & Poësim esse partim Famulam partim Filiam

V Philoso-

Philosophiæ Secundò ex parte metaphoræ, numerorum, & ornamentorum, Poëmatum, qua consideratione enunciauit Plato, ueterem quandam earum esse dissensionem. Seruatur itaq; consensio, at non sine aliqua dissensione. Hinc Orpheus, Democritus, Emp, & alij multi Philosophiã cũ Poësi coniũxerũt. Et Plato in Gorgia inquit, Poësim sine concentu & numeris nil aliud esse, nisi popularẽ sermonem. Insuper ait opera Poetarum cum Musicæ coloribus spoliata considerantur, perinde se habere ac facies eorum, qui ob adolescentiam formosi potiùs sunt, quàm pulchri, quales aspectu sunt postquam eos flos ipse destituerit.

Orpheus

Considero demùm nomen Diuinationis apud Theologos vsurpari pro diuinationibus illis, quæ fiunt cultu Dæmonum, sortibus, Augurijs, & modis alijs consimilibus, negligendis, & reijciendis, vt secunda secundæ, q. 95. Art. primo & sequentibus D. Thomas, & Card. Gaet. patefaciunt. Ego tamen vnà cum Philosophis latiùs sumpsi id nomen, & principalem diuinationem dixi ex Deo proximè prodire, & Prophetiam tanquam principalissimam eius speciem consideraui. De qua multa rectè & verè declarant nostri Theologi, quæ sola ego approbo.

Diuinatio quod Theologos quã

AMOR.

DISTINCTIONES

VARIAE circunferuntur Amoris distinctiones, at hæ sunt potiores, Amor enim vel est humanus, uel diuinus. Insuper, vel est cum antecedente cognitione, vel sine ea. Præterea considerando obiectum, vel est utilis, vel honestus, vel delectabilis. Insuper considerando dispositiones, & constitutiones amantium, & eorum quæ amantur, vel est æqualium adinuicem; vel superioris erga inferius, vel inferioris erga superius. Præterea, vel est bonorum Animi, vel Corporis, vel Externorum. Academici Amorem humanum diuidunt, quia uel est Amor verus, sequens rationem dirigentem ad verè bonum, & ex sensibus sequitur visum & auditum, excitantes ad verè bonum; Vel est Amor non uerus, & libido potiùs & rabies, quæ alios sequitur sensus, & præsertim tactum; & ad intemperantiam, & animorum deformitatem ducit. At cæteris omissis dicendum puto, Amorem adeò salubrem, adeoq; latum esse, vt per omnia vagetur, & quot sunt gradus Principales rerum, tot esse gradus Amoris. Gradus principales quinq; sunt, nimirùm Naturalis, Vitalis, Sensitiuus, Rationalis, & Diuinus; Quibus quinque consimiles respondent gradus Amoris, quorum vnusquisq; deinde trinus est; Adeò ut terquinus sit Amor, terquinum Amans, terquinum Amabile, & terquina Venus, pariens Amorem. Et progrediendo per eos quinque gradus, Primò occurrit Amor Naturalis, sequens naturam, infra animam collocatam, qui trinus est; Quorum vnus materiæ est, quæ ex primo Physic. 81. formam appetit, & diligit, ut fœmina marem, & turpe pulchrum, Alter est simplicium corporum, quorum inferius tendit ad superius, vt ad formam, & perfectionem suam, ut legitur in quarto de Cœlo 24. & omnia inuicem iuncta, simulq;

Amoris variæ distinctiones

Diuisio humani Amoris Academica

Amoris exactior distinctio.

Terquinus Amor.

Amor Naturalis.

simulq; conspirantia, suo ordine Mundum constituunt; Tertius est mixtorum consimilium, quæ Elementum dominans diligunt, cum eoq; requiescunt, ac insuper mutuo amore iuncta, & colligata constituunt membra Viuentium. Secundus Amoris gradus dicebatur Vitalis, qui Plantis competit, quæ alimentum diligunt, & appetunt, per quod aluntur, crescunt, & generant, quod est peculiare Amoris officium. Sic apparet etiam inter Plantas varius amor mutuus, vt inter Vitem & Vlmum, qui Amor etiam est trinus, vel enim est herbarum, uel arbustorum, vel Arborum. Tertius gradus dicebatur Sensitiuus, qui Animalibus competit, per sensum constitutis, qui trinus etiam est cum huiusmodi Animalia, vel sint æquorea ut pisces, uel terrestria & per terras gradientia, uel aerea, de quibus iure dicitur

Amor uitalis.

Amor sensitiuus.

> *——Genus omne Ferarum,*
> *Et genus æquoreum, pecudes, pictæq; uolucres.*
> *In Furias, ignemq; ruunt, Amor omnibus idem.*

In quarto gradu refulget Amor Rationalis, ad hominem pertinens, qui solius mortalium rationis est particeps. Qui Amor multiplici ratione est trinus; tum quia respicit vel vtile, vel honestum, vel delectabile; tum quia refertur vel ad bona Animi, vel corporis, uel externa; tum demum quia respicit uel supera, vt Populi diligunt Principem; uel infera, ut Princeps Populum; vel æqualia, ut Amicus Amicum. Quintus, & supremus gradus dicebatur Diuinus, qui trinus est, quia vel Deus diligit alia, vel diligitur ab alijs, vel diuina mutuò se diligunt, vt Angelus Angelum, & vna Intelligentia cœli alteram. Est itaq; Amor terquinus.

Amor rationalis.

Amor diuinus.

DEFINITIONES.

CVM Amor sit multiformis, nec eius vna sit natura, non rectè vna definitione circumscribi valet. Referam primò varias, & communiores, mox ad magis proprias descendam. Dionysius Areopagita in lib. de Diuinis nominibus, ex sententia Hierothei, inquit Amorem esse facultatem inserentem & commiscentem, supera ad inferorum Prouidentiam mouens, æqualia concilians, infera verò admonens, ut ad potiora sublimioraq; conuertantur. Orpheus inquit, Amor est, qui cunctorum regit habenas. Insuper Amor est, qui tribus Fatis imperans, cuncta generat, omniumq; claues habet. Præterea dicitur Nodus perpetuus, Mundi copula, partiumq; eius immobile Substentaculum, ac vniuersæ machinæ Fundamentum. Præterea ab eodem Orpheo dicitur γλυκύπικρον, hoc est dulce amarum, ac ut dixit Petrarcha, est id quod cum multo amaro, exiguum dulce habet permixtum. Plato in 9. de R. P. Amorem dixit Tyrannum animorum, & in Conuiuio magnum Dæmonem. A' Plutarcho desinitur, quòd sit minister Deorum, exhibitus hominibus pro cura iuuenum, & conseruatione. A Theophrasto, quòd sit animi cupiditas, celerem habens ingressum, tardum verò egressum. A' Proclo in lib. de Anima, & Dæmone, quòd sit Conciliator cunctorum, cum intelligibili pulchritudine. A' Plotino in lib. de Amore cap. 1. & sequentibus, Quòd sit Dux pulchrorum puerorum, Instigator

Dionysius Areopag. *Orpheus.* *Plato.* *Plutarch.* *Teophr.* *Proclus.* *Plotinus.*

animorum ad superam pulchritudinem attingendam, Actus animæ bonum optantis, & tanquam Asylum egenum suapte natura. *Io. Picus.* A' Io. Pico in expositione Beneuenij Amor dicitur desiderium possidendi id, quod est, uel uidetur nobis pulchrum. *Sueß.* A' Suessano in lib. de Pulchro dicitur Affectus residens in appetitu sensitiuo, quo animus inclinat, allicitur rapiturq; ad id, ut uero pulchro fruatur, per omnes sensus per quos species pulchri fertur ad animum, ut in eo pulchro, atque ex eo generemus, pro perenni nostra conseruatione. *Alij.* Ab alijs Amor dicitur Affectus voluntarius, excitatus à pulchro, tanquam radio diuinitatis, vt nos eleuet ad principium cunctorum bonorum. Hæc ex alijs. Veniamus ad magis propria, *Amor vniuersè sūptus.* Amor uniuersè sumptus, dici potest circulus, quo cuncta ex summo bono prodeunt, & in illud suauissimè reuoluuntur. Præterea est communis Hymenæus cunctorum, quæ suo ordine ad Mundi constitutionem, & conseruationem conspirant. Præterea dici potest prima Boni proles, qua pro facultate cuncta eleuantur ad unum, ut eo tanquam proprio bono fruantur, & ob id etiam dici potest Mundi Parens, eiusq; seruator, & custos. Dum tamen per voces magis proprias communem Amorem definire cupimus, dicere *Amor cōmunis.* valemus, Amor est affectio erga bonum, quam sequitur appetitus assequendi illud, eoq; fruendi: Ex hac communi definitione facile est elicere definitiones singulorum graduum, addendo ea, quæ singulorum sunt propria, veluti Amor hu*Humanus.*manus est affectio hominis erga id, quod, ratione ab eo iudicatur bonum, excitans appetitum assequendi illud, eoq; fruendi.

ANNOTATIONES.

Primum quod consideratur. CONSIDERO primò, quòd de Amore varia declaraui in primo gradu Ciuilis Philosophiæ, & præter cætera manifestaui appetitum non esse proprium genus Amoris, sed potiùs proprietatem sequentem Amorem. Amor enim est ea consensio, qua bonum couducit amanti, siue potiùs affectio, erga illud, & sympathia, quam tanquam proprietas sequitur appetitus: Et dum Amor dicitur appetitus, tunc genus circumscribitur per pri*Alterum.*mam eius affectionem. Considero secundò, quòd cum retulerim quinque gradus Amoris; in homine singuli locum habent, cum homo tanquam Mundus paruus, ut ei licet, fit particeps cunctorum, quæ in Magno Mundo reperiuntur; proprius tamen Amoris gradus ei competens, ille est, qui rationem sequitur, ideò definiri potest, quòd sit affectus animi erga bonum ratione approbatum, à Pulchro tanquam boni splendore excitatus, quam affectionem sequitur *Tertium.* appetitus fruendi eo. Considero tertiò, cummuni uoce Venerem dici Matrem Amoris, quam sententiam dubiam puto. Nam Venus pulchritudinem denotat, Pulchritudo non est mater, ex qua tanquam fętus prodeat Amor, *Plato.* ea enim mouet, & excitat. Plato in conuiuio dixit, Porum hoc est, copiam esse Patrem Amoris, Peniam uerò, hoc est inopiam esse eius matrem, nam indigentia ad matrem pertinet. Quæ sententia etiam est dubia, quia inopia est priuatio, at priuatio non appetit bonum, ei oppositum, vt le*Pater Amoris.*gitur in primo Phy. 81. Propterea dicamus, Bonum esse communem Patrem amoris, Pulchritudinem esse instrumentum excitans ad bonum, cuius

est splendor, ut semen etiam dicitur instrumentum Patris pro formando fętu: Priuationem, & indigentiam esse terminum à quo, requisitum pro appetitu; nō autem appetere; Animam verò siue hominem anima prąditum esse eum, in quo vt in materia amor gignitur. Et dum Plato Peniam dixit matrem Amoris, nō puram priuationem denotauit, alioquin conspicuè errasset, & secum pugnasset qui in Lyside distinctiùs sentētiam nuper à me approbatam protulit, & elucidauit. Cōsidero quartò de postremo scopo, & fine Amoris tres esse opiniones. Nōnulli aiunt esse Pulchritudinem; Alij Bonum; Quidam Vnum. *Quartum.* Quòd finis sit frui pulchritudine, ostenditur, quia Amor dicitur desiderium Pulchri. Quòd sit Bonum, ostenditur, quia omne optatur, ut præfefert conditionem boni, & eo iā quam bono frui dicimur: hinc bonum definitur sub initio Nicomachiorum, vt sit id, quod omnia apperunt. Quòd sit Vnum, ostenditur à Plat. in Cōuiuio, quia Amantes nil aliud optant, nisi vt cum amato reddantur vnum, idq; pro viribus quærunt. Confirmant id ipsum Academici, Platonem sequentes, quia Vnum est caput Boni, & supra Bonum, ideò in eo solo appetitus requiescit. Pro solutione dico, non Pulchrum esse finem, quia pulchritudo excitat solùm, ut *Resol. difficultatis.* splendor est boni, & rem amamus, ut optamus, at eam optamus vt bonam. Similiter Vnūm non videtur finis, & scopus pōstremus, quoniam vnum optamus, quia bonum iudicamus, non autem optamus bonum, quia vnum, uel quia ad vnum eleuet. Ideò cùm Arist. dicendum puto, Bonum parere, & excitare Amorem, finemq; Amoris hunc esse vt bono fruamur; cætera autem optemus, ut iuncta cum Bono. Nam id statui debet finis postremus Amoris, quod est terminus postremus appetitus: huiusmodi autem est bonum, cuius conditio etiam est fęcunditas, & unio, adeò ut potiùs unionem optemus, quia bona, quàm bonum, quia unio, quamuis vnum non reperiatur sine altero. Considero quintò pro *Quintum.* Amoris absolutione tria conspirare. Primum est, bonum conducibile, & Sympathia, siue naturalis quædam consensio cum eo. Alterum est appetitus. Tertium adeptio & possessio: primum est tanquam principium: alterum ut mediū; tertium vt finis, ex quo ternario consurgit postrema perfectio Amoris. Insuper considero sextò, quòd cum pro amore opposita requirantur, veluti sunt, Ino *Sextum.* pia, & Copia, siue Priuatio & Forma, quæ sunt tanquam termini duo, unus à quo, alter ad quem; ac insuper requiratur medium, nimirùm appetitio, varijs difficultatibus circumscripta: ac etiā cum Amores distinctorum sint generum, iure de Amore magis quàm de alio quouis opposita sine pugna enunciare valemus. Veluti, quòd sit Dulcis & Amarus; Cęcus, & maximè Oculatus; Volubilis, & constans; Saluber, & Perniciosus; Honestus & Obscenus; Sapiens & Insipiens; Prudens, & Demens; Formosus, & Deformis; Iuuenis & Senex; Volans, & firmus; Alatus, & non Alatus; Insuper Vtilis & Aduersus; Ortus ex ocio, & ex Ratione recta; Fęcundus, & Sterilis; Diues & Egenus; Fortunatus, & Infortunatus; Bonus, & Malus, Frāgens animos, & Deprimens; Delectabilis, & Molestus; Vigil & Oscitans; Potens, & Impotens; & sic de alijs multis, quorum explicatio ex se conspicua est. Considero septimò, omnium consensione exi- *Septimum* mias esse uires Amoris, & ideò dicitur tribus Fatis dominari, & omnium habere claues. Hoc indicatur nomine eius, nām Amor si conuertatur, consurgit Roma, gręcè Ρώμη, quæ uox robur, & uires denotat. à Gręcis aūt dicitur ἔρως, à uerbo ῥώμη quod robur denotat, ut ait Plato in Phrædro: In Cratylo aūt legitur, quòd ita dicitur quia uoii. ι influit extrinsecùs. Ex gręco Amoris nomine Heros deducitur, præstantiā & eminentiā denotans: Ob id etiam dicitur mediare inter Deū & homines, quia valet homines eleuare ad Deum. Ac insuper dici poteſt Deus,

Dęmon,& Bellua:Deus quidem,quia originalis Amor refulget in Deo,per quē Deus cuncta creauit, & creata seruat,ac perficit,nil autem est in Deo, quod nō sit Deus.Dicitur Dæmon,& à Platone in Conuiuio Dæmon magnus, considerando Amorem in Natura,famula Dei,quæ ab Arist.Dęmonica dicitur, ob uires eius,& admirabilem,ac latentem operandi modum. Dicitur autem Bellua,considerando libidines,& peruersiones Amoris. Sic etiam ob vires & munera Amoris Empedocles Amorem & Litem dixit esse communia principia rerum.Amor competit rebus per accessum ad Deum,Lis uerò per recessum. Per Amorem cuncta nectuntur:per Litem secernuntur. Amor & Lis dici cum Empedocle possunt Principia generationis rerum triplici ratione. Prima est, quia ex Diuino,& originali Amore,tanquam ex primo principio,cuncta prodeunt, à quo recedentia miscentur cum non Ente,& per gradus à Lite inuicem secernuntur. Altera est, quia cuncta,quæ per naturam gignuntur,exposcunt communem materiam,& oppositos terminos. Tertia ratio est, quia sine Elementis nulla fit generatio:Elementa uerò habent aliquid commune, ueluti materiam, & qualitatem unam,& aliquid pugnans,veluti qualitates pugnantes, per quas cum inuicem dimicent,in mixto per amicitiam conciliantur. Considero octauò,In Conuiuio Platonis ab Agathone hæc enunciari, Hic Deus est,qui pacem largitur hominibus,qui mari tranquillitatem, qui uentis requiem, cubile uiuentibus,omniumq; securissimum. Hic rusticitatem à nobis amouet, nos familiaritate conciliat,cætus huiusmodi omnes congregans. In Choris, & sacrificijs dux nobis est,& præsidens,mansuetudinem porrigens,repellens feritatem,beneuolentiæ largitor,maleuolentiæ omnis expulsor,propitius,beneficus. Spectandus sapientibus, Dijs placidus,exoptandus expertibus,participantibus possidendus,atq; tenendus Delitiarum mollium,illecebrarum,gratiarum dulcis persusionis & desiderij fons,Pater bonorum studiorum,malorum spretor, in labore,in timore in desiderio,in sermone gubernator perfectus,adiutor,seruatorq; præcipuus,Deorum atq; hominum decus,& dux pulcherrimus, atq; optimus, quem profectò sectari debet, præclarisque hymnis uenerari uir quisque cantilenæ illius particeps,quam Amor ipse concinit, Mentem Deorum hominumq; permulcens. Hæc Plato. Demùm considero, quòd Amor dici potest & primus & medius. Ab Hesiodo,& Empedocle dicitur primus,ut per illū cuncta in lucē prodeunt:dicitur autem medius,quatenus supra se habet amabile, ad quod Amantē eleuat: non est infimus,quia Amor est quædam diuina conditio, ut latiùs patefacit Proclus in lib. de Anima & Dæmone. Nos autem colligamus Amorem esse potentissimum,quia omnia uincit: Amplissimum, quia per omnia extenditur: Pulcherrimum, quia solo pulchro delectatur: Optimum,quia ex bono prodit, ac ad bonum eleuat: Fęcundissimum, quia omnia parit: Antiquissimum, quia Pater est omnium: Iustissimum, quia procreando cunctis dat, quod eis competit:Saluberrimum,quia cunctis tribuit pacem & optimam dispositionem:Tranquillum,quia cunctis impartitur tranquillitatem: Dulcissimū hymenæum,quia cuncta felicissimè ligat: Et demùm forma copiæ, quia bona omnia per vniuersum effundit.

Emped.

Octauum.

AMI-

AMICITIA.

DISTINCTIONES.

VT Amor, ita Amicitia multiplex eſt, nam uſurpatur, & latè, & preſſiùs. Amicitia latè ſumpta in tot diſtribuitur gradus, in quot Amor, nimirùm in quinque. Nam datur Amicitia *Amicitia latè ſūpta* Naturalis inanimorum, Vitalis Plantarum, Senſitiua Animalium expertium rationis, Humana, ſiue Rationalis, & Diuina. Et quilibet gradus eſt trinus, adeò ut etiam Amicitia ſit terquina. Amicitia uerò preſſiùs, & magis propriè *Amicitia magis propriè.* ſumpta, iuncta eſt cum ratione, & ſoli homini competit. Hæc diuiditur. Ab Ariſtotele in 8. Nicomachiorum capit. 3. trina diuiſione bonorum, quia enim Amicitia bonum quærit, ut bonorum quædam ſunt utilia, alia delectationem præbent, nonnulla ſunt honeſta; ita datur Amicitia utilis, honeſta, & delectationem quærens. Et quia id ſolùm eſt abſolutè bonum, quod eſt honeſtum, ideò Amicitia honeſtum quærens, & uirtutem ſequens, re uera, & propriè eſt Amicitia, cum qua & propria utilitas, & uera delectatio iuncta eſt. Inſuper Humana Amicitia; uel eſt ſuperioris erga inferiorem, ut Parentis, & Principis erga natos, & Populos, uel inferioris erga ſuperiorem; uel æqualis erga æqualem, quæ magis propriè Amicitia dicitur. Ariſt. in 2. Rhet. inquit, Amicitiæ ſpecies ſunt *Ariſ.* Sodalitas, Neceſſitudo, Cognatio, cæteraq; eius generis, quo loci utitur amicitię nomine latè.

DEFINITIONES.

CVM multiplex ſit Amicitia, multiplex eius debet eſſe definitio nos tamen eam indagare debemus, quæ Amicitię propriè ſumptæ conueniat. Definitur Amicitia à Speuſippo in libro de *Speuſipp.* Platonis definitionibus, quòd ſit conſenſio in rebus honeſtis, & iuſtis, Eiuſdem uitæ ſelectio, hominis ad hominem grata & accepta. Societas uerò definitur, quòd ſit Amicitia, ex diuturna ſi- *Societas.* milium conſuetudine formata. Marſ. in Lyſide ait, Amicitiam uult Plato eſſe *Marſ.* honeſtam perpetuæ uoluntatis unionem, cuius finis ſit uita una, Principium cognitio, medium Amor, nam Amicitia eſt inueteratus Amor. Heſiodus (referente Platone in Lyſide) dixit Amicitiam eſſe conſenſionem ſimilium. Alij ex ad- *Heſiod.* uerſo dixère eſſe conſenſionem diſſimilium. Plato uerò inquit, Amorē & Ami- *Plato.* citiam eſſe appetitionem eius, quod proprium, & cognatum eſt, ex indigentia prodeuntem. Cicero in lib. de Amicitia primo ait, Amicitiam eſſe uoluntatum, *Cicero.* ſtudiorum, ſententiarumq; ſummam conſenſionem. Mox uerò ait eſſe omniū diuinarum, humanarumq; rerum cum Beneuolentia, & Charitate ſummam *D. Aug.* conſenſionem. D. Aug. in libro de Amicitia, (ſi eius eſt liber ille) inquit, Amicitiam eſſe inter duos eam uoluntatum Societatem, ut nil uelit unus, quod nolit alter, eaq; inter utroſq; in bonis, maliſq; conſenſionem, ut non ſpes, non ſenſus, non honor, non quicquam quod alterius ſit, alteri denegetur, ad uiuendum pro uolun-

Alij. uoluntate,& ad utendum,adeò ut unusquisq; ut est affectus erga se,ita afficiatur erga alterum,in omni mutuo officio,& obsequio. Alij definientes dicunt, Amicitiam esse summum,& mutuum Amorem,duorum,uel trium ad summũ, à morum,uirtutisq; similitudine profectum,tempore, & consuetudine confirmatum. At prætermissa aliarum definitionum relatione,ego (Arist. sequens) Amicitiam definiendam censeo, quòd sit proborum hominum mutuus, conspicuus,confirmatusq; Amor,ex probitatis inspectione ortus,ad uitæ honestæ coniunctionem ducens, ut uirtutis officio gratiùs & exactiùs frueremur.

Propria definitio.

ANNOTATIONES.

DE attinentibus ad Amicitiam latissimè uerba feci in octauo Gradu Ciuilis Philosophiæ,quæ modo repetenda non puto, solùm considero primò,in definitione Amicitiæ omne causæ genus explicari,Nam Amor mutuus est forma, Viri probi sunt materia, cognitio probitatis est causa efficiens, coniunctio uitæ honestæ, est finis proximus,usus exactior uirtutis est finis posterior. Considero secundò,quòd cum Amicitia dicatur coniunctio,ea coniunctio non corporum est,nisi ex accidenti,sed Animi,& cum Animus sit duplex, uel ex se rationis compos,ut Mens,uel solum per participationem,ut Phantasia, & appetitus sensitiuus,dubium est,cui animæ parti ea coniunctio tribuenda sit? Et profectò putandum est,eam principaliter tribuendam esse Menti, Secundariò uerò alteri parti. Ratio est,quia Mens regit,& in homine rectè affecto imperium obtinet,hominisq; actiones per Sapientiam & Prudentiam rectè componit, & dirigit:coniunctio autem debet primò competere Principibus,& dirigentibus, Secundariò autem adesse debet coniunctio appetitionum, ut nil unus appetat, quod non appetat alter,& præsertim hæc iudicari debet necessaria,quia Amicitia maximè exposcit uirtutem in more positam,quæ quamuis ut in dirigente refulgeat in Mente,tamen tamquam in propria materia, & fundamento, residet in appetitu sensuum,& eius perturbationibus. Coniunctio itaq; requiritur omnium facultatum animi,quæ uel ex se,uel per participationem fuerint rationis compotes. Considero tertiò,quòd ut uirtutes iumentis competunt secundum quandam similitudinem,Separatis formis per eminentiam, homini uerò secundum propriam formam:ita de Amicitia se habere putandum est; nam feris adumbrarè competit;separatis Mentibus per eminentiam,& sine indigentia;homini autem secundum propriam formam,& cũ omnibus eius conditionibus. Considero quartò, quòd cum triplex sit uiuentis hominis conditio, nimirùm misera,fęlix,& media;dubium est,in qua earum locum habeat Amicitia? Et breuibus dico,in misera non habere sedem,in media modo aliquo apparere,in fęlici refulgere. Primò abest à conditione misera,quia nemo est miser, & infęlix sine uitio,ualet quidem homo sine uitio esse infortunatus,æger, at non miser;cum uitio autem conspicuo,& graui, pariente miseriam, Amicitia seruari non potest. In medio,& neutro,locum habere ualet, quia ualet esse uir probus,qui non fęlicem hanc uitam ducat ex sententia Aristo.ut se habet de paupere infortunato,& insalubri,qui tamen probus sit. Stoici tamen in sola uirtute summum Bonum collocãtes, secùs dicerent. Demùm in uiro fęlicem uitam ducente maximè amicitia refulget,quia in eo actiones,uirtuti consentaneæ,splendidiores sunt,& coniunctio cum amico minùs turbatur,& cumulatiùs ob conspira-

Primum quod consideratur. *Alterum.* *Tertium.* *Quartum.* *Stoici.*

ſpirationem bonorum Naturæ, Fortunæ, & Animi, eis ualet competere. At obijciet aliquis, quia non apparet in uiro felici locum habere poſſe: tum quia felix eſt ſibi ſatis, & nullo eget; tum inſuper quia Amor, & Amicitia iunctam habent appetitionem; appetitio indigentiam: in viro felici appetitiones ſunt expletæ, & priuatio ab eo longè abeſt. Soluitur dubitatio dicendo, Felicitatem ex ſententia Ariſto. eſſe conſpirationem omnium bonorum, quæ apta ſunt homini competere, hanc vitam viuenti: & propterea non dicitur egere Amicis, ſed eos includere, tamquā appendicem ſuæ conditionis, & modo aliquo tamquam externā portionem: Et dum additur, ab eo abeſſe indigentiam, & appetitiones. Reſpondeo abeſſe pro præſenti, at non pro futuro, cum enim externis & naturæ bonis priuari pro futuro valeat, dicitur appetere ea quæ poſſidet, vt dicebat Socrates in Conuiuio Platonis. Inſuper cum pro præſenti appetitiones omnes in viro felici ſint expletæ, dicitur poſtremam abſolutionem Amoris, & frui fructu eius, & fine. Et demùm nunquam homo hanc vitam viuens ita valet eſſe diſpoſitus, vt nil appetat.

Ambiguitas.

Sol.

ODIVM, LIS,

ET INIMICITIA.

DISTINCTIONES.

REGVLA communis eſt, tot modis vſurpari vnum oppoſitorum, quot alterum: propterea ex Amoris, & Amicitiæ diſtinctionibus, etiam refulgent diſtinctiones Odij, & Inimicitiæ. Quinque ſtatuebantur gradus Amoris, & vnuſquiſq; eorum trinus erat; quinque ſimiliter iudicari debent gradus Odij, & Inimicitiæ, datur enim Odium & Inimicitia Naturalis, Vitalis, Senſitiua, Rationalis, & Diuina, qua dicimus Deum odiſſe malos, & diligere bonos. Competunt hæc Diuinis per eminentiam, & ſimilitudinem; Homini ſecundum propriam formam, & rationem; Iumentis per affectum ſequentem ſenſus; Plantis per vitalem facultatem; Inanimis per ſolam ſuæ naturæ propenſionem, per quam frigus fugit calorem, grauia locum ſurſùm, & ſic de cæteris. Lis, & Inimicitia hominum eſſe poteſt, vel aduerſa rationi, vt dum improbi odio proſequuntur probos, vel rationi conſentanea, vt vice verſa. Inſuper vel eſt lis interna, vt inter varias eiuſdem appetitiones, vel externa, quę inter varia verſatur, vt conſpicuum eſt.

Quinque grad. Odij.

DEFINITIONES.

Quid Lis? LIS, siue Inimicitia vniuersè sumpta, est dissensio duorũ, vel plurium, adinuicem, per quam vnum pro facultate vel fugit alterũ, vel illud longè à se repellit. Insuper est pugna duorum, vel plurium nitentium mutuò se euertere, uel longè repellere. Præterea est oppositio distinctarum conditionum, ob quam unaquæque oppositam uitare, vel euertere nititur pro sui conseruatione. Et cum uarij sint odiorum gradus, possunt per propria eorum assignari propriæ circumscriptiones, quibus dimissis descendens ad odia, & inimicitias hominũ, *Inimicitia hominum.* dicere primò ualemus, Odium esse animi affectionem, conditioni alterius aduersam, ob quam uel illum declinat, uel euertere nititur. Inimicitia autem, quæ est contraria propriè sumptæ Amicitiæ, est mutuum, conspicuum, confirmatumq; odium, ex uitio prodiens, homines adinuicem secernens. Et quemadmodum Concordiã paruæ res seruantur & crescunt, ita Discordiã, maximæ pereunt, & dilabuntur.

ANNOTATIONES.

Primum quod consideratur. CONSIDERO primò, in omnibus præterquam in Deo reperiri internam quandam litem, & pugnam, adeò ut recedere à Deo sit, recedere à sincerissimo Amore, & quo magis res à Deo recedunt, eo maiorem litis portionem includunt. Hæc communissima Lis ea est, quæ uersatur inter actum, & potentiam, inclusam, & insitam in cunctis sub Deo positis. In animalibus tamen reperitur Lis interna inter appetitiones uarias, quę præsertim uiget in homine, *Alterum.* ob pugnam sensus, & rationis. Considero secundò, quòd loquendo de Lite externa, latè sumpta, qua unum pugnat cum altero, hæc absolutè in omnibus locũ habet, & maximè in Deo, à quo maximè omnium distant peccatores, quos odio habet: in Deo tamen odium, non passio, nec perturbatio est, sed distantia conditionis eius, à recessibus ab ea, eiusq; legibus. Sic etiam Lis habet locum in cęlo ob multas uarietates attinentium ad illud. Lis autem, quæ affectio quædam, & passio est, magis quàm in alijs sedem habet in homine, in quo frequenter sensus cum sensũ, Ratio cum ratione, & sensus cum ratione pugnat. Consi- *Tertium.* dero tertiò, in dubium posse uerti, quid sit potentius, num Odium; uel Amici- *Dub.* tia? Odium uidetur potentius, quia discordiã res maximæ dilabuntur: Respublicæ turbantur: Pereunt Regna: & homines ob eam conspicua subeunt pericula mortis. Ex aduerso Amor Potentissimus dicitur, & de eo legitur, omnia *Sol.* uincit Amor, & alia innumera consimilia; Soluens dico, Amorem absolutè potentiorem esse; Amoris enim officium est construere, & parere; Odij uerò, & Litis destruere: at longè difficilius est construere, quàm destruere. Hinc dicitur pro constructione requiri omnia, pro euersione satis esse unum, immo Lis frequenter uires recipit ex aliqua conspiratione, & Amore multorum ad destru- *Quartum.* ctionem conspirantium. Considero quartò, sententiam esse Aristo. in 7. de R.P. inter affines, consanguineos, & cognatos, ut maximè uiget per naturam Amor, ita nonnunquam uehementissimum est odium. Ratio hæc esse potest, quia dũ

officium

officium alicuius est, ut nobis prosit, maximè indignamur, dum obest; indignamur enim duplici ratione, primò quia lędimur, Secundò quia tenebatur ob cōnexionem nobis prodesse, de cæteris non sic se habet. Et consimili ratione magis indignamur aduersus eos, quibus opem tulimus, quàm aduersus alios. Insuper id accidit, quia opposita maximè apta sunt fieri in eodem, & aduersus idem opposito modo se habens dicitur tamen, quòd Animantium iræ sunt Amoris reintegratio. Ratio est, quia per iram priuantur vnione, & vsu eius, per quem summoperè delectātur, & ideo læsionem, & molestiam percipientes, desinente ira, vehementiùs ad vnionem conspirant. Quintò considero in dubium verti posse, quid sit origine prius, num Amor vel Odium? Hesiodus dixit in Chao primò spirasse Amorem, indicando materiæ succedere, eamq; primò sequi Amorem, per quem optat formam, Lis autem sequitur pugnantes formas; sic ex Amore Diuino dicuntur omnia prodijsse. Ex aduerso Lis videtur antecedere, quia statim sequitur ens, quod pugnat cum non ente. Insuper in Materia primò consideramus priuationem, quam sequitur pugna cum forma, mox appetitum formæ, præsupponentem priuationem, adeò vt potiùs affirmandum videatur in Chao, siue in Materia, primò spirasse Litem, mox prodijsse Amorē. Pro solutione huius difficultatis id ipsum dicendum puto, quòd profert Arist. in 9. Metaph. de Actu & Potentia, nam Actus absolutè prior dicitur: in eodem autem tendente ex potestate ad actum, prior origine est Potentia. Similiter Diuinus Amor absolutè antecedit, & parit omnia: in eodem tamen tendente ex potentia ad actum, & ex priuatione ad formam putandum est antecedere priuationem, & litem: & hac consideratione vera erit sententia Empedoclis dicentis, regnante lite gigni Mundum hunc, qui Mundus Litis, & Inimicitiæ dicitur. Considero sexto loco, quòd cum omnia fluant ex bono, nil in vniuerso reperitur, quod vel boni aliquid non includat, vel in bonum vt in finem non dirigatur, vel dirigi valeat; propterea putandum est, Litem quoq; præbere Mundo aliquam utilitatem. Quæ autem sit huiusmodi utilitas, superest explicandum, & profectò utilitates sunt variæ. Nam primò Lis est principium internum generationis, cum generatio uersetur inter oppositionem priuationis & formæ. Insuper inimicitiæ reddunt nos cautos, Prudentes, accuratos, & nostrorum bonorum acerrimos defensores, adeò ut Plutarchus iure optimo librum construxerit, in quo varias retulit vtilitates ex inimicis capiendas: ut rectè Epictetus Stoicus enunciauit, eorum omnium quæ nobis occurrunt, duas esse ansas, unam boni, alteram mali, indicando nos posse eis uel rectè, uel perperàm uti. Ex recto usu prodit utilitas, ex deprauato damnum, & læsio. Insuper lites & pugnæ omnes pro fine habent Pacem, & Amicitiam, uel nobiscum, uel cum alijs; pugnamus enim ut amicitia & pace fruamur, sic pugnant inuicem Elemēta, ut in mixto concordi pace ligentur; pugnat cum frigore calor, ne ab eo turbetur, & cumulatiùs tranquillitate fruatur, quod etiam in cæteris seruare ualemus, insuper ex pugna contrariorum consonantiæ rerum consurgunt. Et demùm per lites & pugnam dulcior & gratior nobis redditur pax, & Amor. Considero septimò, quòd ut nil pugnat dari summum bonum, nil mali includens, repugnat tamen dari summum malum, quod nil boni insitum habeat, alioquin nil esset penitùs. Ita nil pugnat dari summum Amorem, nil odij & litis intus includentem, qualis est Deus maximus: pugnat tamen dari litem summam & puram, nil pacis & interni Amoris includentem, nam profectò nihil esset: Lis enim euertit, & nil cōnstituit, quare ut sit, requiritur portio aliqua pacis & adeptionis suę naturæ, & conditionis, nam frui suo esse est frui pace, fine, & trāquillitate aliqua.

Quintum. *Hesiod.* *Resol.* *Sextum.* *Vtilitas litis.* *Plutarch.* *Epictetus.* *Septimum*

SEN-

SENSIBILE.

DIVISIONES.

Diuiſio ſenſibilium. DIVIDVNTVR ab Academicis, non repugnantibus Peripateticis, ea quæ ſunt, in ſenſibilia, & intelligibilia. Senſibilia ea ſunt, quæ iuncta ſunt cum corpore, omne enim ſenſibile in materia eſt, ut legitur in 1. de Cęlo. Intelligibilia uerò ea dicuntur, quæ ſunt ſecreta à mole corporea. Diuiditur Senſibile ab Ariſto. in 2. de Anima 63. in ſecundum ſe, & ex accidenti. Senſibile ſecundũ ſe eſt id, quod ſua forma mouet, & format ſenſum; & hoc eſt duplex, unum commune, alterum proprium. Senſibile proprium eſt id, quod ſecundum ſe & primò, ſenſum illum mouet, cuius eſt proprium, ut color uiſum. Senſibile uerò commune eſt id, quod ſecundum ſe, non tamen primò, & ſeorsùm à proprio, ſed ſecundariò, à pluribus ſenſibus percipitur. *Senſibile ex accidẽti* Senſibile ex accidenti ſimiliter, uel eſt proprium, & huiuſmodi eſt priuatio proprij ſenſibilis, ut ſilentium, quod ſolo auditu; & tenebrę, quæ ſolo uiſu percipiuntur, & ſimiliter perſpicuum, quod ab Ariſt. dicitur non ſecundum ſe uiſibile, ſed alieno actu, nimirùm lumine. Vel eſt ſenſibile ex accidenti commune, quod poteſt per plures ſenſus iudicari. Et hoc eſt duplex, uel enim eſt ſenſibile ex accidenti per comparationem, & relationem, ut ſenſibile proprium unius ſenſus, relatum ad ſenſus alios dicitur ex accidenti, ut inſpicientes mel flauum, dicimur ex accidenti uidere dulce, vel eſt ex accidenti abſoluè, quia non fit aptum ſentiri ſecundum ſe, ut ſubſtantia, relatio, & ſimilia. Inſuper diuiduntur ſenſibilia in ſenſibilia actu, & poteſtate. Senſibilia poteſtate dicuntur, dum ſenſu non percipiuntur; actu uerò dum indicantur, ac ita dicuntur actu, & poteſtate non conſiderando actum primum, qui eſt forma eorum, ſed ſecundum, nimirùm actionem, & iudicium.

DEFINITIONES.

Senſibile Late. SENSIBILE latè ſumptum eſt materiatum quoduis, ut ſenſu aliquo percipi aptum eſt. Inſuper eſt Ens materiatum quod tale eſt actu, qualis ſenſus eſt poteſtate. *Secũdũ ſe.* Senſibile ſecundum ſe eſt id, quod ſua forma eſt aptum mouere, & modo aliquo afficere ſenſum. Vel ſenſibile ſecundum ſe eſt id, quod talo eſt actu, qualis ſenſus poteſt ſecundum ſe fieri. *Cõmune.* Senſibile commune eſt quantum, quod vnà cum proprijs eſt aptum ſecundariò mouere, & modo aliquo formare ſenſus plures, ab eiſq; iudicari. *Secũdũ ſe & propriũ.* Senſibile ſecundum ſe, & proprium eſt qualitas ſecundum ſe, & primò apta unicum mouere ſenſum, ab eoq; ſecundum ſe & ſine deceptione percipi. *Ex accidẽti.* Senſibile ex accidenti eſt id, quod ſolum per aliud percipitur, uel abſolutè, uel per relationem ad eam facultatem, à qua per aliud iudicatur.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò Sensibile posse dupliciter considerari, uel pro suo esse absoluto, uel pro esse relato, quod est posterius absoluto, & id supponit tanquam fundamentum; *Primum quod consideratur.* hoc in loco consideratur pro esse relato, nimirùm vt refertur ad sensum. Considero secundò, quòd cum Sensibile proportione respondeat Intelligibili: *Alterum.* & quemadmodum Sensibile ad sensum, ita Intelligibile dicatur se habere ad intellectum, non propterea in omnibus sunt similia. Nam id, quod re uera, & absolutè est Intelligibile, etiam intelligit, ut ait Arist. in 3. de Anima, & iure; nam absolutè Intelligibile est forma à corpore seiuncta, cuius conditio est intelligere: At non ita Sensibile sentit, *Tertium.* quia hoc est qualitas, & accidens non aptum sentire. Considero tertiò, ordiendo à sensibilibus secundum se, & communibus, quod ea dicuntur communia, tum quia propriè communi sensui respondent, à quo exactiùs iudicantur, tum insuper quia nisi ab omnibus externis sensibus, saltem à pluribus percipiuntur, quod non competit sensibilibus proprijs. Qua de re Arist. uidetur secum pugnare, nam in 2. de Anima 64. inquit, sensibilia nullius externorum sensuum esse propria, *Pugna in Arist.* sed communia omnibus; in libr. autem de Sensu & sensibili cap. 4. inquit, communia esse sensibus, & si non omnibus sed uisui & tactui. Dicas esse communia omnibus, nisi omnia, saltem motum, *Sol.* nisi propriè, saltem adumbratè & minus propriè, propriè autem omnia percipiuntur uisu, & tactu. Considero quartò, hæc communia dici sensibilia secundum se, non primò, sed secundariò. Ratio est, quia non primò in sensus agunt, *Quartum.* sed secundariò, ope propriorum; nec primò figuram & speciem propriam imprimunt in sensu, sed configurare, & unà cum proprijs mouere dicuntur. Et quia ea quoq; suam speciem imprimunt, & unà cum proprijs mouent, quatenus sunt tamquam modi quidam, quibus propria sensus formant; ideò dicuntur sensibilia secundum se. Et quamuis dum primò sensus mouent id faciant unà cum proprijs, tamen deinde per uim imaginandi, eorum species seorsùm ab ea propriorum concipi potest, ueluti Geometra imaginatur figuras, & magnitudines seorsùm à sensibilibus proprijs. Considero quintò, Galenum in 7. de Placitis cap. 6. putasse communia sentiri ex accidenti, *Quintum* & non sentiri sine aliqua ratione, & memoria. At cum ea sentiantur etiam à feris, proculdubio sine ratione sentiri possunt. Insuper cum unà cum proprijs moueant, & configurent sensus externos: ut pro sensu propriorum non est necessaria memoria, ita neq; pro sensu communium, vt experientia patet, præsertim de figura, magnitudine, & numero; Quare dicamus sentiri etiam sine ope rationis & memoriæ, ope autem horum sentiri & iudicari exactiùs, & distinctiùs. Et possunt etiam dici sentiri ex accidenti, quatenus non primò id eis competit, sed secundariò, vt dixi & per quendam recessum à primo, & quædam eorum frequenter ex accidenti sentiuntur. *Sextum.* Considero sextò pro numero cõmuniũ sẽsibiliũ, quòd Ari. in 2. de Anima 64. quin

X que

que numerat communia ſenſibilia, ea autem ſunt Motus Quies, Numerus, Figura, & Magnitudo, quibus in cont. 132. addit Vnitatem, quæ ad numerum redigi poteſt. Inſuper in libr. de Senſu & ſenſibili, addit Acutum, Obtuſum, Aſperum & Lene, quæ redigi poſſunt ad Figuram. *Perſpectiui.* Perſpectiuí ſuppoſitis illis ſex primò relatis ex opinione Ariſtotelis, augent numerum vſq; ad vigeſimum, addentes Simile, Diſſimile, Pulchrum, Deforme, Aequale, Inæquale, Diſtantiam, Propinquitatem, & ſex Differentias poſitionis, nimirùm Surſùm, Deorſùm, Dextrum, Siniſtrum, Anterius, & Poſterius. At horum, quæ addunt, nonnulla rediguntur ad relata ab Ariſtotele, alia ex accidenti ſentiuntur; vt relationes. Ratio numeri primò ex relati ſententia Ariſtotelis eſt, quia Senſibile commune non poteſt eſſe Subſtantia, quæ non percipitur ſenſu; non Relatio, quæ non ſentitur per ſe; non Qualitas, quia conſtituit ſenſibilia propria; Quare eſt Quantitas, & Figura dicitur Senſibile commune, vt eſt quædam terminata quantitas: Cum autem quantitas ſit; Vel eſt diſcreta, & inde prodit Numerus, ad quem redigitur Vnitas; Vel eſt continua, & hæc vel permanens eſt, & huiuſmodi eſt Magnitudo, cuius terminus eſt Figura, vel eſt fluens ſiue fluxus, & huiuſmodi eſt Motus, ad quem redigitur Tempus, quatenus pro abſoluto, ſiue pro fundamento eſt idem cum primo motu. *Ratio numeri communiũ ſenſibilium.*

Ex ſenſibilibus communibus tendendo ad ea, quæ ſecundum ſe, & propria dicuntur. *Septimum* Conſidero ſeptimò, huiuſmodi eſſe qualitates materiatas, externis ſenſibus primò occurrentes, nimirùm Colores, Sapores, Odores, Sonos, & Qualitates tactui reſpondentes. De his inquit Philoſophus in 2. de Anima, quòd ſine ſenſuum deceptione iudicantur. Quæ ſententia eſt dubia, cum frequenter, in eorum iudicio appareat error. Hinc tres Philoſophorum prodiêre opiniones. Archeſilaus, & Academici putârunt ſenſus ſemper decipi, quia iudicent ſenſibilia re vera eſſe, cum tamen cadentia ſub ſenſum ſolùm ſint vmbræ, & imagines rerum. *An ſenſus decipiatur. Academici.* Ex aduerſo Epicurus, Lucretius, & alij cum eis, affirmant ſenſus nunquam decipi, nec aliam vllam cognitionem nobis certiorem competere, nam res tales ſenſibus iudicantur, quales eis proximè ſe offerunt: ſe offerunt vt ſunt: quæ ſunt, uera ſunt; quare ſine deceptione ea proximè mouentia iudicantur, ea autem ſunt ſenſibilia propria, & proxima. *Epicurus. Ariſ.* Ariſto. mediat, inquiens ſenſus non decipi ſecundum ſe, decipi tamen ex accidenti, nimirùm ex deprauatione conſpirantium ad ſenſum, quæ cum ſint tria, Obiectum, Medium, & Organum, iure Alexander, & cum eo Themiſtius inquiunt tria requiri, ne ſenſus decipiantur; ea autem tria ſunt recta diſpoſitio trium relatorum: ac ita ſenſus ex ſe veri ſunt, ſolùm decipiuntur ex accidenti, hoc eſt ob conſpirantium deprauationem. *Reſol.* Pro lucida reſolutione, quatuor concluſiones enunciare valemus. Prima eſt, Senſus nunquam eſſe veros, quatenus ſola externa, & non eſſentias rerum apprehendunt, quæ uerè ſunt. Altera eſt, Senſus ſemper eſſe ueros, quod eis competit, dum ad proximè mouentia referuntur, ſiue ad ea, quæ proximè eis offeruntur. Tertia eſt, Senſus nec veros, nec falſos eſſe, loquendo de vero & falſo attinente ad enunciationes. Quarta, dum referuntur ad principale ſenſibile, dico eos ſecundum ſe eſſe ſemper veros, mendaces autem ex accidenti: & hæc eſt ſententia Ariſtot. *Octauum.* Octauo loco, loquendo de ſenſibilibus ex accidenti, conſidero, quòd cum Senſibi-

le

le ex accidenti sit diuisum in proprium & commune, loquendo de proprio, quod est priuatio proprij sensibilis, vt tenebræ, silentium, & similia hæc dicuntur sentiri ex accidenti, quia sensum nec mouent, nec propria specie formant, inquit Aue. in 2. de Anima con. 120. à sensu, vtrumq; nosci essentialiter, nimirùm Formam, & Priuationem. Quod tamen de Priuatione uidetur dubium, cum sentiatur per aliud, nimirùm per Formam ei oppositam; Hinc Arist. in 3. de Anima cont. 25. ait, Priuationem nosci suo contrario, & pro notitia priuationum inquit requiri duo, Primum, ut noscens sit potestate, adeò ut utrumq; oppositum sit aptum iudicare, Alterum, ut in se habeat unum, hoc est formam, per quam noscat priuationem; cum itaq; priuatio noscatur per formam, non secundum se noscitur. Seruari tamen potest sententia Auer. quòd priuatio noscatur essentialiter, non quia per se noscatur, sed quia ab vno solo sensu, per priuationem oppositæ formæ quæ secundum se percipitur sentiatur, adeò vt dicatur percipi essentialiter per priuationem vt ea quoque priuatio est, eius tamen cognitio absoluitur in communi sensu, at non sine proprio, ex quo elicio nemi nem iudicare tenebras & priuationes, nisi priùs nouerint Lucem & formam. *Auer.* *Defenditur Aue.*

Nonò descendendo ad sensibilia ex accidenti communia, quæ erant duplicia, considero accidentia propria vnius sensus percipi ab altero ex accidenti, hoc est per aliud, nimirùm per accidens ei iunctum, vt videntes flauum mellis, dicimur videre dulce, tanquam iunctum cum eo, id tamen non ualemus efficere, nisi priùs sensu gustus eam dulcedinem perceperimus, ac ita id iudicium ex accidenti, est posterius iudicio secundum se duplici ratione, primò quia prius gustu secundum se percepimus dulcedinem, secundò, quia visu primò iudicamus Flauum, & per consequutionem dulce, ex quo patet ea non percipi sine memoria. *Nonum.*

Considero decimò ex se constare iumenta & feras iudicare ea sensibilia ex accidenti, quæ sunt secundum se alterius sensus, vt per colores alimentorũ, iudicant alimenta eis grata. Dubium autem est, an valeant iudicare aliud genus sensibilium ex accidenti, nimirùm substantias, & relationes? Videtur id esse affirmandum, quia Agnus noscit suam matrem, Canis suum dominum, Pecudes suum custodem, ac ita noscunt particulares substantias, & relationes. Dicendum, quòd particulares substantiæ minimè iudicantur à iumentis & feris ex accidenti. Ratio est, quia id ab aliquo dicitur sentiri ex accidenti, quod ab eo est aptum nosci secundum se, hæc enim opposita nata sunt competere eidem: Iumenta & feræ non sunt aptæ iudicare secundum se substantias, & relationes: quare neq; ex accidenti: & ne dum illæ id facere nequeunt, verùm insuper neq; pueri ante vsum rationis. Addò insuper quòd noscere ea contingit dupliciter, vel confusè sub ratione conducentis, & vtilis siue aduersi, & lædentis, vel distinctè sub ratione substantiæ & relationis, vt facit homo per vsum rationis: hoc secundo modo iumenta, & feræ id facere nequeunt, solùm id valent efficere modo primo, & id efficiunt per Phantasiam, & subnotiones eius, vt Agnus iudicat Lupum, tanquam sibi aduersum. *Decimum.* *An iumenta noscant particulares substantias? Sol.*

Considero vndecimò, quòd loquendo de eisdem sensibilibus ex accidenti, dubium est, quomodo noscantur ab homine? Qua de re loquitur Auer. in 2. de Anima cont. 63. & 65. eius sententia hæc est, Vniuersalitas & Indiuidualitas, cum sint notiones secundæ, Mente formatæ, sola Mente percipiuntur. Insuper addit iudicare sensu differentias indiuiduorum omnium prædicamentorum, & præsertim substantiæ, siue notiones eorum, solùm attinere ad sensum hominis vt hominis est; idq; fit hoc ordine, offertur nobis primò in- *Vndecimum.* *Sententia Auer.*

diuiduum substantiæ, cuius intentio solùm ex accidenti & cum præsentia & connexione sensibilium propriorum ab externis sensibus iudicatur, id ipsum dicendum de sensu communi, quem sequitur vis imaginandi, quæ sine præsentia obiecti id iudicare valet, non tamen sine coniunctione cum sensibilibus proprijs. Mox vis cogitandi ab eo inter sensus internos numerata, iudicat intentionem indiuidualem veluti Cæsaris, denudando eam à sensibilibus proprijs & communibus, quam tradit Memoriæ seruandam. Ab hac Auerrois sententia recedo, primò quia vis cogitandi inter sensus internos numeranda non est, vt in lib. de Internis sensibus patefeci. Recedo secundò, quia ait per facultatem cogitandi nudari notionem indiuidualem substantiæ omnibus accidentibus, nam substantia indiuidua non habet speciem propriam seorsùm ab accidentibus, alioquin repræsentaret Vniuersale, nam, vt rectè ait Porphyrius, Indiuiduum est, quod ex proprietatibus constat quibusdam, quarum collectio in alio eadem reperiri non potest. Indiuiduum enim non est sine materia, & eius conditionibus, vt sæpè dicitur ab Aristo. quod etiam experientia percipimus, nunquam enim imaginatione concipimus Alcibiadem, sine figura, & proprijs accidentibus eius. Hinc Aristo. in 3. de Anima cont. 10. ait, Sensitiuo calidum & frigidum noscimus, quorum ratio quædam est caro, indicans singularia repræsentari per accidentia, & cum eis nosci; Quare dicendum puto singularia substantiæ nosci cùm ab externo, tùm ab interno sensu, solùm ex accidenti, per species accidentium, quæ primò offerunt se, mox iuncta cum eis, siue fundamentum eorum, qua de re in lib. de Internis sensibus verba fere. Duodecimò considero posse in dubium verti, quid dignitate præstet, nū Sensus, vel potiùs Sensibile? præstare Sensum ostendi potest, quia substantia est, sensibilia verò, sunt accidentia. Ex aduerso videtur præstare Sensibile; tum quia seruat conditionem actus, & mouentis, sensus verò potentiæ, & mobilis; tum insuper quia obiectum est tanquam finis, cuius gratia paratur facultas; finis autem præstat ordinatis in illum; tum demùm quia vt Intelligibile præstat Menti, ita Sensibile videtur præferendum Sensui. Soluens dico, Sensum, & Sensibile posse considerari dupliciter, vel pro esse absoluto, uel pro esse relato. Dum considerantur pro esse absoluto, proculdubio præfertur Sensus, cum sit substātia; dum uerò considerantur pro esse relato, ac ut inuicem referuntur, tunc dico Sensibile, ut mouet, & format uim sentiendi, præstare ei, ut mobili & formabili: absolutè tamen præstare Sensum, quia iudicat, iudex autem præfertur, & iudicare est actio eminentior, quàm excitare sensum. Insuper Sensus sua facultate reddit Sensibile spiritale, recipiendo speciem sine materia, ut dicitur in 2. de Anima, adeò ut absolutè dicere ualeamus Sensum præstare, res enim mensurari debent per id, quod est maximum, & principalissimum. Rationes aduersæ facilè diluuntur. Dicebatur primò sensibilia mouere, & formare. Respondeo, ea sola ratione præstare, ut nos per potiora & principaliora tenemur metiri uires, & præstantiam rerum: attinentia autem ad Sensum, ut apparuit, præstantiora sunt. Addebatur, obiectum perinde ac finem se habere. Respondeo, obiecta non propriè esse fines facultatum sentientium, sed eis inseruire pro fine earum, nimirùm pro conseruatione, perfectione, & salute uiuentium. Tributi enim nobis sunt sensus, partim ut simus, partim ut bene simus, & hic est uerè finis, ut patet ex calce 3. de Anima. Demùm addebatur, Intelligibile præstare Menti, quare & Sensibile sensui. Quomodo Intelligibile præstet, & non præstet, suo loco patefeci; nunc autem dico, ut ad rem facit,

Reijcitur sententia Auer. 1. 2.

Duodecimum.

Nū m sensibile præstet sensui.

Sol.

eit, rationem non esse parem, quia propriè Intelligibile etiam intelligit, non autem Sensibile sentit, & propriè Intelligibile est substantia seiuncta à materia: propriè autem Sensibile est accidens materiatum.

SEMEN, ET FRVCTVS.

DISTINCTIONES.

NOMINA Seminis, & Fructus vsurpantur, vel latè, vel pressiùs. Latè sumpta extenduntur ad initia, & pendentia ex eis quarumcunque rerum, sic dantur semina morum, semina virtutum, semina scientiarum, & fructus huius modi seminibus respondentes. Pressiùs autem sumpta, contrahuntur ad initia generationis viuentium, & prodeuntia ex illis, secundum quam significationem de eis modò est sermo. Insuper accipiendum est decem reperiri inuicem iuncta, & subordinata, nimirùm Semen, Fructum, Sanguinem menstruum, Ouum, Genituram, Vim Seminariam, Pericarpium, Conceptum nō separatum, Conceptum Separatum, & Fętum, quę cum modo aliquo inuicem secernantur, distinctè circumscribenda occurrunt. Hæc non in omni viuente omnia inueniuntur, præcipua tamen conspicuè apparent in homine, in quorum explicatione Aristo. sequar, qui in 1. de Gen. Animalium præsertim cap. 18. de his loquitur. *Semen latè.* *Pressiùs.* *Decem sub ordinata & iuncta.*

DEFINITIONES.

GENITVRA, græcè γονή, est redundans vtile, vltimi alimenti marium, eam emittentium, ex corde recipiens facultatem formatricem Prolis, per quam redditur principium proximum generationis, qua absoluta, in halitus dissoluitur. Facultas formatrix est vis, ex anima nutriente maris pendens, in redundante alimento vltimo recepta, per quam Genitura, tanquam instrumentum maris, proximè Prolem format. Sanguis Menstruus est redundans vtile sanguinis fęminæ, singulis mensibus Lunæ, dum fęcunda fuerit, exuperans, qui cum Genitura iunctus, fungitur officio materiæ, pro conceptu & prole constituenda. Conceptus non separatus est corpus conflatum ex sanguine menstruo, & genitura, in vtero matris, ante quàm membra distincta & dearticulata fuerint, proportione respondens semini Plantarum. Dum verò fętus in vtero formatus fuerit, & per vmbilici venam nutritur, animâque est præditus, dicitur Conceptus separatus, & Fœtus formatus. Semen, & Fructus absolutè, & pro fundamento idem sunt, & solùm distinguuntur ratione, ac propriè solùm competunt Plantis: nam dum considerantur vt ex antecedentibus seminibus, & Plantis prodierunt, dicuntur fructus, vt verò Plantarū, & sequentiū fructuū sunt initia, dicūtur semina. Est itaq; Fructus corpus, ex plāta fęcūda pro- *Genitura.* *Facultas formatrix* *Sanguis Menstru.* *Conceptus non separatus.* *Conceptus separatus.* *Fœtus.* *Semen.* *Fructus.*

Fructus. diens, constans ex parte crassiore tanquam materia,& tenuiore tanquam actu, & perfectione. Semen verò est illud met corpus,à Fœcunda Planta productū, constans ex parte crassiore, proportione respondente sanguini menstruo, & spiritu magis tenui, tanquàm genitura, pro generatione Plantarum, ei specie

Semen. consimiliū,ex qua prodierunt. Sunt itaq; semina Plantarū perinde ac cōceptus animaliū non separari. Pericarpium hoc est,inuolucrum fructus,& theca, est

Pericarpium. id corpus,intra quod clauditur fructus,per naturam constitutum,ut intra illud coquatur, perficiatur,& seruetur semen siue fructus. Quod Inuolucrum potest esse & proximus,& remotius,ut patet de nucibus,& amygdalis Et hæc inuolucra sunt nonnunquam esui apta,ut patet de Pomis,Pyris, & Persicis, quæ

Ouum. dum commedimus, non fructus, sed pericarpia, comedimus, nisi comedamus interna semina. Ouum est duplex, vel subuentaneum, & non fœcundum, uel fœcundum & prolificum. Ouum subuentaneum est tamquam menstruum mulierum, & fungitur officio materiæ. Genitura autem maris ei superaddita, reddit ouum fœcundum, & prolificum: & coniunctum ex vtrisq; perinde se habet,ac semen Plantarum, & Conceptus non seiunctus animalium; qui dum formatur,& distinguitur dicitur Fœtus. Hæc de his est sententia Aristo. Medici tamen de nonnullis dissentiunt,vt in annotationibus patefaciam.

ANNOTATIONES.

Controuersia de Genitura 1. CONSIDERO primò,ordiendo à Genitura, litem esse inter Peripateticos,& Medicos. Primò,quia Peripatetici Genituram putāt solùm ex mare prodire,non ex fœmina,nam quamuis mulieres internis quibusdam inchoatis testibus sint præditæ,tamen putant Peripatetici ex eis solùm prodire humorem aliquem tenuem, proportione Genituræ respondentem,non tamen fęcundum, nec necessarium pro constituendo conceptu,sed solùm conducere pro voluptate mulierum, & aperiendis meatibus; posse tamen mulieres etiam sine eius emissione concipere. Medici autem putant mulieres Genituram edere fęcundam, conspirantem cum ea maris pro

2. Controuersia. formando conceptu. Secundò dissentiunt,quia Peripatetici putant vniuersam materiā fœtus esse sanguinem menstruum,vel id quod ei proportione respondeat,non autem partem vllam Genituræ: Medici contra inquiunt, etiam por-

3. tionem crassiorem Genituræ fungi officio materiæ: hinc partes animalium diuidunt in ortas ex sanguine,& ortas ex genitura. Dissentiunt tertiò, quia Peripatetici facultatem constituendi,& tribuendi uirtutem seminariam, tribuunt cordi,quod est sedes animæ,& origo spirituum, per quos semina redduntur fę

4. cunda: Medici autem id officium tribuunt testibus;hinc testes inter principalia mēbra numerant. Dissentiūt quartò, quia nonnulli Veterū putārunt Genitură esse colliquamentum partium nostri corporis,& ob id dicebant prodire ex vniuerso corpore & singulis partibus eius: Arist.sententiam hanc reijcit,inquiens Genituram & semen non esse colliquamentum,sed excrementum vtile,aptum ut ex eo fiant omnia membra, ideò definitur, quòd sit excrementum vtile ultimum,aptum uerti in omnia membra,ac ita facultate quadam de eo dici potest, quod decidat ex omni parte Animalis. Plat.autē,Geniturā & semē dicebat esse

Plato. medullā,in qua Anima resideret:At explicationē sentētiæ eius missam facio. Cō

Concept⁹. sidero secūdò ex genitura maris,& mēstruis fęminę prodire Conceptū, propor

tione

tione respondentē semini Plantarum. Qui Conceptus diuiditur in non seiunctum,& seiunctum:non seiunctus dicitur,dum primò iunctus utero, informis est,& solùm uiuit uitam Plantæ:seiunctus in parte est,dum iam confusè forma tus incipit sentire & moueri in utero:distinctus absolutè est, dum distinctiùs est formatus & iam ualet in lucem prodire. Considero tertiò,quòd Arist.loquens *Pugna apparens in Arist.* de Semine,uidetur secum pugnare;nam in primo Phy.cont.62,ait, Semen esse materiam Plantarum,& Animalium:in 2.autem Phy.31.ait,esse causam efficiētem: hæc inuicem pugnant,quia efficiēs,& materia non ualent in idem uenire. *Sol.* Soluitur hæc apparens controuersia per ea,quæ dicta sunt. Nam semen propor tione respondet conceptui,conflato ex sanguine menstruo,& genitura,per quo rum unum est materia,per alterum efficiens; nam in semine pars crassior materiæ officio fungitur, pars magis tenuis & spiritalis fungitur officio genituræ, & efficientis:hinc ait Philosophus per huiusmodi spiritus semina reddi fœcunda. Considero quartò,quòd Arist.in 2.de Gen.Animalium cap.3. loquens de calore,& spiritu seminum, inquit Inest autem in semine omnium,quod facit, ut fecunda sint semina,uidelicet quod calor uocatur; idq; non ignis,non talis facultas aliqua est,sed spiritus,qui in semine,spumosoq; corpore continetur,& natu ra,quæ in eo spiritu est,proportione respondens Elemento stellarum, &c. Dubium est, quomodo spiritalis calor seminum dicatur proportione respondere Elemento stellarum? Qua de re dimissis uarijs,qu ædicuntur ab alijs,censeo per *Elementū stellarum.* Elementum stellarum debere intelligi naturam Cælestis corporis, quæ suo Lumine & motu operatur in hæc mortalia,& maximè refulget in generatione animalium.Est enim Cęlum causa communis eorum,de qua Arist.in 2.Phy.26.in quit,Sol & Homo generant hominem, denotans nomine Solis uniuersum Cęlum,quod modò dicitur Elementum stellarum,cui proportione respondet spiritus Seminum,quia ut Cęleste corpus suo Lumine,& motu calefaciens, conspi rat ad ortum,tanquàm causa communis,ita huiusmodi spiritus,ei subordinatus, suo calore,tanquam causa proxima,& propria,prolem format. Et hoc confirmatur per subsequentia verba Arist. nam addit, At verò Solis calor, & animalium,ne dum qui in semine continetur,uerùm etiam siquid excrementi sit quāquam diuersum à natura, tamen id quoque principium habet vitale, sic itaq; causa proxima,& propria,recta ratione respondet communi. Auer.tamen per *Auer.* Elementum Stellarum censuit denotari motores Cęlorum,operantes sine instru mento corporeo:at illis motoribus potiùs respondet anima parentum, quàm se men. Considero quintò,quod de semine loquendo,dubium est, an iudicari de- *An semē sit organicum?* beat corpus organicum,vel ne? nam uidetur esse organicum, quia non est con simile,sed partium dissimilium,& est instrumentum parentum, ut inquit Arist. in secundo de Gener.animalium.Pro solutione accipio, quòd aliud est esse in- *Sol.* strumentum alterius,& aliud esse corpus organicum.Baculus est instrumentū, quo aliquid efficimus,cum tamen non sit corpus instrumentarium,hoc est præditum instrumentis:sic de semine dico, esse quidem instrumentum principale parentum,non autem esse corpus instrumentis præditum. Hinc ait Arist. in 2. de Gener.animalium cap.3.Facultates animæ infra Mentem collocatas nō pos se extrinsecùs accedere,quia non reperiuntur sine suis instrumentis. At si in se mine reperirentur instrumenta possent facultates unà cum eo extrinsecùs adue nire.Insuper in 2.de Anima cont.10.declarans Arist quid sit corpus organicū, potestate vitam habens, inquit esse id, quod actu viuit, semen autem esse tale corpus potestate, nō actu,solùm corpora Plātarū,& Animaliū organica sunt. At instabatur, quia semen est corpus dissimilium partium, qualia sunt instru-

menta

menta viuentium. Respondeo semen non esse corpus vnum, quod per vnam postremam formam constituatur, sed esse corpora varia simul iuncta, vt Spuma: hinc facilè dissoluitur, & in partem aqueam, & spiritus resoluitur. Sed dicet aliquis, si semen non est organicum, Vis seminaria operabitur sine instrumento, & sic non sola Mens instrumento non egebit, pro suo fungendo munere. Pomponatius ex hoc eliciebat Mentem non esse iudicandam separabilem à corpore, quia instrumento non vtitur, cum etiam Vis seminaria instrumento non utatur. Et ob id Auer. dicebat eam proportione respondere motoribus cęlorum, instrumento, non vtentibus. At instantia inanis est, quamuis enim Vis seminaria non utatur instrumento corporeo, utitur tamen qualitatibus primis & præsertim calore pro formanda prole. Mens autem fungens officio suo, nullo prorsus instrumento vtitur, & ob id valet à corpore seiungi, vt inquit, Arist. in 2. de Anima cont. 11. in 2. de Gen. Anim. cap. 3. in 3. de Anima. cont. 6. & alibi. Insuper ea sententia, quòd facultas non egens instrumēto possit seiungi, intelligi debet de facultate principali, non de instrumento quale est semen, alioquin daretur progressus in infinitum in instrumentis. Considero sextò, de Semine non leuem esse difficultatem, An sit animatum, vel ne? proposuit hanc difficultatem Arist. in 2. de Gener. Anim. cap. 3. & satis obscurè eam dissoluit, inquiens non actu sed potestate esse animatum. Verùm quæ sit ea potentia, non explicauit. Propterea Auic. Philop. & alij nonnulli putarunt id esse anima præditum, dici tamen potestate, quia non adest anima cum postrema perfectione, attinente ad corpus & organa. Idq; confirmant, quia si anima careret, non posset fœtum viuens producere, Nil enim vltra gradum suæ perfectionis operatur. Insuper semina varia leguminum, & Arborum ex se germen emittunt, quod non facerent, nisi uiuerent. Hinc Arist. in 2. de Gen. Animalium cap. 3. inquit, Conceptum inanimatū esse nemo statuerit, uita omnibus modis priuatum, quippè cum nihilominus semina, & Conceptus animalium viuant, quàm stirpes, & aliquandiu prolifica sint: ergò animam in ijs esse uegetalem palam est; sensitiuam etiam qua animal est, tempore procedente, recipere. Insuper etiam cap. 4. eiusdem lib. legitur, Quomodo oua subuentanea dicuntur uiuere? nec enim ita ut oua fœcunda possunt, sic enim actu animatum ex ijs efficeretur, neq; ita se habent hæc ut lignum, & lapis, quippè quæ corruptione aliqua pereant ut quæ uitam quodammódo ante participarint. Constat itaq; hæc aliquam habere potentia ánimam. At quam? Vltimam, nempè uegetalem. Sic itaq; Arist. fateri uidetur in seminibus & ouis animam reperiri, & de ouis id ipsum alibi repetit, Opinionem tamē aduersam, quam approbârunt Auer. Gal. & alij multi, ueriorem puto: quod septem rationibus ostendo. Prima est, quia ei non competit definitio animæ, quæ est actus corporis organici; semen enim organicum non est, & Ari. in 2. de Gen. Anim. cap. 1. & 3. ait, perinde se habere de anima, ac de instrumentis eius, non enim reperitur facultas sine suo instrumento. Altera ratio est, quia ex forma necessariò infertur formatum, ut patet ex secundo Post: quare cum semen non sit animal, non rectè dicitur anima præditum: hinc Arist. in 1. de Anima ait, non dicere Animal id, cui inest Anima, absurdum est. Tertia ratio est, quia Anima nutriens semper fungitur officio nutritionis; quare cum semen non nutriatur, non est præditum anima nutriente. Quarta, quia tunc ex semine non gigneretur Planta, id enim quod est, non fit: anima autem est esse animantium, & non secùs semen diceretur mori, quàm animal: quod tamen approbandum non est. Quinta, cum semen non decidat ex omni parte uiuentis, sed sit redundans utile ipsius alimenti, aptum uerti in partes omnes uiuentis, & alimentum non sit præditum anima;

Pomponatius. *Reijcitur.* *An semē animatū?* *Ostenditur septem rationibus semen carere anima.* *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.*

anima: semen quoq; non dicetur eam includere. Sexta ratio elicitur ex 10. cont. secundi de Anima, quo loci inquit Arist. Animam esse actum eius corporis, quod animam includit; semen autem non tale est, sed est potestate illud: conspicuè Arist. inficiatur Animam esse actum seminis. Septima ratio ex eo elicitur, quòd enunciatum ab Arist. legitur in 2. de Gen. anim. cap. 1. Inquit enim Philosophus semen operari tanquam instrumentum parentis, & virtute eius: at si esset præditum anima, non vt instrumentum, sed vt agens principale, & facultate propria operaretur; non enim anima vna est instrumentum alterius. Ex sententia Theologorum semen non esse animatum, patet ex conceptu humano, qui cũ carent anima, eam recipit à Deo creatore illius. At instabatur, quia si caret anima, non poterit eam producere, nil enim agit vltra proprium gradum. Soluitur ex sententia Arist. dicendo, Id fieri à semine, vt instrumento parentis, & virtute ei à Parente infusa. vtitur Philosophus in 2. de Gen. Anim. cap. 1. exemplo imaginum admirabilium, & instrumentorum, quæ Arte mouentur, in quibus serua tur motus, etiam dum ab Artifice non tanguntur, cum primo receperint ab artifice principium motus. At hæc non auferunt vniuersam difficultatem. Nam instat Scotus nil agere facultate non existentis; euenire autem potest, vt emissa genitura, parens moriatur, & nihilo minus in vtero formatur fœtus, ideò dicebat semen operari virtute cęli. Et etiam Auic. dicebat ab intelligentia datrice formarum infundi animas. At ratio Scoti dissoluitur, id esse verum, dum priùs instrumento non fuerit facultas infusa, quæ seruetur, ut infusa est in semine. Verùm quo l maiorem parit difficultatem est, quia virtus ad eminentiora lnon uidetur posse seruari sine forma; eget enim uirtus fundamento, à quo uires recipiat. Dicamus itaq; primò semen non esse actu animatum, vt patefeci; non enim ualet aliquid generare se, est tamen animatum potestate. Addamus secundò in potentia inueniri gradus propinquioris & remotioris; potentia seminis est proxima ad actum primum, cùm ex parte materię, tùm ex parte formæ, & formantis; formans autem est uis spirituum seminis, quæ uis est modo aliquo uitalis cum spiritus ex viuente prodierint, & seruati sint in humore seminis; Per hos spiritus instrumento uitalis caloris, coquitur, alteratur, & paratur materia, adeò ut conspirante cęlo educatur anima recta ratione respondens dispositioni materię, ut etiã à calore prodeunte ex igne, producitur ignis, & dummodo seruetur huiusmodi calor, potest ab eo gigni ignis, ita dummodo seruetur ea uis infusa à viuente, potest producere corpus uiuens, & id facit tanquam agens proximum, & propriũ conspirante cęlo tanquam agente communi, contracto per proximum. Ac ita Sol & Homo generant hominem, ut dicitur in 2. Phy. 26. semen autem dicitur interire, dum spiritus, & uis illa dissoluitur. Considero septimò, non patere, quo modo per semen mẽbra fœtus formentur, num scilicet ab eo primo formetur membrum unum principale, cuius uirtute mox formentur alia, vel potiùs proximè à uirtute seminis singula membra formentur? Inquit Philosophus in 2. de Gen animalium cap. 1. Seminis nulla pars causa est generationis, sed quod primum extrinsecùs mouit, id causa est, nil enim seipsum generat, sed postquam generatum est, seipsum auget; quamobrem non simul omnes partes generantur, sed una primum, eamq; primò oriri necesse est, quæ principium augendi continet, sic itaq; putat Philosophus primò gigni cor, & per id à uirtute seminis gigni alia, ac ita per partes poterit aliquid se generare, ut ualet se augere, non tamen id propriè accidit, quia non cor cætera mẽbra format, sed uis seminis, quæ primò conformauit, cętera uerò corde intermedio, in quo uis residet. Non desunt tamen, qui secùs sentiant. Considero octauò, quòd Arist. in primo de Gen.

Sexta.

Septima.

Theologi.

Sol. instantiæ.

Scotus.

Quomodo per semen membra formentur

Anim.

Quod semẽ decidat ex omni parte Anim.c.17.inquit, Quatuor rationibus nonnullos ostendere semen prodire ex omni parte corporis. Prima sumitur ex vehementia voluptatis vniuersi anima lis Secunda,quia ex mancis manci generantur. Tertia ex similitudine parentũ. Quarta,quia semen,ex quo fœtus gignitur,est aliquid totius viuentis, cũ viuens totum ex eo gignatur. Hanc sententiam reijcit mox cap. 18.nam decidere ex omni parte intelligi potest dupliciter; uel actu, adeò vt ex omni parte viuentis portio decidat, & hoc non contingit;uel potestate,quatenus id redundans alimentum est communis materia omnium partium: ac ita est partes omnes potestate,in qua significatione conceditur,quòd decidat ex omni parte. Considero

Oua. nonò, vt pertinet ad oua, sententiam esse Arist. fœminam, posse quidem proli tribuere facultatem nutriendi,at non sensum:hinc Plantæ magna ex parte sexu non distinguuntur,& valent semen conceptui respondens parere, quia Plantæ solùm nutriendi facultate sunt prædita:hinc etiam in vtero mulierum nonnunquam ea gignitur,quæ Mola dicitur, & est tanquam caro iners, crescens,sensu tamen destituta;& oua subuentanea habent virtutem quandam gignendi facultatem nutriendi,quæ perit,dũ ouum incipit putrescere,non autem valent gignere sensum,& animal formare.Hæc sententia elicitur ex Arist.in 2.de Gen. animalium cap. 4. cuius verba retuli in præcedentibus. Lucidiùs etiam profertur in 3.de Gen.Animalium cap.8.his verbis,Subuentanea igitur recipiunt generationem,quo ad fieri potest,perfici namq; ad animalis vsq; fœcunditatem impossibile est,sensibus enim opus est;at uegetalem animæ virtutem obtinent & fœminæ, & omnia,quæ viuunt,vt sæpius dictum est. Quamobrem hoc vnum ut Plantæ,conceptus,perfectus est,vt Animalis,imperfectus.Considero decimò in

Quid prius semẽ, uel uiuẽs? dubium uerti,quid antecedat,num semen,uel corpus viuens? siue num Ouum, uel Auis? Qua de re supposita falsa sententia Arist. tresprofero conclusiones, Prima est,In æternitate nil eorum esse prius, cum nil eorum sit absolutè principium: nam in æternitate nil est prius, cum nil sit proximius principio: eo enim caret infinitum.Altera conclusio est,In eodem indiuiduo semen est prius; nam imperfectum antecedit perfecto,& potentia actui. Tertia conclusio est, Absolutò in uniuerso actus, & perfectum, prius est: nam potentia pendet ex aliquo actu, & illum præsupponit, ut ab eo ualeat redigi ad actum, ut patet ex 3. de Anima & ex 9. Meta. sic perfectum dicitur naturâ prius,adeò ut semen & prius,Planta,& posterius, & nec prius nec posterius dici possit. At supposita ueri-

Veritas. tate,quòd Mundus fuerit creatus:absolutè dicendum est, Animal semine prius esse, quia à Deo non oua,& semina, sed Plantæ & Animalia perfecta creata fuerunt.

PVL-

PVLCHRITVDO DIVISIONES.

PVLCHRITVDO vsurpatur apud Academicos tripliciter, secundum eminentiam, secundum formam, secundũ Participationem. Primo modo pulcher est Deus, secundo Mens per ideas pulchriformes, tertio cętera. Insuper distinctiùs Pulchrorum hi considerantur gradus, à Deo ordientes & desinentes in materiem, Deus dicitur pulcher per eminentiam, & originem, tanquam caput Idearum. Mens est pulchra secundum originales formas, quæ Ideæ dicuntur. Tertiò Anima rationis compos est pulchra per rationes. Quartò Natura est pulchra per semina. Quintò composita materiata sunt pulchra per vmbras & imitationes. Sextò Materia pulchritudinis est expers, apta tamen pulchrorum umbris adumbrari. Præterea, Pulchritudo distinguitur, ea enim vel est Animi, vel Corporis. Si fuerit Animi; uel erit animi omninò soluti à corpore; ueluti sunt superæ Mentes, & Animæ, per essentiales Ideas, siue rationes, uel erit Animi iuncti corpori, & huiusmodi est pulchritudo ad habitus pertinens, & præsertim ad scientiam, sapientiam, & Intelligentiam: Ars autem potiùs vtilem reddit Animum quàm formosum; Prudentia uerò unà cum uirtutibus, ad mores attinentibus, sanitate animum afficiunt. Et hæc Animorum corpori iunctorum Pulchritudo, potest eis competere, uel spe, & dispositione, ut Pueri dicuntur pulchro animo Prædití, uel habitu, studio, & uigilijs, & hæc est ea pulchritudo, quæ reuera est nostra, de qua soliciti esse tenemur: altera autem est Naturæ munus. Ex aduerso Pulchritudo corporis, uel est corporis uniuersi, nimirùm Mundi, uel est partium eius, quæ uel sunt anima præditæ, uel expertes. Demùm diuiditur Pulchritudo, quia uel absolutè pulchritudo est, uel alicuius: absolutè pulchritudinis iudex est uir sapiens, qui ut Sapiens, dicitur Mensura rerum: Pulchrum autem alicui est id, quod ob uarias conditiones, conditiones, & affectiones, uni uel alteri uidetur pulchrum: sic uaria reperiuntur, quæ uni uidentur pulchra, non alteri, ut etiam se habent de Bono.

Prima diuisio.

Altera.

Tertia.

Quarta.

DEFI-

DEFINITIONES.

CVM Pulchritudo sit formarum decus,& splendor,ut uario modo fulget,ita modo uario & præsertim ab Academicis circumscribitur. *Io. Picus.* Io. Picus dixit Pulchritudinem esse Amicam inimicitiam,& discordem concordiam,quatenus est congruens uariorum ratio. *Theophr.* Theophr. dixit eam esse eburneum detrimentum. *Carneades* Carneades,Regnum solicitum. Quæ uera sunt de pulchritudine corporum mortalium, quæ etiam ab alijs dicitur Tyrannis Animorum, nec non Priuilegium Naturæ. Alij uberiorem pulchritudinem considerantes, dixêre eam esse Venustatem Animi. Iamblichus magis propriè dixit esse actum boni. Quod alij distinctiùs explicantes dixêre;eam esse uitalem actum, ex primo bonorum fonte effluentem;primò diuinam Mentem idearum ordine decorantem;mox per participationem mentes alias; Animas, tertio numerosis discursibus ornantem; quartò Naturam seminibus fœcundam reddentem; quintò Materiam formarum umbris illustrantem. Ex hac elicitur alia circumscriptio,quæ est Pulchritudo est circulus diuinæ Lucis,ex bono manans, in bono residens,per bonum,& ad bonum semper refluens. Insuper eadem ratione Pulchritudo dicitur splendor summi boni,fulgens in ijs, quæ oculis, Auribus, Menteve percipiuntur,conuertens nos ad bonum. Alij inquiunt,Pulchritudo est gratia,alliciens nos per uisum,auditum,& rationem,& hoc ternario, gratias tres nobis manifestans. Prętereà, ex eorundem Academicorum sententia,Pulchritudo est prima & uera forma:hinc pulchra formosa dicuntur, & ubi uiget Pulchritudo,uiget Mens,& forma;informia autem, ut Materia, dicuntur pulchritudini opposita:ob id etiam Pulchritudo dicitur blanda boni facies;turpitudo uerò tetra facies mali. Hinc Formositas dicitur absoluta quædam perfectio,& gratia,tanquam Flos Principalis Formæ,formis alijs dominantis, & ob id imperium,& diuinitatem includit. Hæc ex sententia Academicorum. *Peripateticorum sẽtentia.* Peripatetici autem,materiatam pulchritudinem cõsiderantes,& uocibus magis proprijs vtentes,secùs eam circumscripserunt. Auer. in 7. Phy. 17. inquit,Pulchritudo est proportio inter membra media,& extrema. Insuper est dispositio rei secundum cursum suæ naturæ. Ac etiam est constitutio formæ rei genitæ,quam recipit à generante, per relationem ad nobilissimum suæ speciei. hæc Auer. Alij inquiunt,Pulchritudo est commensuratio partium inuicem, & cum toto, vnà cum coloris gratia. aduersus quam descriptionem disputat Plot. En. prima, lib. 6 cap. 1. Arist. 13. Met. cap. 3. inquit,Ordinem commensuratum, & definitum, siue terminatum esse species Pulchri,indicans tria præcipua conspirãtia ad Pulchri constitutionem. Et propterea ex eius sententia ita putarem debere Pulchritudinem definiri, *Definitio Peripatetica.* Pulchritudo est externa perfectio corporum, dissimilium partium,ex earum congruente ordine,mensura,& terminis consurgens, oculis aspicentium accomodata. Cum Academicis verò dicerem, *Academica.* Pulchritudinem esse uitalem fulgorem,ex summo bono manantem,per Ideas,Rationes, semina, & vmbras in vniuersum effusum,Animos per auditum,visum,& rationem excitantem,eosq; per bonum in vnum eleuantem.

ANNO.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò Pulchrum à Græcis dici καλὸν ait Proclus id nomen deduci à καλῶ, quia prouocet animos, & inuitet;uel à κηλῶ quia permulcet intuentes, adeò ut ex quocũq; ducatur, semper indicet imperium, & diuinitatem quandam. *Nomen Pulchri.* Confidero fecundò, quòd Mens fuprema ab Academicis dicitur Pater formarum; Forma inde genita eft proles eius; Formofitas,fiue Pulchritudo,eft indoles huius prolis, expreffiùs referens effigiem Patris. Deformitas uerò eft deficientis formæ diffimilitudo,à Patris forma,ob impotentiam materiæ Hinc Pulchritudo corporum dici poteft expreffior Ideæ Similitudo. *Sententia Academicorum.* Confidero tertiò ex eorundem Academicorum fententia Boni,Pulchri, & Vnius, non propriè dari diftinctas, & particulares Ideas, fed ea effe tamquam fpiritus,& communes neruos,ex primo Principio per fingulas Ideas effufos,& ob id omnes Ideæ dicuntur Vniformes, Boniformes, & Pulchriformes. Quæ tria cum fint effentiã una,inuicem deinde diftinguuntur ratione,ob quam diftinctionem,unum in abftracto negatur de altero.Pulchritudo enim non eft Vnitas, nec Bonitas: Similiter Vnitas non eft Pulchritudo, cum eorum fint diftinctæ definitiones: in concreto uerò,ob eorum connexionem unum dicitur de altero,nam Pulchrum dicitur Bonum,& Vnum, ac uiceuerfa. *Pulchri quomodo Ideæ.* Hinc Plato in Alcib. 1. ait, Pulchrum omne bonum eft, & in Gorgia inquit,Pulchra funt, quæcunque utilitatem, aut uoluptatem, aut utrumq; afferunt. Confidero quartò,quòd cum Plato Pulchritudinem ueram eam putârit, quæ fpiritalior,prior,& purior eft,quia ad fpiritalia per uifum,auditum, & rationem excitamur & inuitamur;ideò pulchritudinem ad hæc tria retulit, adeò ut Pulchritudo fit Nomen ab uno, quod primò dicatur de fupremo pulchro, mox per uarios gradus,ordine quodam, de alijs. *Plato.* Ex fententia autem Arifto. fecùs fe habet,nam ex eius opinione Pulchritudo propriè dicitur ea corporũ, cætera uerò funt Pulchra per Metaphoram,& fecundariò: & ob id cum fit nomen ab uno primò denotat pulchritudinem corporum,quæ cum folo uifu percipiatur,ideò eam ad folum uifum retulit. *Arif.* Conciliari tamen poffunt, dicendo fententiam Platonis effe ueram fecundum ordinem, & cõditionem abfolutam pulchritudinis;eam autem Arifto. fecundum ordinem noftrę cognitionis. Nomina enim imponuntur rebus primò notis,mox transferuntur ad alia. Confidero quintò pulchram fe offerre difficultatẽ de principatu Pulchrorum, dubiũ eft enim,quod nam eorum quæ in uniuerfo reperiuntur,præfertim pulchrum iudicari mereatur? *Conciliũ. De principatu pulchrorum.* Nonnulli enim Homini,alij Mundo uniuerfo,quidam fupremæ Menti principatum tribuerunt. At pro lucida & breui folutione dicendum puto,Pulchritudinem effe duplicem,unam attinentem ad Animos,alteram ad corpora: *Resol.* Pulchritudo,attinens ad Animos,eft abfolutè prior,& eminentior;ea uerò quæ attinet ad corpora, eft prior nobis, pendet ex illa, ad eamq; tamquam imago excitat, & eleuat, facta comparatione inter pulchritudines fupra corpora collocatas, Mens fuprema, ut primò eft bona, imò Ipfum Bonum, ita primò eft pulchra, & ipfamet Pulchritudo. Comparando autem pulchritudines corporum, vt vniuerfum dignitate præ-

ſtat partibus,& eſt proximior imago, & ſplendor ſummi boni, ita inter corpora pulcherrimum iudicari meretur. Mox comparando Cælum cum orbe mortalium, id pulchritudine præſtat, cum ſit Mundus Lucis, Pater mortalis orbis, immune à contrarietate, ab interitu, ab inconſtantia, & alijs conſimilibus, quæ minus formoſum reddunt orbem mortalem. Demùm inuicem comparando collocata ſub Cęlo,Homo formoſior eſt cęteris,vt etiam per ſupremam formam eſt conſtitutus,nimirùm per rationem,& Mentem,cui etiã præſtat Cęlum,non quidem conſideratum ſeorsùm à Mente ei iũcta, à qua mouetur,ſed una cum ea. Si autem inuicem comparentur membra hominis prętermiſſa elocutione,per quam maximè fulget animi pulchritudo,ad quam etiã extenditur pulchri nomen,oculi,qui cęli ſunt imagines,nec non Solis,& feneſtræ animi nuncupantur; pulchritudine corporis maximè apparent decorati. His uaria poſſent addi,quæ miſſa facio. Conſidero ſextò, quòd quamuis Pulchrum nectatur cum Bono,tamen appetitus Boni eſt communior & intimior appetitu Pulchri. Omnia enim appetunt bonum,etiam inanima, & expertia rationis,non autem omnia appetunt pulchrum, ſed ſolùm prædita cognitione & ratione,nam appetitus pulchri cognitionem, & rationem expoſcit. Ratio prima eſt,quia pulchritudo ex partium ratione conſurgens non ſine ratione iudicatur. Altera ratio eſt,quia Pulchrum non eſt finis,ſed excitans,& dirigens ad finem: cuncta in finem tendunt,uel longiùs uel proximius,at non omnia in illum diriguntur per pulchrum, ſed multa ſolùm per internum naturæ inſtinctum: Homo autem & per internum inſtinctum,& per rationem,& per notitiam pulchri ad bonum excitatur,& dirigitur;cum enim pulchritudo ſequatur formam,& ſit formoſitas;ibi fulget,ubi uerior refulget forma, & ſolùm à uerio re forma noſcitur,qualis ea eſt, quæ rationis eſt particeps; & cum forma ſit actus,oppoſitus potentię,ideò quo magis recedimus à potentia,eo magis per medios gradus eleuamur ad pulchritudinis fontem,quæ ſimul & primus actus,& prima forma,& formarum forma,& ipſa formoſitas dici poteſt. Conſidero ſeptimò, Ariſto. in 10. Ethic. cap. 4. dicere uoluptatem eſſe ſimilem pulchritudini; quæ ſimilitudo in duobus præſertim eſt poſita. Primò, quia ut uoluptas ex congruente actione prodit, eamq; perficit, ita Pulchritudo conſurgit ex congruente partium corporis ratione, & compoſitum perficit. Secundò, quia ut uoluptas non eſt finis,ſed parata pro fine aſſequendo, ita pulchritudo finis non eſt, ſed ad finem, nimirùm ad bonum excitat, & dirigit. Adeò ut appetitus boni ſit appetitus finis, appetitus uerò pulchri ſit pro fine. Inſuper appetitus boni dicitur ab Academicis intimior,quia ſequitur naturam, & inſtinctum internum eius; appetitus uerò pulchri magis dicitur excitari ab externo, & dicitur exterior, quia rationem, & cognitionem præſupponit: Hinc plus uiolentiæ includit, non tamen abſolutè eſt uiolentus, quia quamuis ab externo obiecto excitetur, tamen appetens quia ad id conſpirat, dicitur uim, & opem afferre. Conſidero octauò, eſſe controuerſiam inter Platonem, & Ari. Plato enim ait omne bonum eſſe pulchrum. Nã legitur in Menone,omnia vtilia eſſe bona,& omne bonum eſſe pulchrum;& in Alcib. 1. vt aliquid eſt bonum,ita eſt pulchrum,vt verò malum,turpe eſt;& in Protagora, quod eſt ſapiẽtius,id pulchrius eſt. Ex aduerſo Ariſto. omne pulchrum dicit eſſe bonum, non contra. Nam bonum eſt latius,& reciprocatur cum ente,non autem pulchrum;& in 13. Metaph. cap. 3. legitur, Pulchrum,& Bonum differre,nam bonum in operatione, pulchrum autem etiam in immobilibus eſt, & qui dicunt Mathe-

Similitudo pulchritudinis, & voluptatis

Controuerſiam inter Ariſtot. & Platonem.

Mathematicas nil de bono,& pulchro dicere,mentiuntur, nam & si non vtantur eorum nominibus,cum tamen opera,& rationes ostendant, non ne dicunt de eis? Soluitur controuersia,quia Plato latiùs sumpsit pulchritudinis nomen, quàm Aristo.id enim extendit ad omnem actum,& formam, vt patet ex praecedentibus: non autem Arist. *Sol.*

GRATIA.

DISTINCTIONES.

MVLTIPLICITER vsurpatur Gratiæ nomen, & præsertim tripliciter. Nam dicitur primò de ea dilectione, qua superiores prosequuntur inferiores, in qua significatione dicimus Populos esse in gratia suorum Principium, forte quia ob huiusmodi dilectionem Principes reddũtur fáciles,ad effundenda munera in dilectos Populos.Secundò vsurpatur pro munerum distribuitione in eos, quibus non debemus nam si adesset debitum,non gratia,sed merces esset, & debiti solutio. Tertiò vsurpatur pro ea,quæ pulchritudinem comitatur,quæ etiam Lepor,& Venustas dicitur,de qua præsertim est sermo.Insuper diuidi potest Gratia,in Diuinam,Naturæ,& Humanam. Gratia diuina diuiditur in gratis datam,& gratum facientem: Vna antecedit: Altera sequitur: Vna est operans: Altera cooperans. Gratia Naturæ est ea,quæ comitatur pulchritudinem, quæ etiam inter munera Naturæ numeratur. Gratia humana ea est,quæ cum liberalitate nectitur,& est munerum distributio, sine debito,vel dilectio inferiorum,per quam reddimur faciles ad tribuenda eis munera. His addo Gratiæ nomen modo quarto nonnunquam latè vsurpari pro signo & inditio gratitudinis recepti alicuius beneficij; in qua significatione sæpè dicimus nos agere gratias, & referre gratias, cui Gratiæ Ingratitudo opponitur. Et huiusmodi gratia ad Iustitiam pertinet,de qua est vera sententia Aristo. in 5. Nicomachiorum cap. 5. dicentis, consueuisse Veteres Gratiarum templum in propatulo Vrbis construere,vt fiat remuneratio. Hæc tamen minus propriè dicitur Gratia, quoniam ut rectè ait D. Augustinus, cum Gratiam audis, Gratis intellige.

Gratia 3.

Alia diuisio.

DEFINITIONES.

Gratia pulchritudini iuncta qd? *Gratia pro dilectione.* *Pro beneficiorum distributione* *Pro retributione beneficiorum*

AIVNT quidam Viri docti, Gratiam esse aliquid Diuini, quod occulta Cęli uirtute, in uno magis, quàm in altero fulget. Alij dixêre Gratiam esse qualitatem, consurgentem ex forma pulchritudinis. Nonnulli dixêre esse affectionem, consurgentem ex recta animi cum corpore compositione. Et hæ sunt definitiones eius Gratiæ, quæ pulchritudinem comitatur. At his dimissis distinctè definiens Gratiam secundum uarias eius significationes, ordiendo à Gratia, pulchritudinis comite, dicendum puto, Gratia est externus rationis fulgor, ac dexteritas, pro obeundis munerum functionibus, ex recta Animi & Corporis constitutionem consurgens, perfectamq; pulchritudinem sequens. Vel Gratia est externus lepor, exactè pulchritudinis comes, in functionibus munerum rationis refulgens. Gratia, sumpta pro dilectione, est Amor, quo superior inferiores prosequitur, facilisq; redditur ad tribuenda eis beneficia. Tertiò Gratia, sumpta pro beneficiorum distributione, est officium, & splendor Liberalitatis, quo libenter munera sine debito, & desiderio maiora recipiendi alijs tribuimus. Demùm Gratia, sumpta pro retributione beneficiorum, est recepti beneficij recompensatio, ut constet id recipienti fuisse gratum, & ob id per Iustitiæ Leges teneri paria rependere.

ANNOTATIONES.

Gratia quomodo se habet ad pulchritudinem.

DE Gratia & Pulchritudine uaria scripsi in octauo gradu Ciuilis Philosophiæ, propterea nunc Breuibus solùm capita potiora attingam. Considero primò, nonnullos Gratiam, quam dixi comitem uerioris pulchritudinis, non secreuisse à pulchritudine. Hinc definientes pulchritudinem, dixêre eam esse gratiam, quæ nos per uisum, auditum, & rationem alliceret, & huius opinionis præsertim fuêre Academici. Alij rectiùs sentientes Gratiam secréuere à Pulchritudine, cum quibus dicere ualemus; Gratiam esse splendorem uerioris pulchritudinis, & comitem eius. Conciliari autem possunt hæ opiniones dicendo, Gratiam esse comitem, & affectionem pulchritudinis; & quia affectio ab eo cuius est affectio, sine à suo fundamento pro esse absoluto non distinguitur; distinguitur tamen ratione, & formaliter, ideò sine pugna cùm eadem, tùm distincta dici potest. Consídero secundò, id dubium esse quod dixi, nimirùm.

Concilium

An gratia sit affectio?

Gratiā esse affectionem pulchritudinis, nam id quod affectione aliqua est præditum, non reperitur seorsùm ab ea, nec affectio seorsùm ab eo, cuius est affectio; nectuntur enim secundum se in secundo modo dicendi secundum se: At Gratia, & Pulchritudo seiungi possunt, inquit enim Aristo. in 4. Nicoma-

machiorum cap. 3. Homines breuis staturæ venustos, ac lepidos esse posse, aptáq; membrorum conuenientia, & proportione prædítos,at non pulchros: sic vice versa mulieres quasdam dicimus esse quidem pulchras, at carere gratia. Pro solutione dicendum, quòd dum de aliquo est sermo, id præsertim inspicere, & considerare tenemur,quòd Principale,& perfectum est; id enim est mensura cæterorum,& propriè tale,Pulchritudo in parte, & Gratia in parte sciungi queunt,at absolutè perfecta nequeunt, Vir paruus potest esse venustus in parte,at venustior esset,si congruente mole esset præditus; Similiter fœminæ destitutæ gratia,re vera pulchræ non sunt,sed solùm populariter,vt albæ & molles, & proptereà definiens dixi, Gratiam sequi pulchritudinem perfectam,quæ duo(dum perfecta fuerint,non seorsùm inueniuntur.Aristo.in 4.Nicomachiorum populariter est loquutus.Re vera enim viri parui,si in parte sunt venusti,& gratiosi,etiam in parte iudicandi sunt Pulchri.Considero tertiò,Gratiam,& exactam pulchritudinem cum ratione necti, & propriè eis solis competere,quibus competit ratio. Et iure optimo profectò, nam pulchritudo, & gratia,sunt splendor summi boni,qui splendor vsq; ad animam, rationis compotem lucidè effunditur;in cæteris verò solùm obscurè. Insuper Gratia in actione propriè apparet;actio autem ex præelectione & ratione prodit. Ex quo elicio absolutam gratiam,& pulchritudinem in hoc mortalium orbe, soli homini competere. Et siquis obijciat,quia etiam Equi,Canes,Aues,& similia Animalia dicuntur pulchra.Respondeo pulchritudinem esse duplicem, vnã absolutam, alteram in specie: comparando inuicem indiuidua illius, cæteris animalibus,& Artificiosis competit quidem pulchritudo attinens ad eam speciẽ; at non absoluta,nec iuncta cum Gratia: Homini autem absoluta pulchritudo est apta competere,quam comitatur Gratia: hinc solus homo formatus est secundum constitutionem uniuersi, quatenus supera pars eius ad superam vniuersi vergit;infera verò ad inferam:sic etiam solus dicitur factus ad imaginem Dei,ac solus dicitur Ludus Deorum,quatenus aptus est Deum emulari.Considero quartò, quòd cum Gratia,& Pulchritudo distinguantur ratione, si inuicem comparentur, ratio Gratiæ præfertur dignitate rationi pulchritudinis. Et iure quidem; tum quia Gratia pulchritudinem præsupponit; tum insuper quia est tamquam vita, splendor,& postremus eius actus; tum demùm quia magis cum ratione & actione est iuncta hic potentiùs mouet. Nam pulchritudo se habet tamquam materia,Gratia verò vt forma, quæ maximè allicit Animos,eam noscentes. Quinto loco considero, quòd de Gratiarum numero variæ sunt opiniones. Lacedæmones dixêre esse duas. Alij Gratias cum Horis in idem redigentes dixerunt esse quatuor. Communior opinio est, quòd sint tres, vt dixit Seneca, quarum variæ assignantur conditiones, quæ vario modo explicantur, quatenus etiam Gratiæ nomen (vt apparuit) modo uario usurpatur; confusè tamen loquendo dicere valemus iure statui tres. Primò, quia Gratia pulchritudinis comes, tribus animi facultatibus se offert noscenda, nimirùm visui, auditui, & rationi. Secundò, quia Gratia vtile, honestum, & delectabile includere debet. Tertiò, quia internario numero,nimirùm in principio, medio, & fine eius perfectio est collocata. Quartò, quia rectè paratos animos, format, purgat,& eleuat. Quintò loquendo de Gratia pro munere,ea exposcit tria,nimirùm munus,tradentem,& recipientem. Insuper exposcit tributionem,receptionem,& retributionem. Sextò,quia Gratia attinere valet ad tria bonorum genera,quæ sunt Animi, cor

Sententia Aristi.

Solutio.

Gratia cũ ratione nectitur.

Ratio Gratiæ præfertur.

De numero Gratiarum.

poris,& externa. Septimò, quia ex diuina Gratia, pendent præsentia, præterita, & futura bona, & demùm vt simus, seruemur, & operemur.

VIRTVS.

DIVISIONES.

VIRTVS, quæ græcè Ἀρετὴ, dicitur, dum latè sumitur, ad omnem facultatem, quæ δύναμις nuncupatur, extenditur; & id accidit, quia per virtutem, facultate aliqua reddimur

Prima diuisio. præditi. Variæ dari possunt Virtutis distinctiones. Primò enim Virtus ex parte eius, cui competit, diuiditur in Virtu-

2\. tem Animi, & Virtutem corporis. Secundò ratione suæ cō-

3\. ditionis diuiditur in Principalem, & Organicam, nam organa quoq; sua facultate dicuntur prædita. Tertiò etiam ratione suæ conditionis diuiditur in Virtutem perfectam, & imperfectam; nam Iustitia vniuersa, intra suos terminos virtutem omnem moralem includens, ab Aristotel. dicitur Virtus perfecta, & Virtus vniuersa. Quartò ratione varietatis Principiorum,

4\. & modorum, quibus Virtutes nobis competunt, diuiditur in quatuor gradus, vel enim nobis competunt per Naturam, vel more, & assuetudine, vel ratione, vel supera reuelatione, diuinoq; munere. Ac ita dantur Virtutes Naturales, Morales, Rationales, & Diuinæ. Quintò diuiduntur per gradus rerum Vniuersi, ac inde prodeunt sex Gradus Virtutum, siue facultatum. Datur enim Vir-

5\. tus Naturalis inanimorum, Virtus Vitalis Plantarum, Virtus sensitiua, sine distincto motu, stirpanimalium, virtus distinctè motrix, constituens Animalia ab solutiora, Virtus rationis particeps propria hominis, & Virtus Diuina. Quorū

Virtus Diuina. sex graduum variæ etiam dantur distinctiones. Nam Virtus diuina est triplex, nimirùm Fides, Spes, & Charitas, quam trinitatem alia comitatur trinitas, quæ est Pietas, Religio, Sanctitas. Descendens ad Virtutem rationis, quæ eatenus

Virtus Rationis. effunditur, quatenus extenditur ratio, quoniam ratio partium animæ est duplex, vel per participationem, vel per propriam conditionem; ideò duplex est genus Virtutum earum partium, quorum unum competit facultatibus, quæ per participationem dicuntur rationis compotes, qualis est Phantasia, & appetitus eius, alterum competit Menti ex se præditæ ratione. Primum Genus virtutum dicitur morale, quia more, & assuetudine acquiritur. Alterum verò absolutè dicitur Virtus rationis, tum quia studio & ratione acquiritur, tum quia ad facultatem, ex se rationis compotem, pertinet officium eius. Insuper

Virtus Moralis. Virtus in More posita adhuc est duplex uel enim secundum talem eminentiam nobis competit, ut supra communem hominis conditionem nos eleuet, & dicitur Heroica; Vel magis intra communes hominis terminos nos continet; & absolutè dicitur Virtus moralis. Quæ diuiditur in Virtutem vniuersam, qualis est Iustitia vniuersa, quæ virtus perfecta nuncupatur, Et Virtutem secundum partē, & sunt Virtutes morales numero vndecim, ab Arist. in libris de moribus declaratæ: ad quas nos parant semiuirtutes, quales sunt Obedientia, Continentia, Tolerantia,

lerantia, Abstinentia, & similes. Insuper hæ morales virtutes ab Academicis di uiduntur in Naturales, Ciuiles, Purgatrices & Animi purgati, quibus præesse di-cunt Virtutem Idealem, & exemplarem supremæ Mentis. Altera ex parte Vir-tutes rationales ad Mentem attinentes; vel tales sunt, ut Rectum in earum ratio-ne non includatur, qualis est Opinio, quæ & uera, & falsa esse potest; vel in ea-rum ratione Rectum includitur, & hæ sunt quinq; nimirùm Scientia, Sapien-tia, Intelligentia, Prudentia & Ars. Cuius numeri ratio est, quia habitus rationis uel dirigunt ad affectionem, ut Ars, uel ad actionem, ut Prudentia, uel ad ueri cognitionem, quæ cognitio uel est Principiorum, & dicitur Intelligentia, uel cō clusionum; & dicitur Scientia, uel congregati, & dicitur Sapientia, dummodo fuerit Principiorum primorum & conclusionum proximè pendentium ex il-lis. Prætereà Virtutes animi rebus tribuuntur tribus modis, uel secundum eminentiam ut Deo Sapientia, Iustitia, & aliæ nonnullæ uirtutes in sacris litteris frequenter tribuuntur, uel secundum vmbram, & depressionem, ut brutis tri-buuntur Prudentia, Fortitudo, & uariæ Artes, uel secundum propriam formā, ut competunt homini. Ex aduerso uirtutes corporis, quæ Naturæ munera sunt, uel sunt Virtutes communes pluribus siue populis, siue familijs, & dicitur No-bilitas, & uirtus generis, uel sunt propriæ uariorum indiuiduorum, ut pulchritu do, robur, & similes. Cum tot sint Virtutum capita, omnia tamen in duo redi-gantur; uel enim principium sunt operandi, & facultates propriè dicuntur, uel rectè & bene operandi, & magis propriè uirtutis nomine denotantur, & sunt dispositiones siue habitus facultatis superadditis.

Habitus Mentis. *Virtutes competunt tribus modis.* *Virtutes corporis.*

DEFINITIONES.

VIRTVS uniuersè pro facultate sumpta, est principiū, per quod ea præditum aptum est fungi officio suo. Virtus verò sumpta pro habitu facultati super addito, vel recta eius dispositione, est principium, per quod ea præditum est aptum rectè fungi officio suo. Descendens autem ad magis propria, Eudoxus, & Epicu-rus dixerunt Virtutem esse constantem dispositionem eliciendi ex unoquoq; congruentem voluptatem: & hæc erat definitio Virtutis in more positæ. Plato in Menone quatuor ex sententia Menonis refert Virtutis defini-tiones. Prima est enumerando Virtutes Viri Ciuilis, Mulieris, & Pueri, inquiēs virtutem viri Ciuilis esse, ad Ciuilium rerum administrationem congruenter se habere. Altera definitio est, Virtutem esse facultatem, qua omnibus præesse va-lemus. Tertia, Virtutem esse gaudere honestis. Quarta, Virtutem esse appe-titum honesti, & facultatem id assequendi. Ex libris de R. P. Platonis, Virtutis vniuersè sumptæ hęc elicitur definitio, quòd sit habitus animæ, quo Potentia na turalis eius, quàm optimè suum officium exercet. Alcinous in lib. de Doctri-na Platonis dixit, Virtutem esse affectionem animæ optimam, & perfectam, reddentem hominem ornatum, stabilem, & concordem, ad agendum, & loquē dum, cùm erga se, tùm erga alios. Plotinus En. prima lib. sexto cap. 6. dixit, Vir-tutem esse Animi purificationē. Arist. in 7. Phy. cont. 16. dixit, esse perfectionem Animi, & constitutionem eius secundum Naturam. In 10. lib. Nicomachiorum cap. 5. dixit, Virtutem esse mensuram omnium. Et in primo Rhetoricorum, esse facultatem comparandi, quæ bona sunt, eademq; seruandi. Præterea esse facul-tatem, multa, & magna in alios beneficia conferendi; ac etiam esse facultatem,

Virtus vniuersè. *Eudoxus.* *Epicurus.* *Plato.* *Alcinous.* *Plotinus.* *Arist.*

quæ

quæ valet omnes, omnibus in rebus adiuuare. Insuper esse habitum rectè dispo nentem appetitum sensuum, eiusq; actiones. In 2. Nicomachiorum cap. 6. ait, *Alij.* Virtutem eam esse, quæ perficit id, cuius est virtus, eiusq; opus. Alij dixerunt eam esse humani Animi sanitatem, ac bonum eius Dæmonem. Insuper esse mensuram, & regulam humanæ dilectionis. Stoici dixêre, Virtutes esse vacuitates *Stoici.* perturbationum, Animiq; tranquillitates. Alij quoq; aliter Virtutem circumscripserunt, præsertim inspicientes Virtutes morales, quæ magis propriè virtutes nuncupantur. D. Augustinus in lib. 83. q. inquit. Virtus est animi habitus, Naturæ modo, atque rationi consentaneus. At prætermissa circumscriptionum uario *Virtus latè quid sit.* tate, colligens potiores, ita dicendum censeo. Sumendo Virtutem latè pro quauis rerum facultate, Virtus est essentia rerum, ut apta fungi officio suo. Secundò *Pro essentia.* sumendo virtutem minus latè, Ea est congruens rerum dispositio, per quam sunt aptæ rectè fungi officio suo. Tertiò ferè consimiliter dicimus, Virtus est *Pro recta dispositione.* perfectio rerum, quarum est Virtus, & officij earum. Quartò Virtus Diuina Deo competens est essentia Dei, ut apta ea omnia agere quæ Dei sunt opera. *Virtus Diuina.* Virtus uerò Diuina homini apta competere, est optima dispositio humani animi, mortale hanc vitam uiuentis, in his quæ supra humanam rationem sunt posi *Virtus rationis.* ta, à Deo nobis conspirantibus infusa, per quam erga Deum, ut nos decet, afficimur. Quintò Virtus ad rationem pertinens, in cuius ratione est, ut sit semper recta, est habitus humanæ Mentis, proprio hominis studio acquisitus, per quem ad verum, vtile, & honestum rectè dirigimur. Vel est habitus humanæ mentis, recta ratione cognoscendi, agendi, & efficiendi præditus. Qui habitus quincuplex est, Intelligentia, Scientia, Sapientia Prudentia, & Ars. Qui in tria capita rediguntur, uel enim sunt Principia cognoscendi, uel agendi, uel efficiendi, primum caput respicit uerùm, alterum honestum, tertium vtile. Intelligentia, *Intelligentia.* græcè νοῦς, est habitus humanæ Mentis, quo prima cùm incomplexa, tùm com *Sapientia.* plexa rerum principia inspicere, & speculari valemus. Sapientia est habitus semper rectus humanæ Mentis, qui in communi contemplatione eorum quæ sunt, per communes & altissimas causas uersatur, quam Sapientiam parit ea *Scientia.* Philosophiæ inspectricis pars, quæ Metaphysica, hoc est, post naturalia nuncupatur. Scientia est habitus semper rectus humanæ mentis, per demonstrationem acquisitus. Insuper est cognitio causæ, propter quam res est, quod illius sit causa, & non contingat secùs se habere. sic definitur ab Arist. in 1. Poster. & in Proœmio lib. Physi. dicitur cognitio primarum causarum, primorum Principiorum, usq; ad Elementa, explicando id quod dixerat, nimirùm causam propter quam res est. Prior tamen definitio competit scientiæ una demonstratione ac *Prudentia Arist.* quisitæ. Altera uerò scientiæ alicuius totius, in tota aliqua scientia per plures ostensiones partæ, & etiam Sapientiæ. Prudentia est habitus cum ratione uera, *Virtus in more posita.* ad agenda ea dirigens, quæ homini bona sunt. Ars est habitus Mentis, præditus ratione recta, efficiendi ea, quæ arte constare dicuntur. Sextò descendendo ad Virtutes in more positas, quæ hominis maximè sunt propriæ, dico primò hos esse habitus illos, per quos vnumquodq; tanti facimus, quanti fieri debet. Insuper esse habitus, per quos ut decet amanda diligimus, & aduersa despicimus. Præterea esse mensuras, & regulas doloris, & voluptatis. Insuper esse regulas, per quas in omni euentu id, quod bonum est, seligere ualemus, & reijcere prauum. Ac demùm esse constitutionem saluberrimam nostrarum appetitionum, *Arist.* per quam ab ægritudine perturbationum liberamur, & interna sanitate fruimur. Virtus moralis vniuersè sumpta describitur ab Arist. in 2. Nicomachiorum cap. 6. quòd sit habitus prælegendi, in mediocritate positus, quæ ad nos refertur,

tur,rectaq; Prudentiæ ratione est definitus. Insuper latiùs definiri potest, quòd sit habitus appetitus sensuum,natus præeligere in ea mediocritate, quæ ad nos refertur,quæq; Prudentiæ habitu describitur collocatus,formatus more,ut summa ciuili bono fruamur. Septimò,progrediens per singulas morales Virtutes, Fortitudo est moderatio formidinis,& confidentiæ, in his terribilibus quæ ad salutem corporis pertinent,appetitui irascendi competens,ut inde honestæ prodeant actiones. Temperantia est moderatio voluptatis & doloris, ad sensum tactus,& gustatus pertinentis,appetitui concupiscendi competens, ut inde honestæ prodeant actiones.Moderata honoris appetitio est mediocritas,rectè cōponens appetitum irascendi,ut in mediocribus honoribus constanter seligamus id,quod decet.Magnanimitas est mediocritas,rectè componens appetitum irascendi,ut in magnis honoribus constanter seligamus id,quod decet.Liberalitas est mediocritas rectè componens appetitum cupiendi,in eroganda ac recipienda mediocri pecunia,ut in his munerum functionibus id agamus, quod decet. Magnificentia est mediocritas in magnis sumptibus, ac pecuniæ receptionibus occupata,appetitui cupiendi competens,ut in eis id agamus,quod decet. Mansuetudo,siue Clementia, est mediocritas,rectè componens appetitum irascendi, ut in attinentibus ad iram constanter id agamus,quod decet. Affabilitas similis amicitiæ est mediocritas,rectè componens appetitum irascendi, vt cùm in sermonibus,tùm in actionibus serijs,nos alijs faciles, vel difficiles ita præbeamus, vt decet. Veritas est mediocritas rectè componens appetitum irascendi, vt in congressibus hominum,de attinentibus ad nos,vel ad alios, veritatem vt decet, patefaciamus.Vrbanitas est mediocritas, rectè componens appetitum irascēdi, vt in congressibus hominum in attinentibus ad sales, & iocos, nos constanter præbeamus,vt decet. Iustitia in parte sumpta,est moderatio appetitus irascendi,vt in omni commutatione,& distributione, externorum bonorum,æquum, & id,quod decet,expetamus,& constanter seruemus. Iustitia Vniuersalis, quæ etiam dicitur Virtus perfecta,Virtus vniuersalis,& Iustitia perfecta, est connexio omnium moralium virtutum vniuersè appetitum sensuum componentiū, in cuius muneris functione summum hominis ciuile bonum est collocatum. Virtus Heroica est splendor & eminentia Virtutis moralis, per quam homo ob eminentem honesti dilectionem, in præclarissimis suorum munerum functionibus,supra communem hominum conditionem adeò eleuatur,vt inter homines & Deum mediare videatur. Octauo loco descendens ad Virtutes infra rationem collocatas,nimirùm ad Motricem,Sentiētem,Vitalem,& Naturalem,quæ omnes etiam vno Virtutis Naturalis nomine denotari possent, quia singulæ vsurpantur dupliciter, primò pro absoluto principio operandi, secundò magis proprè pro Principio rectè,& facilè operandi. In Prima significatione virtus est essentia formæ, compositum Naturale constituentis, vt est principium primum operationum eius. Altera est congruens dispositio superaddita primo principio corporis Physici,per quam rectè,& facilè fugitur officio suo,quæ uirtus ab essentia principalis formæ distincta est.

Fortitudo. *Temperantia.* *Moderata honoris appetitio.* *Magnanimitas.* *Liberalitas.* *Magnificētia.* *Mansuetudo.* *Affabilitas.* *Veritas.* *Vrbanitas* *Iustitia in parte.* *Iustitia vniuersa.* *Virtus Heroica.* *Virtutes infra rationem.*

ANNOTATIONES.

Primum quod consideratur. Quę Virt' propriè.

DE attinentibus ad uirtutes, & ad habitus Mentis latissimè verba feci in Ciuili Philosophia, & superuacaneum duxi hoc loci eadē repetere. Solùm breuibus considero primò, quòd cum Virtutis nomen latissimè effundatur, maximè propriè tamen denotat eas Virtutes, quæ ad mores pertinent, per quas homo denominatur absolutè probus. Ratio est, quia hæ sunt hominis maximè propriæ, maximeq; necessariæ, ex quibus pendet rectus vsus cęterarum virtutum. Vt etiam vitium virtuti oppositum, maximè propriè, & absolutè de eo dicitur, quod ad mores pertinet. *Alterum.* Considero secundò, posse in dubium verti, cum nomen Virtutis tam latè effundatur, & videatur posse competere cunctis, num tribui possit etiam proximæ Materiæ? *An detur Virtus materiæ.* Respondeo ei quoq; posse conuenire, quatenus est essentia quædam, cui competit officium proprium, quod est pati, & recipere formam, ac insuper facilè Pati, facileq;, & promptè recipere formam; quod ei competit per dispositiones superadditas, at quia ei obscurissimè competit nomen Virtutis, propriè autem soli actui & formæ, ideò definitiones postremò traditæ ei non congruunt. *Tertium.* Considero tertiò, Virtutes in more positas adeò esse iunctas, vt perfectè vna sine reliquis seruari nequeat, ut in 5. de moribus docet Philosophus, & propterea ex earum connexione consurgit virtus una, quæ vniuersalis, & perfecta dicitur, constans ex varijs partibus distinctæ rationis, nō secùs ac ex pulchritudine variorum membrorum consurgit vna totius pulchritudo. Et quoniam summum bonum est integrum, & absolutissimum, ideò debet consurgere ex conspiratione actionum, singularum Virtutum, quod denotatur ab Arist. dicentem, summum bonum esse actionem secundum Virtutem perfectam, quæ etiam dicitur Iustitia Vniuersalis, at distincta ratione. *Quartum.* Considero quartò, quòd definiens particulares virtutes in more positas, pro genere sumpsi mediocritatem, siue moderationem, potuissem etiam sumere virtutem moralē, nam particularium virtutum Genus est Virtus, Virtutis habitus, ipsius habitus qualitas loquendo de Virtutibus in more positis. Sumpsi tamen moderationē, vel aliud simile, vt magis conspicuè earum conditionem patefacerem, cętera legantur alibi.

VITIVM.

DISTINCTIONES.

Vitium multiplex

OPPOSITORVM eadem est disciplina, & quotuplex est vnum oppositorum, totuplex est alterum. Et propterea cùm Virtus sit multiplex, Vitium quoq; ei oppositum multiplex erit. Datur itaq; Vitium corporis, & Vitium animi. Insuper datur Vitium Naturæ, Vitæ, Sensuum, Facultatis mouentis, Facultatis rationalis. Et demùm datur Vitium oppositum Virtuti Diuinæ. Insuper ut virtus dicitur de primo principio operandi, & de recta eius dispositione, ita Vitium dicitur de eorū oppositum

oppofi-

oppositis. Præterea, ut Virtus facultatis rationalis erat duplex, una ad mores pertinens,& ad appetitum sentiendi,altera pertinens ad Mentem,quæ absolutè Virtus rationis dicitur,ita datur duplex genus Vitiorum,quæ illis opponuntur. Insuper ut in Virtute morali considerabatur Eminentia,quæ dicitur Virtus Heroica,ita in Vitio ad mores attinente consideratur excessus,& depressio,quæ est Immanitas,Impietas,& Feritas. Demùm,vt loquendo de Virtute,absolutè nomine Virtutis denotatur Virtus Moralis, ita Loquendo de Vitio, absolutè & maximè propriè Vitij nomen dicitur de uitio ad mores attinente. Et hoc etiam vsurpatur dupliciter,uel vniuersè pro omni vitio morali,uel vt contradistinguitur à feritate opposita virtute Heroicæ:de quo quæritur, an sit deterius feritate. Cætera patent ex distinctione Virtutis. *Feritas.*

DEFINITIONES.

CVM Vitium sit multiplex,multiplices quoq; sunt eius definitiones,quæ ex definitionibus Virtutis elici possunt,quarum nonnullas referam. Vitium latè sumptum, ut opponitur Virtuti sumptæ pro facultate,& primo operandi principio, est duplex,nimirùm,priuatio facultatis,& diminutio eius.Sumptum verò pro opposito dispositioni,& principio rectè operandi, est deprauatio. *Vitium latè.*
Priuatio est absentia formæ in apto eam habere,quando,& quemadmodum est aptum eam habere. *Priuatio.* Diminutio est remissio formæ aptæ subiecto competere. *Diminutio* Deprauatio est peruersio destruēs id,cuius est deprauatio, & opus eius. *Deprauatio.* At quia Vitium propriè de eo dicitur,quod opponitur Virtuti morali,ideò cæteris dimissis,id solùm definiam.Vitium morale vsurpatur dupliciter. Vel latè pro quauis morum deprauatione. *Vitiū morale.* In qua significatione Incontinentia,Incōstantia, Inobedientia,& similes deprauationes,dicuntur vitia, quæ opponuntur semiuirtuti, & rectiùs semiuitia dici merentur. Vel vsurpatur magis propriè, pro vitioso habitu. Et hoc dicitur esse habitus peruertens conditionem morigerati hominis, eiusq; munerum functiones. Insuper est habitus perturbationum appetitus sensitiui,à mediocritate longè recedens,summum hominis Ciuilis bonum euertēs.
Vitium verò oppositum Virtuti Heroicæ, est eminens habitus alicuius animi perturbationis,per quem homo infra hominis conditionem conspicuè deprimitur, & in Feræ conditionem miserè dilabitur. *Feritas.* Hæc est interna illa Fera, quæ hominem uorat,cum perdat propriam eius conditionem. Hoc est Monstrum deforme animi, perniciosius quouis alio Monstro,Veluti est Feritas,Immanitas,& Impietas.Demùm de omni Vitio, veluti de omni malo dicere possumus, quòd sit non Est;Lapsus in id quod non est; & Recessus ab eo,quod est; cum sit euersio boni, & eius quod est; ac insuper Recessus à lege,à Recto, & ab eo quod decet. *Vitium nō ens.*

DE RERVM DEFINITIONIBVS

ANNOTATIONES.

Primum quod consideratur. CONSIDERO primò de Vitio, propriè ſumpto, quęri in quo præſertim ſit poſitum, num in deprauata ſelectione, vel in opere. Et proculdubio eſſentia eius in ſelectione eſt poſita, nam ſine ſelectione, non ſeruatur vitium, quod tamen ſeruatur ſine opere, dum impedimur ſcelus patrare. Inſuper in ſelectione refulget libertas, ſine qua vitium non habet locum. Præterea ex ſelectione vt ex duce pendet opus, & eius conditio; quare vt Virtus præſertim *Alterum.* in ſelectione, & aſſenſione refulget, ita Vitium. Conſidero ſecundò, quòd cum vitium euertat id, cuius eſt vitium & opus eius: principale eius maleficium eſt id euertere, cuius eſt vitium. Ratio eſt, quia ex eo pendet mox deprauatio operis & ſine eo opus non dicitur abſolutè vitioſum. In opere magis refulget vitium tanquam in ſigno; in ſelectione verò tanquam in Principio & eſſentia. Conſide-*Tertium.* ro tertiò, Vitium poſſe dici vnum, multiplex, & infinitum. Vnum eſt dum conſideratur Vitium oppoſitum Iuſtitiæ vniuerſali quæ dicebatur Virtus tota, & vniuerſalis. Et quemadmodum ea dicebatur Virtus perfecta, ex qua prodibat ſummum bonum, ita hoc eſt Vitium perfectum, omniq; ex parte abſolutum, ex quo prodit ſummum malum, & miſeria hominis. Secundò eſt multiplex ſecundum propriam formam, quatenus virtus omnis moralis in medio duorum Vitiorum eſt poſita, & cum virtutes morales ſint undecim, Vitia erũt vigintiduo. Ter-*Quartum.* tiò eſt infinitum, vel ſecundum magis & minus, vel quia infiniti ſunt modi, per quos à medio recedere valemus. Conſidero quartò, poſſe in dubium verti, num dari queat Vitium totum, includens vitia omnia, ut datur Virtus perfecta, includens omnem virtutem? Apparet enim id dari non poſſe, quia nonnulla vitia ſunt oppoſita, & ſimul ſeruari nequeunt, cum ſint duo extrema, maximè pugnãtia, vt prodigalitas & Auaritia: hinc dicitur Vitium, ne dum virtutem, verùm etiam ſeipſum perdere. Reſpondeo, non poſſe dari Vitium vniuerſale, & perfectum ſecundum formam, adeò vt includat propriam formam omnium vitiorum; dari tamen poſſe ſecundum facultatem, & eminentiam, quatenus ex parte *Quintum.* ſelectionis ea in omni perturbatione eſt deprauata; ex parte verò Virtutis, dari poteſt receſſus in eodem, à quouis medio in quo collocata eſt Virtus. Conſidero quintò, Virtutem vnam non perdere, ſed perficere alteram; Vitium verò nedum labefactare virtutem ſed etiam vitium, adeò ut ſe quoq; perdere dicatur; & id accidit non quatenus Vitium eſt, ſed quatenus tale uitium, nimirùm in exceſſu uel *Sextum.* defectu collocatum; quatenus enim uitia ſunt, non inuicem pugnant, ſed in unũ commune genus rediguntur. Sexto loco conſidero, in dubium uerti poſſe, num Vitium morale, quod propriè Vitium dicitur, ſit deterius Vitio rationali, qualis eſt Inſipientia oppoſita Sapientiæ, Inſcitia oppoſita Scientiæ, Imprudentia, Amẽtia oppoſita Intelligentiæ, & Inertia? Vitium rationis, & Mentis uidetur deterius, quia peruertit facultatem præſtantiorem, euertit habitum ſublimiorem, & eſt origo noſtræ deprauationis. Ex aduerſo Vitium morale uidetur deterius, quia per illud abſolutè dicimur mali, non autem per Vitium Mentis; ob illud punimur, non autem ob uitia Mentis; per illud reddimur infames, & indigni honore, non per uitia Mentis. Variæ magniq; momenti rationes pro utráque parte afferri poſſent, pro quarum breui ſolutione, dico, eſſe deterius contingere dupliciter, uel tanquam originem, longè & eminenter, uel ſecundum propriam formam,

formam,& proximè. Vitia Mentis modo primo deteriora sunt, nam deprauata ratio est origo deprauationis morum, at Vitia morum proximè, & secundum propriam formam sunt deteriora, quia euertunt id, quod humanæ conditioni magis proprium, magisq; necessarium est, & id ex quo pendet vsus rectus cunctorum humanorum bonorum. Vertitur etiam controuersia inter Vitium morale,& Feritatem oppositam Virtuti Heroicæ, quid eorum sit deterius? Quam in Ciuili scientia, loquens de Heroe exactè discussi, & dissolui.
7. Septimò considero in dubium uerti posse, cum Regula ab Aristotele proferatur, in primo de cœlo & alibi, Vni unum solum esse contrarium, quomodo de uitijs hoc non seruetur, cum de eis dicamus, uni uirtuti mediæ duo opponi uitia, quæ sunt extrema? Soluens dico, Regulam illam debere intelligi de contrarijs extremis, & dum considerantur, ut externa sunt, non de medijs. Virtus autem Moralis considerari potest, & tanquàm media, ex parte latitudinis perturbationis, ac ita ei duo extrema opponuntur,& tanquam extrema, quod ei competit, dum cōsideratur, ut uirtus,& tunc illa extrema ueniunt in unum, & ambo nomine uitij denotantur. Sic uirtus cùm in medio, tùm in extremo,
8. & summo est collocata, ut in 3. Nicomachiorum docuit Philosophus. Octauò considero iure optimo Virtutem moralem in medio uitiorum esse collocatam, non autem Virtutem rationis: hæc enim quo est sublimior & intensior, eo est prestantior. Ratio varietatis est, quia Virtutes morales resident in perturbationibus, quę non toto genere prauæ sunt, sed solùm extrema earum. Mediocritas autem proba est. At Virtutes rationis non resident in perturbationibus, & oppositum earum toto genere prauum est, veluti est ignorantia, ideò absolutè scientia ignorantiæ opponitur. Nonò considero, quòd cum ex vitio
9. prodeat miseria hominis, & summum malum, dubium est, quomodo id ei competat, num ita ut ipsum met Vitium sit summum malum, uel potiùs aliud, quod vitium sequatur? Stoici aiunt ipsum met Vitium, esse malum summum, quod & Academiei affirmare videntur. Ex sententia autem Aristo. secùs se habet, *Stoici.* nam in primo Nicomachiorum ait improbum à probo, siue felicem à non felici in somno non distingui, ideò ait summum bonum, & summum malum *Aris.* non in habitu, sed in eius usu, hoc est, in actione esse collocatum. Soluentes *Sol.* autem dicere debemus, summum malum posse dupliciter considerari, vel pro origine fundamento, & constanti aliquo, vel pro eius postrema absolutione, & perfectione. Prima consideratione summum malum est collocatum in Vitio. Altera verò in actione ex vitio prodeunte. Perfectio enim collocata est in facultate, vt in principio; in habitu, vt in medio; in actione prodeunte ex habitu, vt in fine. Hæc resolutio pendet ex resolutione quæstionis de summo bono, in quo sit collocatum. Decimò considero, Vitio iure optimo tri-
10. bui, quòd manu vna coronam gerat, altera gladium, nam qui Vitium superat Corona Gloriæ honestatur, qui uerò succumbit Vitio, Gladio vt infamis necatur. Nitamur itaq; vitia pro facultate necare, ne nos necemur ab eis: & nitamur id facere in principio, seruantes sententiam illam, dum paruus est hostis, explode illum, ne maior redditus, explodaris ab illo, ita seruabimus saluberrimam illam regulam,

Vitijs in principio, obsistendū est.

Principijs obsta, serò medicina paratur
Dum mala per longas inualuere moras.

Nam animo id meditari accuratè debemus, quod plùs obest Scelus vnum, quàm prosint opera bona multa, veluti gutta vna atramẽti fœdat vestẽ albam magnam. Ratio est, quia Virtutes in more positæ iunctæ sunt, & qui vnam euertit, peruertit omnes. Insuper regula est, quòd pro construendo aliquo, requiruntur omnia; pro destruendo autem, satis est vnum, adeò vt pro euertendo viro probo, scelus vnum sit satis. Considero vndecimò, quòd dum Vitium latè vsurpatur; vt opponitur Virtuti sumptæ pro primo operandi principio, rectè enunciare valemus solum Deum solutum esse à Vitio, supraq́; vitium collocatum; cætera autem omnia cum vitio esse iuncta, & eo magis, quo longius à Deo recedunt. Ratio est, quia Deus est id omne, quod est; cętera autem cum ab eo recedant, recedendo ab eo, quod est, labuntur in non esse, & nectuntur cum potentia, & priuatione boni, quod malum est, & vitium. Hinc etiam vniuersè dicere valemus, Vitium omne esse recessum ab eo quod est, & mixtionem cum non ente, Similiter conditio Vitij est vorare, & euertere, nam euertit Legem, Rectum, & id quod est. Dum vitium fuerit paruum est mite, & mansuetum, at dum creuerit, euadit voracissima Fera, Vitium euertit Naturæ ordinem, quia per illud inferiora superioribus denominantur, nimitùm Sensus rationi & Mẽti, & ob id iudicari debet dispositio contra naturam.

Vndecimū quod consideratur. *Solus Deus à vitio solutus.* *Vitiū est recessus ab eo, quod ē.* *Vitium euertit ordinẽ naturę.*

OMNE, OMNIA, VNIVERSVM, TOTVM, ET PERFECTVM.

DISTINCTIONES.

HAE voces apprimè sunt iunctæ & affines, ideò simul sunt explicandæ. De perfecto tamen etiam seorsùm agam, non me latet nonnullas earum frequenter confundi, & vnam pro altera vsurpari, tenemur tamen earum proprietates distinctè cognoscere: de his agit Aristo. in quinto Metap. 21. & 31. nec non in procœmio primi de cęlo, à quo non recedens, dico, Omne conuenire Quanto prædito principio medio & fine, adeò tamen ut uaria partium eius positio, non constituat distinctionem, ut omnis aqua, omnis terra, & dicitur omnis, quia denotat multitudinem partium, tamquam indiuiduorum, in unum redactam. Dum uerò ea indiuidua & partes considerantur, ut numero seiunctæ, tunc dicimus omnia, dummodo sint plura duobus, ut legitur in procœmio de Cœlo. Totum similiter dicitur de Quanto, cui principium competat, medium

Omne.

&

& finis,& sit prælitum partibus, quarum uaria positio & ordo uarietatem eius constituat, ut tota domus, tota Planta. Dum uerò Quanto competit utrumq;, nimirùm ut per positionẽ uariam partium partim seruetur idem, partim uarietur: ut seruatur idem dicitur Omne, ut uariatur dicitur Totum. Dat exempla Aristoteles de ueste,& figurata cera, nam uariatur figura, seruatur autem natura & essentia panni, & ceræ. Sic Omnia de discretis, Totum uerò potiùs de continuo dicitur, uel saltem de discretis in unum redactis, quorum uaria positio varietatem constituat, vt exercitus dicitur totus,& Ciuitas tota. Vniuersum dicitur & de Omni,& de Toto, ut omnis aqua,& uniuersa aqua, totus exercitus,& uniuersus exercitus. Mundus rectè dicitur totus, & uniuersus, hoc est omnia in unum uersa, non autem rectè dicitur omnis, quoniam positio uaria partium eius uarietatem constituit. Vniuersum, & Totum, quadruplex est; uel absolutè, ut Mundus; uel genere, ut Vniuersum, siue totum genus substantiæ; uel specie, ut tota humana species; uel numero, ut tota siue uniuersa Bononia. Dum de homine dicimus Omnis Homo, denotantur singuli homines in unam speciem redacti; dum uerò dicimus Omnes Homines, denotantur singuli, ut multitudine prædìti,& numero seiuncti, Totum per relationem opponitur partibus, per priuationem uerò mutilato. Diuiditur Totum, quia uel usurpatur per negationem partium, ut de indiuisibili dicimus totum tangere totum,& quod ubi est, totum est. Vel accipitur secundum propriam formam,& relationem ad partes. Et quia totum debet esse aliquod unum, & natura modo aliquo una, principio, medio,& fine prędita; ea uel est unum in partibus, ut Genus unum in suis speciebus; uel unum præditum partibus, ut anima prædita uarijs potentijs,& Genus uarijs differentijs; uel unum consurgens ex partibus. Et hoc est quincuplex; uel enim consurgit ex partibus consimilibus, ut digitus ex carne ossibus & neruis; uel ex partibus dissimilibus, ut animal ex suis membris; uel ex partibus quantitatis, ut totum ex duabus medietatibus, & quatuor quartis,& unumquodq; horum dicitur totum & integrum, constans ex partibus integrantibus; uel constat ex partibus essentiam constituentibus, nimirùm ex materia, & forma, & dicitur totum essentiale; uel constat & partibus solo ordine iunctis, ut Mundus,& Exercitus,& dicitur totum, & uniuersum ordinatum. Perfectum autem dicitur de Omnibus, Toto, & Vniuerso.

Totum. *Vniuersũ* *Vniuersũ & Totum quadruplex.* *Totũ, cui opponitur.* *Totum duplex.* *Perfectũ.*

DEFINITIONES.

Omne. *Omnia.* *Totum.* *Vniuersũ.* *Pars.*

OMNE est quantum discretum, redactum in unum, principio medio & fine præditum, ex cuius uaria partium positione, uarietas nulla prodit. Omnia est quantum discretum, principio, medio, & fine præditum, constans ex numero seiunctis, pluribus quàm duobus, ex quorum distincta positione uarietas non consurgit. Totum est quantum modo aliquo iunctum, principio, medio, & fine præditum, ex cuius partium uaria positione consurgit uarietas. Insuper definitur Totum in 5. Met. 31. quòd sit id, cuius nulla pars abest, ex quibus natura totius consurgere apta est. Insuper Totum est id, quod est maius singulis partibus seorsùm consideratis, æquale autem eis simul sumptis. Vniuersum est quantum Principio, medio, & fine præditum, cui nulla pars deest, ex quibus natura eius constare apta est, nam Vniuersum dicitur & de Toto, & de Omni. Pars est portio totius, quæ unà cum alijs sibi respondentibus est apta totum constituere. Insuper Pars est portio totius, minor toto, quæ ad totum relata, dicitur materia eius, Ab Arist. in 5. Met. definitur, quòd sit ea, in quam diuiditur quantum quodcunque & dicitur pars quantitatis. Insuper Partes generis sunt illæ, in quas genus diuiditur, ueluti sunt species. Præterea partes rationis siue essentiæ sunt illæ, quæ sumuntur in ratione rei patefaciente quid res illa sit.

ANNOTATIONES.

Primum quod consideratur. *An Totũ sit idem cũ suis partibus.* *Simpl.* *Philop.*

CONSIDERO primò, non leuem esse difficultatem, An Totum sit idem cum suis partibus? de qua loquitur Plato in Theæteto; Aristo. in 1. Phy. cont. 17. 7. Metaph. cap. postremo, 8. Metaph. cap. 6. 13. Metaph. cap. 7. & cum res sit dubia à varijs varia dicuntur. Nam quòd Totum distinguatur à partibus seorsùm sumptis, conspicuum est, & consentiunt omnes. Dubitatio est, An sit idem cum partibus simul iunctis? Simpl. in 1. Physi. inquit esse idem, nam quæ sunt distincta, possunt seiungi; partes omnes iunctæ, non secernuntur à toto, nec vice versa. Philop. exponens 17. cont. 1. Physi. inquit esse idem per constitutionem & modum causæ; distingui secundum formam, quæ consurgit ex conspiratione partium, vt harmonia, ex conspiratione variorum sonorum. D. Tho. & Scotus hac de re dissentiunt.

D. Th. Scotus. *An detur Forma totius?* *Forma totius.*

Dubitatio in hoc est posita, num ex connexione partium consurgat id totum, quod forma totius nuncupatur, distincta à propria essentia partium, etiam simul iunctarum? Hoc multi negant, at minus rectè profectò, conspicuè enim Aristo. in 7. Metaph. cont. vltimo inquit, Syllaba non est elementa nec, B A, idem quod B. & A. nec caro, ignis, & Terra, Est igitur aliquid syllaba non solùm elementa, uocalis, & consonans, sed aliud aliquid alterum &c. Et in quinto Metaph. cont. 19. legitur, Substantia cuiuslibet est quod semel, ut ipsorum sex non quæ bis ter sunt, sed quod semel, sex enim semel sunt sex, hanc formã totius, ex partium connexione consurgentem indicauit Philosophus in primo de Cęlo, inquiens sphæram denotare formam, hanc uerò sphæram, for-

mam

mam cum materia,& in 2.Phy.explicans formam dixit,totum, compositio,& species;Similiter Auic.in 3.tractatu suæ Metaph.inquit, decem non sunt nouē & unum,nec quinque & quinq;. Colligamus itaq;, Totum denotare formam illam,quæ dicitur forma totius. Hæc forma,vt in 7.Phy. dixit Simpl. in indiuisibili est posita, cum consurgat ex conspiratione omnium partium, & refulgeat in appositione postremæ partis.Et dum quæritur, An totum sit idem cum suis partibus simul sumptis? Respondendum,quòd vel per sumptas simul denotamus id,quod ex ea connexione consurgit, & sic est idem : at si præscindimus consurgens, & partes sine consurgente consideramus, sic sunt idem per modum causæ,& integrationis, non secundum formam absolutè, quæ consurgit, ex connexione partium; Ac ita explicatur sententia Aristotelis in secundo de Anima cont. 10.dicentis, Animal esse corpus & animam,& oculum esse pupillam & facultatem videndi,hæc enim intelligi debent per modum causæ & integrationis.Sic etiam vera redditur sent.Auer.prolata in 7.Met.35.& 39.& in 4.Phy.49.quòd totum sit prius parte prioritate formæ, denotando formam totius partes verò priores toto prioritate materię & originis.Ex quo constat etiā, quomodo Totum denotet perfectionem,& formam,pars verò diminutionem, & materiam.Consídero secundò fuisse sententiam Hesiodi relatam à Plat.in 3. de Legibus,nonnunquam dimidium esse plus toto,inquit Plato id quod rectissimè dictum fuit ab Hesiodo, Dimidium nonnunquam esse plus toto, ignorārunt nonnulli,id enim accidit,dum totum apprehendere malum est,dimidium verò moderatè se habet,nam moderatū immoderato plus est, vt liberalitas prodigalitate,& Temperantia Intemperantia.Et quotiescunq; totum apprehendere malum est,partem verò bonum, de illis dicere valemus, partem esse maiorem toto. At hæc sunt uera ex accidenti,nam secundum se,& cum reduplicatione,semper totum est maius sua parte. Ex his itaq; colligere valemus, totum esse idem & distinctum à partibus;esse maius & minus;esse prius & posterius. Consídero tertiò,partem quantitatis esse multiplicem, quædam enim nullam habet rationem ad totum,vt diameter quadrati ad Latus eius; quædam verò rationē includit,& in numeris,ob resolutionem in vnitates,semper rationem seruat,in Geometricis autem nō semper. Dum pars rationem includit,id accidit quinq; modis. Vel enim multoties sumpta reddit precisè totum,& dicitur pars aliquota,mensurans totum. Vel non precisè,sed redundat portio aliquota minoris, ut quatuor ad quatuordecim,& dicitur ratio tripla sesquialtera. Vel redundat portio non aliquota, ut quindecim ad quatuor, & dicitur ratio superpartiens tres quartas. Vel totum semel continet partem, & redundat portio aliquota ut octo se habet ad sex,& dicitur ratio sex quitertia. Vel redundat portio non aliquota,ut nouem se habent ad septem,& dicitur ratio superpartiens duas septimas.Hinc prodeunt quinque genera rationum,quæ sunt,Multiplex, Super particularis, Superpartiens, Multiplex superparticularis,& Multiplex superpartiens.Consídero quartò,ex sententia Arist. in quinto Met. 30. propriè partem dici illam, quæ totum mensurat; & dicitur aliquota, quoniam aliquoties sumpta præcisè constituit totum:cæteras uerò minus propriè dici partes. Ideo ait duo,trium modo aliquo dici partem,modo alio non. Hinc colligo Infinito non propriè competere partes,nisi infinitas,nec propriè esse totum, cum ei nō competant partes,quæ aliquoties sumptæ illud constituant. Sic itaq; de Infinito dicere ualemus, quod cum ei competant partes infinitæ, caret partibus. Consídero quintò, Genus relatum ad speciem posse dici & totum & partem, vt in quinto Metaphysicæ cont. 30.ait Philosophus,nam genus est totum pote

Auic. *Arist.* *Auer.* *Alterum quod consideratur.* *Tertium.* *Quinq; proportiones.* *Quartum.* *Infinitum nō propriè totum.* *Quintum.*

 state,

Genus totũ & pars.

ſtate, quatenus poteſtate multa includit, & continet: qua ratione etiam eſt confuſum, & nobis notius, & ſpecies eſt pars eius. Species verò eſt totum actus, cuius genus eſt pars, nam conſtat ex genere & differentia, & eſt confuſum actu, ac ita diſtincta ratione, cùm genus, tùm ſpecies dici poſſunt confuſa, & nobis notiora, & dilui poſſunt variæ apparentes controuerſiæ in Ariſt.

PERFECTUM

DISTINCTIONES.

Perfectũ duplex.

Perfectũ participatione quadruplex.

PERFECTUM latius eſt quàm Omne, Omnia, Totum, & Vniuerſum diuiſim ſumpta; nam dicitur de illis omnibus. Perfectum eſt duplex, vel per eſſentiam, vel per participationem. Perfectum per propriam eſſentiam minus rectè dicitũ perfectũ, ſed rectiùs dicitur ipſamet perfectione; & huiuſmodi eſt ſolus Deus. Præterea Perfectum per participationem eſt quadruplex, vel genere ab vno, vel genere vniuoco, vel ſpecie, vel numero, vt elicitur ex 5. Phyſi. 42. Genere ab vno, vt inter corpora Mundus, inter Simplicia Cælum, inter prædicamenta Subſtantia inter Scientias humanas Metaphyſica: Genere vniuoco vt inter primas qualitates Calor, inter colores Albedo, inter Animalia Homo. Specie vt cuncta indiuidua alicuius ſpecies poſſunt dici perfecta, dum includunt attinentia ad eam ſpeciem. Numero perfectum eſt duplex, vel in attinentibus ad Eſſe & ad Naturã; & tunc vnumquodq; dicitur perfectum, dum valet ſimile generare, vt dicitur in 4. Meteorum, vel in attinentibus ad bene eſſe, & tunc dicitur perfectum, dũ fuerit adeptum eam ſummam perfectionem, quam eſt natum aſſequi, vt vt homo felix, & equus optimè ad curſum & ſua officia paratus. Inſuper diuiditur Perfectio in perfectionem corporis, & Animi. Perfectio corporis, vel eſt perfectio corporis vt corpus eſt, vel vt tale corpus: ſi conſideratur vt corpus, ſingula corpora perfecta ſunt, cum ſint prædita longitudine, latitudine, & profunditate; dum verò conſideratur vt tale corpus, ſic ſolùm Mundus totus eſt abſolutè perfectus, cum omnia includat, non deſinat in aliud corpus, & nullum deſerat extra ſe, hinc ſolus abſolutè dicitur Vniuerſum, vt in procemio libri de Cęlo docet Ariſto. cætera autem corpora, vt includunt conditionem partis, ita includunt conditionem imperfecti. Altera ex parte Perfectio Animi, vel refertur ad eſſe, vel ad bene eſſe. Quod pertinet ad eſſe, à Deo & natura recipimus: quod pertinet ad bene eſſe, ſtudio, & aſſuetudine acquirimus. Hac diſtinctione etiam valemus vti loquendo de corpore, nam valet eſſe perfectum vel in attinentibus ad eſſe, vel ad bene eſſe. Quod bene eſſe conſideratur in quantitate, qualitate & diſpoſitionibus eius. Præterea diuiditur ab Ariſt. in 2. de Anima ea perfectio, quæ actus eſt, & entelechia dicitur, in actum primum, qui forma eſt, & actum, ſiue perfectionem ſecundam, quę eſt operatio prodiens ex prima perfectione. Demùm diuiditur perfectio in internam & externam; Interna prodit ex cauſis internis, quæ ſunt materia & forma: externa verò ex externis, quæ ſunt efficiens, & finis, & ex accidentibus.

Numero perfectum duplex.

Perfectio corporis.

Perfectio Animi.

ANNO-

ANNOTATIONES.

VT multiplex est Perfectio, ita multæ circunferuntur, & tradi possunt definitiones eius; quæ uel competunt omnibus, uel nonnullis tantùm, Arist. in 1. de Cęlo cont. 12. inquit, Perfectum esse id, cui nil potest addi. *Arist.* Et ex procemio eius libri elicitur, Perfectum esse id, cui competit Principium, medium, & finis. Insuper in primo Nicomachiorum cap. 7. Perfectum dicitur id, quod ex se satis est, & à cæteris secretum optabilem vitam reddit, reiq; nullius indigentem. In 4. Meteorum loquens de maturatione inquit, Perfectum id est, quod sibi simile ualet procreare. Et in 1. Nicomachiorum cap. 8. Perfectissimum dicitur id, quod est propter se, & non ob aliud. Insuper in 10. Metaph. cont. 13. Perfectum dicitur id, cui non licet extra sumere aliquid, & aliquo non eget. In 2. de Cęlo 23. Perfectum dicitur prius imperfecto, extra quod nihil eorum, quæ ipsius sunt, possibile est accipere. In quinto autem Metaph. cont. 21. præter cætera inquit Philosophus Perfectum dici unumquodq;, quando secundum speciem propriæ Virtutis nulla defuerit pars eius. Insuper quod in suo genere ab alio non exceditur, siue id quod cęteris sui generis antecellit. Auer. in 7. Phy. cont. 17. ait, Vnumquodq; tunc maximè esse perfectum, cum attigerit terminum propriæ Virtutis. *Auer.* In septimo autem Phy. 18. ait, Perfectio est finis rei in indiuisibili collocatus. Prætereà Perfectum dicitur, quod sua uirtute, cunctisq; suis conditionibus est præditum. Insuper quod excludit omnem potestatem, suo actui aduersam. Colligamus. Perfectum intrinsecùs consideratum esse id, cui omnia exactè competunt, quæ uel ut sit, uel ut bene sit, requiruntur. Si autem ad externa refertur, Perfectũ est id, quod alio non eget, uel extra quod nil eorum est accipere, quæ ipsius sunt. Arist. in 7. Phy. 18. ait, Perfectionem esse uirtutem, & unumquodq; tunc esse perfectum, dum fuerit adeptum propriam Virtutem.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, sententiam esse Auer. in 7. Phy. 18. Perfectionem in indiuisibili esse positam, nam indiuisibiliter cõsurgit ex postremæ partis appositione. *Primum quod consideratur.* Ideò dicebatur Simpl. in 7 Phy. *Auer.* Perfectionem domus cõsurgere ex oppositione ultimæ tegulæ. *Simpl.* Hinc uirtus exacta, & perfecta in indiuisibili est posita. nã perfectio est summum, & supremum aliquid: ipsius autem summi nõ datur maius, & minus; nam si daretur maius, id non fuisset summum; si daretur minus, hoc non esset summum, & perfectum. Et dum quæritur, An Perfectio recipiat magis & minus? Respondendum est, Perfectum usurpari dupliciter, uel pro exacto, uel pro eo in latitudine aliqua collocato, ut etiam dicitur de Virtute, & summo bono: in prima significatione non est capax intensionis, & remissionis, sed in secunda. nam ut legitur in 2. Phy. cap. de Fortuna, Mens iudicat id, quod est propè, perinde ac si adesset, & ob id etiam non exactè perfectum, iudicat absolutè perfectum rectiùs autem dicimus, quòd careat intensione, & remissione, quia dum absolutè loquimur, id denotamus, quod exactè tale est. *An perfectum recipiat magis & minus.* Considero secundò, singula sumpta in definitionibus debere intelligi secundum se, & *Alterum.*

cum

cum reduplicatione, nimirùm vt id tale est. Sic Perfectio nil deest, nilq; potest ad
di, videlicet quatenus perfectum est. nam alia consideratione frequenter id pos-
Tertium. set esse falsum. Considero tertiò, dubium esse, num Perfectio vt in bonis, ita in
vitio, & malis locum habeat? nam id videtur absurdum, cum Perfectio dica-
tur aliquid summum, & optimum? Ex aduerso frequenter dicimus aliquem es-
se perfectum furem, alium esse perfectũ. Tyrannũ, & sic de cæteris. Soluitur di-
cendo, Perfectionem respondere fini, & per finem constitui: finis autem vsurpa
tur dupliciter, vel propriè, & conditio eius est vt sit vltimum, & optimum, uel
per metaphoram, ac ita omne vltimum dicitur finis, vt inquit Arist. in quintò
Metaphysicæ 21. adeò vt etiam Mors per metaphoram finis dicatur. Vt itaq;
omne vltimum per Metaphoram dicitur finis, ita omne cui ultimum competit
per Metaphoram, dicitur perfectum, Veluti fures, Homicidæ, Calumniatores,
Mendaces, & similes communi uoce frequenter dicuntur perfecti, & ne dum
perfecti, verùm etiam boni, ut boni fures, boni homicidæ, quatenus includunt
vltimum, & pertinentia ad exactam eius vitij constitutionem: & de his dicere
Paradoxũ ualemus, quòd quo sunt deteriores, eo redduntur meliores, & viçe uersa. Per me
taphoram itaq; & non propriè perfectio dicitur de vitio, & malo, nam dicendo
perfectum furem pugnantia proferimus, cum perfectio propriè ex uero fine cõ
Quartum, surgat. Quartò considero, sententiam esse Academicorum, nec non Simplicij in
2. de Anima 58. Perfectionem in tribus esse positam, nimirùm in essentia, poten
tia, & muneris functione: & iure profectò nam essentia est principium, potentia
est medium, quæ saltem ratione ab essentia distinguitur, functio proprij muneris
Quintum. est finis. Considero quintò, Perfectũ ab Ari. dici naturâ prius, ueluti in primo de
Dub. Cęlo 12. in 2. de Cęlo 23. in 8. Phy. 75. & alibi. At uariæ se offerũt instãtiæ, ueluti
de Materia comparata cum Composito, de Genere comparato cum Specie, de
Elementis comparatis cum Mundo, & cum Mixto, de Partibus, comparatis cũ
Toto, & de alijs innumeris, quæ cum sint origine, & naturâ priora, tamen sunt
Sol. imperfectiora. Soluitur, quia Naturâ Prius duplex est, uel origine, & generatio
ne, uel instituto, & appetitione, siue intentione: hoc secundum est id, quod ma-
gis propriè, & absolutè ab Arist. iudicatur naturâ Prius, quod etiam perfectius
est, alterum rectiùs origine, & generatione, quàm absolutè naturâ Prius iudicari
debet. Hinc Arist. in 8. Phy. 58. secundo de partibus Animalium cap. 1. 9 Meta.
Instantia. 15. ait generatione posterius esse naturâ prius. Verùm adhuc instatur, quia A-
risto. in 2. de cęlo 22. inquit, Prius naturâ in quouis genere est unum multis, &
simplex composito, & in cont. 23. patefacit se loqui de eo Naturâ Priore, quod
Sol. est perfectius, nam ait perfectum esse prius imperfecto. Proptereà pro exacta so
lutione addenda est secunda distinctio, nimirùm quòd de his se habet, ut legitur
se habere in 9. Metaph. de actu, & potentia nam dum considerantur in eodem
ex potentia ad actum progrediente, potentia. & imperfectius, est prius origine,
absolutè autem & in ordine uniuersi, contra se habet. Nam ea quæ sunt priora,
Sextum etiam sunt præstantiora, & actus absolutè antecedit. Sexto loco considero, in
An detur dubium uerti posse, num detur plusquam perfectum. Nam quòd detur, patet in
plus quàm coctione dicimus enim multa esse nimiùm cocta, & plusquam cocta; coctio au
perfectum tem est perfectio. Sic inter tempora numeratur plus quàm perfectum. Ex aduer
so id uidetur absurdum, quia non datur nimium bonum, & nimius finis: bonum
enim quo plus est, eo est melius, nimium autem, & bonum mutuò se destruunt.
Respondeo, propriè loquendo in perfectione non habere locum nimium, quia
id nimium destruit bonum, & perfectionem: hinc dicitur, Cauè ne quid nimis;
& dum dicimus aliquid esse nimiùm perfectum, indicamus destructionem per-
fectionis,

fectionis, ut dum dicitur homo mortuus, & caput marmoreum. Instantia de nimia coctione soluitur, dicendo coctionem esse quidem perfectionem, addendo do nimiam indicamus eius perfectionis euersionem, quæ & per purum, & per nimium euertitur. De tempore plusquam perfecto, dico tempus perfectum denotare præteritum plusquam perfectum denotare, quod olim erat præteritum, adeò vt perfectioni aliquid sit additum, vt amaueram. Hæc autem non pugnant, & aliud est dicere nimium perfectum, quod renuitur, & dicere plusquam perfectum in explicata significatione, quod conceditur. Septimò considero, in dubium verti posse, An Perficiens semper ei dignitate præstet, quod perficitur, uel ne? Quòd præstet, patet, alioquin non perficeret. Quòd non præstet semper, ostenditur de Instrumento perficiente opus, de Arte perficiente Naturam, & de famulo perficiente opera domini. Soluitur dubitatio distinguendo Perficiens, nam id duplex est, vel principale, vel instrumentum. Perficiens vt instrumentum & ut famulus non præstat; principale autem consideratur dupliciter, vel secundum se, vel ex accidenti; dum consideratur Perficiens principale quatenus perficit, semper præstat; ex accidenti autem & absolutè potest non præstare, ut ignis calidus perficit hominem frigidum, eiq; præstat, ut calidum relatum ad non calidum, non autem pro esse absoluto. Octauò, potest in dubium verti, num Fœmina valeat dici imperfecta, cum sit per naturam læsa, & non postrema hominis perfectione prædita, nec valeat simile generare, cum ex sententia Arist. careat prolifica genitura, & solùm proli tribuat materiam? Respondeo, mulierem considerari posse dupliciter, uel ut hominem, uel ut fœminam; dum eam absolutè cõsideramus vt hominem & consideramus attinentia ad essentiam, ea perfecta est, cum prædita sit anima, speciem hominis constituente; Dum verò eam consideramus, ut fœmina est, potest dici perfecta & imperfecta, perfecta quidem vt includit requisita pro femina; imperfecta uerò, dum comparatur cum mare, cuius perfectione est destituta. Nam ut docet Philosophus in calce decimi Metaph. fœmina comparata cum mare quamuis sit eiusdem speciei in attinentibus ad essentiam, differt tamen specie per accidentia propria, & per attinentia ad materiam, differentia enim maris & fœminæ non est per essentiam, nec per accidentia per accidens, sed per accidentia quædam propria animalis, ex materia pendentia, vt eo loci etiam explicat Auer.

Septimum

Dubitatio

Sol.

Octauum. An fœmina imperfecta? Sol.

Quomas & fœmina sint eiusdẽ & diuersæ speciei.

METEORA.

DISTINCTIONES.

De Meteorologicis librum construxi, in quo ea ex sententia Arist. in ordinem redegi, & explicaui. propterea modò solùm eorum distinctiones, & definitiones breuissimè referã, prætermissis annotationibus. Μετέωρον. sublime denotat, & quoniam halitus qui eorum sunt principia, apti sunt ad supera tendere; & Meteorologica, ut plurimùm fiunt in sublimi aëre, ideò cuncta ex duplici halituum genere prodeũtia, Meteorum nomine denotantur. Quorum præcipua capita quatuor sunt; vel enim posita sunt in motu, ut Venti, & Terræmotus; Vel in permutatione halituum in aliud aliquid, ut incensiones; uel in coniuncto ex permutatione, & motu,

Quatuor præcipua Meteorum capita.

tu, vt Pluuia, & fulgur; vel in radiorum reflexione, siue fractione, vt Iris, & Area.

Duo halituum genera. Halituum, ex quibus Meteora prodeunt, duo sunt prima capita. Vnus est halitus calidus & siccus, veluti fumus ex partibus aridioribus Terræ eleuatus. Alter est frigidus & humidus, qui tamen halitus magna ex parte inuicem sunt permixti. Ac insuper vterq; eorum aliqua varietate est præditus, per densius & rarius, calidius & frigidius, humidius & siccius, purius uel impurius. Ex horum, halituum distinctione, loco, & ordine, facilè elici potest distinctio, & ordo Meteorologicorum. Nam cum omnis halitus sit vel calidus & siccus, vel frigidus & humidus. Si fuerit calidus & siccus, aut superiora petit, aut in Terræ cauitatibus clauditur: si eleuatur ad supera, uel ascendit ad supremam aëris regionem, vel ad mediam, vel solùm ad inferam. Si ad sublimem, dum fuerit copiosus, ordinatus causaq; cœlesti præditus, à qua seruetur, & continenter secundum partes reficiatur, gignitur uia Lactea. *Via Lactea.* Si uerò fuerit portio minor, ordine carens, satis calida, crassa, & pinguis, uel sub stella aliqua posita, cuius radijs eleuetur, uel seorsùm à *Cometes.* ita tamen ut stellæ alicui iuncta uideatur, gignitur Cometes, hoc est, stella crinita, uel barba, siue cauda prædita. Si uerò halitus nulli stellæ appareat iunctus, nec adeò fuerit densus, & pinguis, & incendatur, tùnc ex varia eius constitutione, figura, & motu, uariæ prodeunt incensionum formæ; *Variæ formæ incensionum.* ueluti columnarum, Pyramidum, Facum, caprarum Saltantiũ, Stipularum ardentium, Stellarum labentium, Titionum ardentium, lampadum, lancearum ardentium, & aliorum Similium. At si huiusmodi fumus, in mediam aëris regionem ascenderit; vel intra nubes clauditur; uel infra subsistit. Si clauditur, & erumpit, uel prodit incensus, uel sine incensione; si incensus, uel id facit cum scissione, pulsu, & strepitu, & oritur *Tonitruũ.* Tonitruum, & Coruscatio; Si erumpit incensus, at sine strepitu, uel solùm *Coruscatio* propè effunditur, & dicitur simplex Coruscatio, siue Fulgetrum; *Fulgetrũ* vel infera petit, & per aërem Terræ proximum effunditur, & dicitur Præster; *Præster.* Si autem erumpit ex nube sine incensione, vel erumpit totus simul, sine pugna cum partibus Nubis, *Procella.* & dicitur Procella; Vel erumpit complicatus cum partibus Nubis, pugnansq; cũ illis, & dicitur Turbo. At si ex aduerso intra Nubem non clauditur, sed infra sub *Turbo.* sistit, cum non adeò fuerit calidus, & leuis; Hic vel est copiosus, non facilè aptus incendi, & à frigore mediæ regionis aëris deorsùm pellitur, cum tamen sui conditione nitatur tendere sursùm, Ventos gignit; *Venti.* Vel est exiguus, & tunc si deorsùm pollitur, & incenditur, gignitur Stella cadens, *Stella cadens.* vel Lampas, alteram accedẽs, vel Draco uolans, *Draco.* vel illuminatio alia consimilis, siue igneum spectrum, nobis proximum. Verùm si huiusmodi halitus in media aëris Regione quiescat, & per radios Solis, vel Stellarum colores recipiat, uel etiam incendatur, tunc si in medio fuerit crassus, & amplus in ambitu subtilior, prodeunt Voragines, *Voragines* Hiatus, Fauces, Foueæ, ignesq; cruenti. Si tertiò huiusmodi Fumus solùm in infimam aeris regionem eleuetur, æstiuo tempore gignit Chauma, *Chauma.* hoc est, fomitem in censionis in aère, inficiens Terram, & Plantas, & descendens in mare, conducit pro salsedine eius. At si ex aduerso huiusmodi fumus in Terræ visceribus sit inclusus, tunc vel pugnat cum vapore humido, in Terræ cauitatibus incluso, exitumq; sibi quærit & inde prodeunt species Terremotuum, *Terræmotus.* vel mouetur sub Terra, & miscetur cum aqua, vel cum vaporibus aqueis, & inde vel proximè, vel per inter media Metalla & fossilia prodeunt balnea, vel Thermæ, *Thermæ.* & Aquæ turbidæ & cœnosæ, cum strepitu ebullientes. Aut demùm non miscentur cum aqua, vel uaporibus aqueis, sed uel sui motus velocitate, vel per antiperistasim, uel ab igne sulfureo præexistente incenditur, indeq; prodeunt incensiones ex uoraginibus *Ignes tartarei.* Terræ erumpentes, Flammæ Aetnæ, ignes nuncupati Tartarei, Cineres per a-

rem

rem insperſi,& ſimilia. Nec ſunt Meteora,ex halitu calido & ſicco prodeuntia. Altera ex parte ſi halitus fuerit excalefactus, fuerit tamen ſui conditione humidus frigidus & aqueus: Vel ſupera petit, uel in Terræ cauitatibus clauditur. Si petit ſupera, uel eleuatur ad mediam aëris regionem, uel reſidet in infima; ſi ad mediam regionem eleuatur,uel ſublimiùs extollitur ad partem eius calidiorem, uel requieſcit in medio,uel infra medium detinetur; ſi reſidet in medio,ibi per frigus ambiens condenſatus, conſtituit Nubes, ex quibus Pluuiæ, & Imbres gignuntur;Si infra medium detineatur per frigus uertitur primò in Nubem, mox ſi frigus fuerit vehemens,ea Nubes condenſata congelatur,Niuemq; parit;Si tertiò ad ſublimiorem mediæ regionis partem eleuatur, in qua Calor magis uiget, tunc fit ut ea,quæ ob contrarij caloris ambitum ex uehementi frigore prodeſit. Nam vel à frigore Nubes celeriter in aquam uertitur, & prodeunt Nimbi, vel ob uehementiorem frigoris actionem,ne dum nubes citò uertitur in aquam,uerùm inſuper guttæ aquæ congelantur,& fit Grando; Si uerò uapor infimam aëris regionem non pertranſit,quoniam ea,ut cæteræ prædita eſt latitudine, ideò in ea uel magis,uel minus aſcendit;ſi eminentiùs eleuatur, & fuerit copioſus,ac inſuper roridus, & ferè in guttulas aquæ commutatus,fueritq; Soli oppoſitus, redditur Soli tanquam ſpeculum, & per radios in eo repercuſſos tricoloratam Iridem conſtituit,Si uerò fuerit copioſus,minus roridus,& rarior, Soliq; à latere aſſideat,ex radiorum ſolis receptione conſurgit tanquam alter Sol, in nube ut in ſpeculo apparens,& ex receptione radiorum Lunæ,tanquam altera Luna.Dum verò ea Nubes à latere poſita fuerit magis rorida,& inæqualior gignuntur nuncupatæ Virgæ,Ferulæ,& ſimilia; Si autem uapor fuerit paruus,nec adeò pluuialis,& roridus ſed craſſior & diſſimilior,ac ſub Sole, uel Luna poſitus, conſurgit Area ſiue Corona,& eſt tanquam circulus albus, nigrior in extremis partibus, ambiens tamquam centrum,Solem uel Lunam,uel aliam fulgentem Stellam.At ſi ex aduerſo uapor non eleuatur ad ſuperam infimæ regionis aëris partem ſed ſubſideat in ea, uel eſt multus, & copioſus,adeò ut à frigore condenſetur,in pluuiam autem uerti nequeat, prodit Caligo, ſiue Nebula; Si verò uapor non fuerit multus, & pronè Terram conſtitutus, à frigore ſuperuenientis noctis refrigeratus, uel adeò frigeſcit ut congeletur, & gignitur Pruina tanquam Nix exigua, vel diminutiùs frigeſcit & prodit Ros uel eius ſpecies aliqua, ueluti Manna, Mel aëreum,& ſimilia. Si demùm uapor non in aërem eleuatur, ſed in Terræ cauitatibus includitur,ex eo gignuntur Fontes,Riui,Flumina,& Paludes. Hæc ſunt præcipua capita Meteorologicorum.

[Margin: Pluuiæ. Nix. Nimbi. Grando. Iris. Alter Sol. Virgæ. Ferulæ. Area ſiue Corona. Caligo. Pruina. Ros. Manna. Mel aëreum. Fontes.]

DEFINITIONES.

METEORVM eſt id, quod ex duplici halituum genere proximè prodit, conditione aliqua ſibi propria præditum, per quam diſtincto nomine,ab eo Elementi,uel halitus denotatur. Vel Meteorum eſt id,quod uel ex motu,uel ex incenſione,uel ex ab refrigeratione halituum prodit,uel ex repercuſſione,ſiue fractione radiorum in eis. Halitus eſt corpus naturale, diminutè mixtum, medium inter oppoſita Elementa,& uia per quam Elementa inuicem permutātur,uel ad mixti conſtitutionem tendunt. Exhalatio, quæ fumus & hypocauma dicitur, eſt halitus calidus & ſiccus, ſupera ſui leuitate à generante recepta petens,incenſioni,motuiq; aptiſſimus.Exhalatio uerò;quæ uapor nuncupatur, eſt halitus

[Margin: Meteorum quid. Halitus. Fumus. Vapor.]

halitus sui conditione frigidus & humidus excalefactus tamen à producente & ob id aptus per aërem eleuari,apprimè facilis ut frigore densetur,& congeletur. *Suprema Regio Aeris.* Suprema aëris Regio est illud sphæræ aëris interuallum,quod à Montibus altissimis vsq; ad intimam sphæræ ignis superficiem extenditur. *Media.* Media aëris regio, est illud aëris interuallum, quod mediat inter montes supremos, & mediocres colles. *Infima.* Infima autem regio est illud aëris interuallum,quod à Terra vsq; ad mediocres colles attollitur. *Meteora incensa.* Meteora incensa sunt Fumi,ad superam aëris regionem magna ex parte eleuati, Loci calore,cęliq; motu incensi,ob varietatem dispositionis,Figuræ,Magnitudinis,& motus,uariarum rerum præseferentes imaginē, & ob id varijs nominibus designati. *Cometes.* Cometes est Fumus satis crassus & pinguis,in supera aëris regione ardens,vel sub vera aliqua Stella, vel seorsùm positus,præseferens imaginem Stellæ,coma prædita,uel barba, at si apparuerit prædita Barba. Pogonia dicitur. *Via Lactea meteorologica.* Via Lactea aërea,& Meteorologica, est halituum siccorum copia,in sublimi aëris Regione in Zonam redacta, incensionis particeps,sub Aetherea uia Lactea posita,ab eaq; seruata, quæ per Lumen præsertim ætheræ,& alterius illustrantis causæ, magnæ & candidæ viæ imaginem nobis offert. *Via Lactea Aetherea.* Via Lactea ætherea est Zona octauæ sphæræ, diuidens eam in duo hemisphæria,per signa Geminorum, & saggittarij ob dispersarum Stellarum vel apparentium, vel non apparentium copiam & eius partis densitatem, intensius Lumen recipiens,colorem.q; album aspicientibus offerens. *Via Lactea cōgregata ex vtraque.* Via Lactea congregata ex ætherea,& meteorologica,est Simulacrum magnæ, & candidæ viæ, secans vniuersum in duo hemisphæria,transiens per Sagittarium, & signum Geminorum,sedem principalem habens in octaua sphæra, ortum ducens ex multitudine Stellarum,& densitate eius partis, proximè tamen apparens in supera aëris regione,in halituum copia,per partem ęthercam eleuata & seruata. *Meteorologicæ imagines.* Meteora in aëre distincto colore & figura prædita,ut Foueæ,Dracones, Centauri, armati equites,& similia sunt spectra in halitibus præsertim humidis in aëre apparentia,per radios Lucidi corporis formata,Splendore,Magnitudine,Colore,Figura,& Distantia,uaria,facileq; variabilia ob varietatem positionis & conditionis principiorum,ex quibus pendent. *Pluuia.* Pluuia est aqua ex nube in media aëris regione,à frigore condensante genita,in guttas distributa, & descendens,pro Elementorum congruente ęqualitate seruanda Plantisq; nutriendis,& ad frugem *Nimbi.* ducendis. Nimbi sunt Pluuiæ immodicæ à Græcis Lauroteræ dictæ, ex nube densa,per frigus celeriter in aquam conuersa,producta, & cum impetu descendentes,hæ frequenter fiunt tempore æstiuo & per antiperistasim. *Psecades.* Psecades,quasi irrorationes,sunt pluuiæ,quarum guttæ sunt raræ,& citò desinunt, genitæ ex nube dissimili, nō continuata,parumq; fœcunda,hæ frequenter fiunt sereno Cælo & fulgente sole,cum nubes sit tenuis,& in partes seiuncta, non ualens obsistere *Nix.* radijs solis. Nix est nubes densa in inferiore mediæ regionis aëris parte à frigore cōgelata,& per lucidos spiritus,cum aqueo humore permixtos,albedine prędita. *Grando.* Grando autem est aqua,in media aëris regione,per ambientis caloris pugnam,à vehementi frigore congelata,in rotundus portiones diuisa,in Terramq; cadens. *Ros.* Ros est uapor exiguus,per infimam aëris regionem effusus, à moderato noctis frigore in aqueum humorem uersus. Terram,& Plantas irrorans, propor*Pruina.*tione pluuiæ respondens. Pruina est uapor exiguus,per infimam aëris regionem effusus,à vehementi frigore congelatus,& perinde ac exigua Nix. super Terrā & Plantas extensus. *Glacies.* Glacies est aqua,à frigore ambientis congelata, conspirante propria conditione aquæ,ad frigus propensæ,cum permixtione frigidorum, & terrestrium halituum,exactaq; caloris,cum tenui humore extrusione. Antiperistasis,

peristasis, quæ ad Meteorologica pertinet, & à Theodoro Gaza dicitur circum obsistendi ratio, ab alijs aduersus conatus, à nonnullis contrarij circumstantia, definiri potest, quòd sit contrarij potentioris, circa debilius adsistentia; ob quā debilius à potentiore intus pellitur, potentiusque redditur: Antiperistasis autē ne dum locum habet in qualitatibus, verùm etiam in motu secundum locum, vt patet ex 8. Phy. 82. at hæc ad rem non facit. Manna est liquor roridus, & dulcis, in infima aëris regione ante ortum caniculæ genitus, ex vaporibus in quibus humor cum sicco sit congruenter mixtus, & à calore moderato coctus, qui mox frigore noctis aliquantulum coagulatus, ante ortum Solis supra terram, & folia cadens, primò liquidior est, mox redditur durior, & nonnullis quasi granis præditus. Mel roridum est id ipsum, sed mollius, & solùm Lentore quodam præditum. Nebula est vapor copiosus, & densus, infimam aëris regionem obumbrans, qui vel est residuum præcedentis nubis, vel initium sequentis: prima propriè est Nebula, altera verò Caligo quædam, quæ nisi à Sole dissoluatur, est semen futuræ pluuiæ: prima descendit per aërem, altera potiùs ascendit. Flumen est Aqua copiosa, per alueum vberrimè, & continenter fluens, ex vno, vel pluribus fontibus per riuulos ortum ducens, influens in flumen aliud, vel demùm in Mare. Riuus est exigua portio aquæ; vel ex cauitate Montis, vel ex fluuio aliquo, aut Natura, aut arte deriuata, continenterq; fluens. Torrens est aqua copiosè fluens, ex Pluuia, & Niuium liquefactione accretionem recipiens, magna ex parte æstiuo tempore fluere desinens. Fons est Principium, & tanquam caput Fluuij ex quo Aqua in visceribus terræ primò diuisim genita, mox collecta extrinsecùs fluit, & riuum, vel Flumen generat. Lacus est aqua copiosa, & profunda, in latitudinem extensa, eo loco orta, & perennis, ex qua Riui, & Flumina prodeunt. Stagnum est copia aquæ effusa, & stans, magna ex parte ex Fluuijs collecta, & non perennis, nonnunquam tamen etiam latiùs vsurpatur. Palus est aquæ copia, parùm profunda, plurimumq; extensa, magna ex parte non perennis. Dicitur tamen nonnunquam etiam de copiosa, plurimumq; extensa aqua, prædita riuis, ex qua flumina ortum ducunt, vel in quam influūt, vt se habet de celeberrima Palude Mæotide, in quam Tanais Flumen influit. Mare est Elementi aquæ præcipua congregatio intra terminos proprij loci continuata, salsedine prædita non extra fluens, sed in seipsam fluxum quendam, & refluxum suscipiens. Salsedo est sapor aquæ maritimæ, ex sicco Terreo præcalefacto, & cum humore permixto prodiens, vt magna aquæ copia non fluēs, incolumior à putredine seruetur, & pro multorum viuentium ortu, & conseruatione sit aptior. Fluxus, ac refluxus, est motus aquæ Maris, tanquam partis vniuersi, qui ei secundum naturam totius competit, & ortum ducit ex primo motore, & mobili, proximè autem ex Luna, per intermedios halitus, partim extrinsecùs Mare ambientes, partim in eo inclusos, vt pars hæc cum suo toto conformetur, suamq; perfectionem conseruet. Aestus Maris est elatio, & contractio aquarum eius proximè pendens ex commotione spirituum, cum aqua mixtorum, sequentium, & emulantium pro facultate motum diurnum receptum in Luna, tanquam principium eorum, ob naturalem consensionem, quam habent cum eo, initium suscipiens à parte infima aquæ, ut pro facultate in motu cum vniuerso conformetur. Ventus est motus halituum siccorum, præcalefactorū, qui eleuati ex Terra per calorem Terræ insitum, & radios solis, infra mediam aëris Regionem motibus, varijs agitantur. Procella quæ à Græcis τυφως, hoc est, ex nube erumpens appellatur, propriè sumpta est Spiritus calidus & siccus, aliquantulum densus, cum nube iunctus, qui à densiore, & frigida nube desu-

Antiperistasis. *Manna.* *Mel roridū* *Nebula.* *Caligo.* *Flumen.* *Riuus.* *Torrens.* *Fons.* *Lacus.* *Stagnum.* *Palus.* *Mare.* *Salsedo.* *Fluxus ac Refluxus.* *Aestus.* *Ventus.* *Procella.*

Turbo. per condensata totus simul extruditur, & directè deorsùm tendens sine incensione, vehementi impetu Terram petit. Turbo græcè τυφων est spiritus calidus & siccus non incensus, cum partibus densioris nubis complicatus, cum quibus *Præster.* pugnans, in orbem uoluitur, cũque eis iunctus, in Terram scendens uaria euellit, & secum eleuat. Præster siue incensio est spiritus calidus, tenuis, & siccus, qui totus simul ex nube extrusus, ob motus velocitatem, & causas alias calefacientes incenditur, incensusq; aërem illustrat, & nonnunquam vsq; ad Terram de- *Imber.* scendit. Imber est aqua, citissimè, & tota simul ex nube genita, magno impetu *Terræmot.* in Terram cadens, citoq; desinens. Terræmotus est concussio partium terræ, à *Tonitruũ.* spiritu calido & sicco, in angustis Terræ cauitatibus incluso, exitumq; sui conditione quærente. Tonitruum est sonus in Nube productus, à spiritu calido & sicco, à nube, quæ in supera parte incipit condensari, expulso, impetumq; facien- *Coruscatio* te in partes Nubis; quæ ei obsistunt, easq; frangente. Coruscatio est fulgor, repentè in media aëris regione apparens, & desinens, prodiens ex spiritu calido & sic- co incenso, non multo, & sparso, ex nube à qua repellitur, exeunte. Fulmen est *Fulmen.* spiritus igneus, tenuis, copiosus, simulq; iunctus, eximia violentia à nube expul- *Halo.* sus, celerrimeq; Terram petens. Halo, siue Area, est corona apparens in Nube densa, consimili minutarum partium, sub aliquo splendido Sydere, in qua non figura Syderis, sed color consimilis appareat, in medio tamen clarior, in ambi- *Iris.* tu nigrior, præsertim tamen apparet sub Luna. Iris est tricolor Arcus ex reflexione vel prima, vel secunda radiorum Solis, aut Lunæ, ab opposita nube ad no *Virga.* stros oculos consurgens, nõ maior semicirculo, sed eò minor illo, quo ab Astro magis supra horizontem eleuatus producitur. Virga meteorologica est apparitio variorum colorum, consimilium coloribus Iridis, in nube inæquali, densa, & per particulas plurimas ferè in aquam commutata, consurgens ex refractione radiorum Solis in ea, tanquam in Speculo à latere Solis in mediocri distantia collocato. Parelium est imago Solis, & tanquam alter Sol, apparens in nube *Parelium* rara, & consimili, à latere Solis posita, consurgens ex repercussionis Lucidi So- *Metallũ.* lis in ea, tanquam in Speculo mediocriter distante: potest etiam id ipsum apparere de Luna, rarò tamen. Metallum est corpus mixtum, consimile, quod ex Terra eruitur, aptum liquescere, & duci, ex halitu fecundum imperium humido genitum, ope caloris miscentis, & coquentis, frigorisq; congelantis. Fossile *Fossile.* est corpus mixtum, consimile, quod ex Terra eruitur, ex halitu sicco terreo dominante genitum, beneficio caloris contemperantis, & coquentis: Fossilium tria statuuntur genera, nimirùm Terra veluti Sania & Lemnia; succus concretus, vt bitumen; Lapis *Minera.* ueluti Herculeus. Minera, Fodina, siue Vena metallorum, est Terræ Sinus, congruenter Cęlo subiectus, à quo cum distincta mensura facultatem recipit, per congruentia instrumenta halitus primò genitos in metallum commutandi. Pertinentia ad distinctam horum explicationem legantur in libro Meteorum, quem construxi.

NVME.

NVMERVS.

DISTINCTIONES.

PROCLVS in Timæum quadruplicem ponit numerum, nimirùm Diuinum, Essentialem, Rationalem, & Naturalem: at prætermittit numerum Mathematicum & Imaginum. Insuper numerus Diuinus rectiùs dicitur caput numerorum; propterea cum Academicis putarem esse dicendum, quinq; dari gradus numerorum. Datur enim numerus Idealis, qui etiam Originalis, & Essentialis dicitur: Ideæ enim sunt essentiæ rerum, cuius numeri Deus est caput, qui est ipsum Vnum. Alter est numerus Rationalis, ad animi rationes attinens. Tertius Seminarius, pertinens ad naturam, quæ vis seminaria dicitur. Quartus est numerus Vmbrarum, siue Imaginum, in materia refulgentium. Quintus est numerus Mathematicus, qui dicitur discreta quantitas; Ar isto tamen horum graduum nonnullos negligit. Ex sententia Pythagoræ, Platonis, & Arist. diuiditur numerus in numerantem & numeratum, vt patet ex 4. Phy. 102. à quibus non recedens, sed exactiùs distinctionem explicans dico, Numerum esse triplicem, vel solùm numerantem, vel solùm numeratum, vel numerantem, & numeratum. Numerus dicitur numerans duplici modo. Primo, quia est id, quo anima res numerat, & huiusmodi est numerus Mathematicus, ex vnitatibus constans. Secundo, quia est causa rerum, ab ea definita mensura productarũ, quo secundo modo Deus est numerus solùm numerans, Cęlum numerans & numeratus, mortalia solùm sunt numeri numerati a Cęlo. Cum numerus dicatur numerans duplici modo, primus modus est per signum, alter per causam, de quo secundo numerandi modo, loquitur Arist. in calce 4. de Gener. animalium, inquiens numero motuum Cęli, & virium eius, numerari ortus, & interitus rerum: & id ipsum affirmat in 4. de Gener. Animalium cap. postremo, necnon 17. partic. prob. vlt. & de eodem legitur, Deum cuncta certis numeris, & mensuris procreare. Insuper numerus, modo primo, hoc est, vt signum numerãs, qui est numerus Mathematicus, diuiditur in Digitum, Articulum, & Compositum. Numerus digitus non excedit nouem. Articulus est denarius, vel vnus, vel plures, vt, 10. 20. & sic de reliqnis. Compositus includit vtrumq;, vt 15. 24. & similes. Insuper idem numerus Mathematicus diuiditur in Linealem, Superficialem, & Solidum. Linealis ille dicitur, qui sola vnitate mensuratur, vt 3. Planus est, qui numeratur numero, vt quaternarius binario, & qui numeratur numero in seipsum multiplicato dicitur circularis, vt nouem, quia ter tria nouem reddunt. Qui verò consurgit ex radice bis in seipsam multiplicata, dicitur numerus Solidus, & quadratus, vt ter tria, ter, vigintiseptem. Insuper diuiditur numerus in primum, & non primum. Numerus absolutè primus binarius est, nam vnitas non est numerus, sed principium.

Proclus. *Quinque gradus numerorum.* *Pythagoras.* *Triplex numerus.* *Numerus numerans duplex.* *Numerus Mathematicus.* *Digitus.* *Articulus.* *Compositus.* *Numerus Linealis, Superficialis, Solidus.* *Numerus Primus.* *Non Primus.*

DEFINITIONES.

Arist. Definitio numeri numerantis, vt signi. Numerus numerat'. Numerus numerans, vt causa.

CVM numerus sit multiplex, nos numerum numerantem tenemur definire, de illo enim præsertim est sermo, & ex eius notitia refulget numerus numeratus. Aristo. 10. Metap. contextu quarto inquit, Numerum esse multitudinem unitatum. Cumulatiùs definiri potest, quòd sit quantitas discreta, ex unitatibus conflata, per rationem constituta, pro rerum multitudine numeranda. Insuper quòd sit quantitas discreta, ex unitatibus constituta, apta in infinitum crescere, & in unitates resolui, formata ratione, pro numerabilium mensura. Ex aduerso Numerus numeratus est rerum multitudo, apta per rationem numero numerante mensurari. Hæc sunt uera de numero numerato & numerante, ut signo, & mensura. At Numerus numerãs, ut causa, est Principium rerum, quatenus definita quadam uirium mensura, cõgruentem rei Naturam & conditionem constituit. Numerus autem per causam & principium numeratus, est essentia propria rerum, quatenus per definitum gradum, & mensuram supremæ unitatis, nimirùm diuinæ essentiæ est particeps.

ANNOTATIONES.

Inuentor numeri.

CONSIDERO primò pro inuentore rationis numerandi, apud Platonem in Phædro hæc legi. Audiui circa Naucratem Aegypti, priscorum quendam fuisse Deorum, cui dicata est auis, quam ibim uocant, Dæmoni autem ipsi nomen Theuth, hunc primum omnium numerum, numeriq; computationem inuenisse. *Proclus.* Inquit Proclus in Timæum, Alteritatem esse matrem numerorum, & iure nam ex alteritate prodit numerus. Pater autem, qui numerum parit, humana ratio iudicari debet, nam eius est officium computandi & numerandi. Ob eximiam connexionem rationis, & numeri enunciauit *Auẽzoar.* Auenzoar Babylonius, eum omnia nosse, qui nouerit numerare. Quæ sententia uera est. Primò, quia qui numerare nouit, ualet ratione, cuius officium est noscere causas rerum. Secundò, quia ille dicitur numerare numeros numeratos, qui noscit essentias rerum, ex primo principio pendentes. *Plato.* Hinc Plato interroganti, cur homo est animal sapientissimum. *Arist.* Respondit, quia numerare nouit. Cuius sententiæ Aristo. quoq; in lib. probl. mentionem facit. *Pythag.* Pythagoras autem enunciauit, hominem esse prudentissimum, quia scit numerare.

Alterum, quod consideratur. Considero secundò, quòd cum numeri, & rationis eximia sit connexio, iure in dubium uertitur, num anima rationali non existente, reperiri possit numerus, uel ne? *Dub.* *Auer.* Auer. in 4. Phy. 131. inquit esse numeri non est in anima omnibus modis, sed in anima actu reperiri, quia ab ea formatur numerus numerans ut signum; extra animam uerò potestate, hoc est, ut in re apta numerari. *Sol.* Pro solutione animaduertendum primò est, quòd numerus usurpatur dupliciter. Primò, indefinitè pro multitudine, ac ita numerus numeratur inter sensibilia communia, & sub sensum cadit. Secundò, pro definita specie numeri, & computandi ratione, & hic numerus ad rationem pertinet. Dum igitur quæritur, an Anima non existẽte, seruetur numerus, utendũ est distinctione cùm ani-

mæ,

mæ,tùm numeri,nam dempta anima sentiente,demitur numerus pro multitudine sumptus,non pro suo esse absoluto,sed ut aptus sub sensum cadere; dempto enim uno relatorum,demitur & alterum, vt ad id refertur. At loquendo de veriore numero ad rationem attinente,dicendum, dempta anima rationis compote,numerus numerans vt signum,non seruatur,quia ex ratione pendet; Numerus autem numerans ut causa seruatur,quia non pendet ex anima.Similiter numerus numerabilis vt à causa seruatur, quia non refertur ad eam; Numerus numerabilis vt à signo seruatur pro suo esse absoluto,at non pro relato, hoc est,vt aptus per rationem numerari. Considero tertiò, frequenter in dubium verti,an numero competat Facultas, & virtus aliqua, vel ne? Hebræi, Academici,Pythagoræi, varias & eximias ei tribuunt virtutes, & rebus varijs numeros varios respondere affirmant. Sic vnitas tribuitur Menti; numerus quaternarius Animæ;denarius Mundo:Septenarius Apollini,& Dionysio, vt ait Proclus in Timæum.Similiter Arist.in 1.de Cœlo cont.2.numero ternario vires & facultatem tribuere videtur,inquiens, Ex numero Sacerdotes vti in Sacrificijs,& id facere sequentes Naturam: & in 2. de partibus anim.cap.1. inquit,Naturam ternario numero multa perficere. Theologi in præcibus & ieiunijs numerum seruant. Medici id efficiunt in Syrupis,pillulis, diebus decretorijs,& similibus. Ex aduerso Aristo.videtur à numero virtutem omnem abijcere,nam quantitas non est efficiens. Hinc ait in 13.Metaph.cap.6. in Mathematico numero vna vnitas non differt ab altera;& lib.14.cap.5.inquit, Numerum nullo causæ genere esse causam,res itaq; apprimè dubia est. Cuius Solutio ex distinctione numeri,& ex modo,quo vnum alterius dici potest causam, petenda est. Nam competere alicui facultatem,contingit tripliciter, vel tamquam causæ,vel tamquam signo,vel secundum propriam formam. Si loquimur de numero numerato,qui est essentia rerum,siue multitudo earum; ei secundum propriam formam virtus competit,cum essentiæ sint facultate præditæ.Si loquimur de numero numerante tamquam causa; hic per modum causæ est præditus facultate,nam rerum causæ sunt viribus præditæ. Si tertiò loquimur de numerante vt mensura,& signo,ille potest dupliciter considerari,vel secundum propriam & absolutam conditionem, vel analogicè & tamquam signum:si consideratur absolutè,non est præditus virtute,quia quantitas nō agit, & vna vnitas non differt ab altera:at si consideratur analogicè; & tamquam signum,ita per modum signi,& analogicè est præditus virtute. Consideratur autem tamquam signum,dum consideratur vt denotat aliquid;analogicè verò dū consideratur antiqua eius conditio,respondens conditioni rerum, qua confide ratione,numus binarius dicitur fęmininus,materiam denotans,numerus impar masculinus,denotans formam;& præsertim ternarius denotans Principiū, medium,& finem,Sic nomina quoq;,tanquam signa,virtutem includunt,Et nomina apud Græcos, & Hebræos numero computantur, quia vtuntur literis pro Characteribus numerorum.Considero quartò, numerum numeratum duplici ratione posse dici præditū facultate;prima est,quia huiusmodi numeri sunt naturæ,& essentiæ rerum, proprijs uiribus præditæ;altera est,quia ex rebus varijs, numero præditis,consurgit ordo,mutua ratio,& consonantia,quę est forma & perfectio.Considero quintò,ex dictis elici posse,quomodo interrogationibus, & dubitationib. valeamus per numeros respondere,nā id licet facere cōsiderādo numeros tāquā signa,& analogicè,ueluti interrogati,Cur Elemēta sint quatuor?Dicimus,quia quaternarius est plenitudo.Cur materia sit origo multitudinis?Dicimus,quia est binarius,& numerus par.Cur forma sit fundamentū cōsi

Tertium. An numero compe-tat Virt'? Aris. Theologi.

Solutio. Compete-re faculta tem tripli citer.

Quartum.

Quintum.

militudinis specierum? Dicimus, quia est numerus impar, nā ex imparium numerorum connexione semper consurgit eadem figura numeri, nimirùm quadrata & sic de cæteris. Considero sextò, ex iam dictis colligi interpretationem eius sententiæ, quòd Deus gaudet numero impari, & ternario, nam Deo summè bono, & actui purissimo ea sunt consentanea, & grata, quæ bona sunt, & actum, siue formam seruant: huiusmodi est conditio imparis numeri, & præsertim ternarij, denotantis principium, medium, & finem. Similiter elicitur interpretatio alterius sententiæ quæ est, Deum certis, & definitis numeris cuncta producere. Academici id referunt ad Ideas, quæ sunt numeri essentiales, quatenus cuncta per proprias parit Ideas: At dimissis Ideis, id seruatur dicendo, Deum id facere definitis mensuris, tribuendo vnicuiq; id, quod ei congruit, & per distinctos gradus, distincta procreare. Sic ab eo omnibus tributum est esse, his clarius, alijs obscurius; ita quoq; essentiæ rerum dicuntur similes numeris, vt legitur in 8. Met. cont. 10. quatenus sunt essentiæ in indiuisibili positæ, adeò vt dempta vel addita vnitate, varietur species. De facultate numerorum varia leguntur apud Proclum in Timæum, apud Philonem, & alios, quæ missa facio. Septimo loco considero, ex dictis etiam elici facilè posse, quomodo vera seruari possit sententia Pythagoræorum, & Academicorum, quòd figuræ & numeri sint Principia rerum. Nam si consideramus numeros, qui ab eis essentiales dicebantur, nimirùm Ideas: conspicuum est, quomodo ex sententia ne dum eorum, uerùm etiam Theologorum, principia sint. Similiter etiam constat numeros rationales, & seminarios proximiùs principia esse: Numeri autem Arithmetici, & Geometricæ figuræ dici possunt principia per analogiam, & similitudinem proprietatum, & conditionum, ut patefeci.

Sextum.

Septimum

HARMONIA ET CONSONANTIA.

DISTINCTIONES.

HARMONIA, & consonantia apprimè iunctæ sunt, harmonia tamen est latior, & ad plura extenditur, sub qua continetur consonantia, quæ propriè solùm ad sonos pertinet, quamuis per metaphoram sæpè transferatur ad alia multa. Harmoniæ nomen concordiam, & compositionem denotat, ducitur à uerbo ἁρμόζω, quod est congruo, ad apto, & quadro. Harmonia latè sumpta dicitur, & de ea corporū, affectionum, motuumq; eorum, & de ea Animorum. Harmonia corporum duplex est, uel uniuersi orbis, uel partium eius; Et utraq; attinere potest, uel ad substantiam, uel ad quantitatem, uel ad qualitatem, uel ad relationem. Harmonia animorum, uel attinet ad eorum naturam, & conditionem, uel ad eorum affectiones, & habitus. Harmonia conspicuè sub sensum cadens Musica est. Hanc diuidit Aristo. in 8. de R. P. cap. 7. inquiens cum illa probetur à nobis melodiarum diuisio, quam faciunt quidam Philosophi, quòd aliæ sunt morales, aliæ effectiuæ, aliæ abstractiuæ, ponentes naturam earum, ad singula horam propriam.

Harmonia

Harmonia corporum.

Animorū

Aris.

propriam. Proclus in Timæum ait, vt quadruplex est numerus, ita quadruplex harmonia est. Primam dicimus esse illam, quæ in Dijs reperitur, secundam, quæ in verè entibus, tertiam, quæ in animabus, quartam, quæ in ijs esse cernitur, quæ ab alijs harmoniam suscipiunt. Ego sequens distinctiones numerorum, ex Academicorum sententia dicendum puto, Harmoniam primam esse eam Idearum, cui tanquam caput præest Deus; secundam rationum attinentium ad Animam; Tertiam seminum, attinentium ad Naturam; Quartam ad vmbras & imitationes Idearum, refulgentes in Materia; Qnintam Mathematicum & Artificiosam. Ex sententia autem, Aristo, Princeps harmoniæ Deus est, cui competit Harmonia eminens, per eius prouidentiam & originalis, cum sit origo ordinis vniuersi. Ei succedit Harmonia Cęlestis; Tertia est Harmonia humane rationis; Quarta Harmonia Physica corporum & affectionum; Quinta Harmonia artificiosa.

Proclus. *Ex sententia Academicorũ.* *Ex sent. Arist.*

DEFINITIONES.

HARMONIA est concors compositio plurium ad alicuius cõstitutionem congruente ratione conspirantium. Vel etiam, Harmonia est ratio duorum, uel plurium, adinuicem, proprio fini congruens. Plato in 2. de Legibus inquit, Rhytmus est ordo, qui in motu refulget. Concentus est ordo, qui in voce acuta & graui simul contemperatis, apparet. Chorea est ordo, qui ex Rhythmo, & concentu simul iunctis consurgit. In 3. autem de Rep. dicitur Melodiã esse congruentem rationem, ex oratione, Harmonia, & Rhythmo, hoc est numero constantem. Ex communibus harmoniæ circumscriptionibus elici possunt propriæ circumscriptiones singulorum graduum, contrahendo communes per materiam propriam, cum qua nectuntur.

Definitio *Plato.* *Rhythmꝰ.* *Concentus* *Chorea.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, vt pertinet ad harmoniam Diuinam, quæ est harmonia eminens, & per modum causæ, eam nil aliud propriè esse, nisi Dei Prouidentiam & Ordinem. Nam omnis harmonia includit propriam rationem & ordinem, definito fini congruentem. Hanc harmoniam patefecit Arist. in 12. Metaph. cont. 51. declarans Deo competere ordinem tamque Duci, & ea, quæ in Vniuerso reperiuntur, esse ordine prædita. Descendendo ad harmoniam Celestem, quam per metaphoram aiunt Pythagoram, & Apolloniũ Thianeum audiuisse, In Cælo multiplex refulget Ratio, Ordo, & Harmonia; Prima inter motores adinuicem; Secunda inter motores, relatos ad Deum; Tertia inter motores, relatos ad orbes; Quarta inter magnitudines orbium adinuicem; Quinta inter uelocitates motuum; Sexta inter magnitudines stellarum inuicem comparatarum; Septima inter uarietates Luminis earum; Octaua inter Cęlorum orbes & mundum mortalem, de qua canens Orpheus dicebat, Iouem sceptro pulsantem Cęli Lyram, contemperare mortalem orbem. Harmonia rationalis includitur in anima, rationis compote, vt in proxima causa, in habitibus, tanquam in propria forma; in operibus, ut in re affecta; nam omnis Animi habitus, quatenus

Primum quod consideratur. *Harmonia Diuina.* *Arist.* *Harmonia Cœlestis.* *Orpheus.* *Harmonia rationalis.*

nus est rectus, est harmonia, præsertim tamen hoc competit Prudentiæ dirigenti humanas actiones, & virtutibus moralibus, quæ iure sunt harmoniæ, cum sint moderationes extremarum perturbationum. De Harmonia attinente ad contẽplationem vera est sententia Arist. in 1. Nicomachiorum dicentis, Veritati omnia consonant, à falso autem citò dissonat verum. De eâdem legitur nullam harmoniam delectare magis, quàm quæ in sapiente refulget, ex ipsa animi, sermonisq; concordia. De Harmonia verò attinente, ad mores legitur, optimam harmoniam esse temperantiam. Insuper de eadem rectè dicitur, Harmoniam saluberrimam esse eam, qua sensus rationi consonant. Loquendo quartò de Harmonia Naturæ, hæc fulget in omnibus, quibus competit congruens Compositio, Mixtio, Ordo, & Consensio: Hinc maximè apparet in Mundo toto, in ordine, & mensura Elementorum, in mixtione, in mutua consensione, & dissensione rerum, naturá constantium. De hac uera est sententia Ari. in 2. de Anima cõt. 143. dicentis, in contemperamento instrumenti sensuum, nec non in mutua relatione sensibilium, & sensuum, locum habere consonantiam, quæ cum soluatur per vehemens sensibile iure euenit, ut à vehementi sensibili labefactentur sensus. Demùm si consideramus Harmoniam Artificiosam, hæc fulget in omnibus Arte constantibus, cum Ars omnis sit recta ratio efficiendorum, quæ harmonia quædam est. Hæc apparet in Domo comparatis partibus adinuicem, & relatis ad vnum finem, similiter in Statua, & picturis, maximè autem refulget in uoce & sono, nec non in motu arte formati, Considero secundò, Ficinus virum doctum, & elegantem in 3 dialog. de R. P. Platonis nouem considerasse communes gradus humanæ consonantiæ & dissonantiæ. Primus est in ratione, & est opinio cum ratione consentiens. Secundus in imaginatione, cuius consonantia est consecutio rationis, dissonantia verò prosecutio externorum sensuum. Tertius in affectu, vel temperanter rationem sequente, vel imaginationem intemperanter. Quartus in sermone decoro uel in decoro, quatenus vel rectam rationem, uel imaginationem tumultuariam sequitur. Quintus in cantu, cuius consonantia est decorum imitari sermonem; dissonantia indecorum. Sextus in sono, cantum aliter uel aliter imitante. Septimus in saltu concinno uel inconcinno, ad Choream pertinente. Octauus in quodam membrorum, corporisq; totius conformatione, tam spectaculo grata, quàm exercitio Gymnastico prompta. Nonus in artificiosis, cuiuslibet Artis operibus. Varia, & scitu digna ab eodẽ referuntur in expositione Timæi, quæ missa facio. Considero tertiò, Aristotelem in 8. de R. P. cap. 5. & 6. varia eruditè suo more de Musica enunciasse, & præter cætera inquit, Musicam posse animi mores formare, nam ex his constat, quæ sunt iucunda per Naturam, & videtur cognatio quædam esse nobis cum harmonia, & Rhythmis. Quapropter multi sapientum dixére, alij quidem animam esse harmoniam, alij uerò habere harmoniam. Insuper ait, Dicimus autẽ non vnius vtilitatis gratia oportere Musica vti, sed multarum; nam & doctrinæ gratia, & purificationis, & gratia degendi, ocij, quietisq; causa, & remissionis curarum. Vetustioribus temporibus Musica adeò venerabatur, ut ijdem & Musici, & Vates, & Sapientes iudicarentur, adeò ut qui animo male affecto essent præditi, Amusi hoc est musarum, & Musicæ inopes dicerentur. Hinc finxerunt Musas ex Ioue Patre, hoc est, ex Mente, & Mnemosyne, hoc est, Memoria matre ortas esse. Mens enim, & Memoria sunt principia rectorum habituum animi. Plato quoq; in pueris educandis Musicæ rationem esse seruandam præcipiebat. Quem sequens Cicero in 2. de Legibus ait, Assentior Platoni, nihil tam facile in animos influere, quàm uarios canendi sonos, quorum dici uix potest, quanta sit

Harmonia Naturæ. *Artificiosa.* *Alterum quod consideratur. Ficinus.* *Tertium. Arist.* *Plato. Cicero.*

uis

vis in utramq; partem, namq; & incitat languentes, & languere facit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit. Ciuitatumq; hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum vocum conseruare modum, quorum mores lapsi ad mollicies, pariter sunt immutati cum cantibus, &c. Considero quartò, Harmoniam omni sensu percipi, omniq; sensui delectationem præbere; Præsertim tamen per cipitur ratione, cuius rectitudo nil aliud est, quàm harmonia quædam; Mox auditu, qui est sensus disciplinæ, per quem internæ animi notiones percipiuntur. Tertiò Visu, quo ne dum mortalia, uerùm æterna quoq; sentiuntur; cæteris sensibus harmoniæ magis materiatæ iudicantur, cum ipsi quoq; minus sint spiritales, & præsertim tactus, & gustatus. Considero quintò, cum harmonia sensibus omnibus iudicetur, iure in dubium verti posse, num inter sensibilia communia numerari debeat? nam quòd sit numeranda colligitur ex eo, quia omni sensu percipitur. Ex aduerso tamen Arist. eam inter sensibilia communia non enumerat, nec in 2. de Anima, nec in libro de sensu & sensili. Soluendo dico harmoniam inter sensilia communia non esse numerandam, tum quia præcipua harmonia non sensu, sed ratione percipitur, tum insuper quia harmonia, quæ sensu percipitur, ad sensibile illud redigitur, cuius est harmonia; ut harmonia soni, ad sonum; figuræ ad Figuram; & sic de cęteris. Et propterea non constituit genus sensibilium, distinctum ab eis, sed si pertinet ad sensibile proprium, redigitur ad illud; si ad commune, similiter ad illud. Considero sextò, posse adhuc in dubium uerti, num harmonia percipiatur ne dum ab homine, verùm etiam à iumentis & feris? Breuibus soluens dico, harmonias principales, ad rationem attinentes, à solo homine percipi, cum solus sit rationis particeps; cęteras uerò confusè, & indistinctè ab eis percipi, non autem distinctè, ueluti percipimus Aues delectari cātu, Equos & Canes cum delectatione saltare & currere, & sic de alijs, ueluti etiam infantes ante usum rationis musica delectantur, & demulcentur.

Quartum.

Quintum.

An harmonia sit sensibile cō mune?

Solutio.

Sextum.

An iumentis.

SOL.

DISTINCTIONES.

SOL est duplex, unus Meteorologicus, & est imago Solis apparens in Nube, à Solis latere posita. Alter non imago, sed principalis est, & non meteorologicus. Qui adhuc est duplex uel dictus per Metaphoram, uel propriè. Sol per Metaphoram adhuc est duplex, uel ea Metaphora est cum eleuatione, uel cum depressione; cum eleuatione, ut Deus dicitur Sol Iustitiæ, & frequenter explicatur Deus per Analogiam, & metaphoram, ex Sole depromptam, & hic est Sol inuisibilis, Sol respondens oculo Mentis, Sol pariens puris animis Lumen æternū. Hinc Sol diuiditur per visibilem, & non visibilem. Academici triplicem statuunt Solem, Diuinum, Angelicum, Cælestem. Primus attinet ad Deum. Alter ad superam Mentem. Tertius ad Sydus Cęli. In primo Lumen est supra Mentem. In secundo Intellectuale Lumen est supra sensum visus. In tertio Lumē uisibile est. Secūdus Sol dicitur primi filius. Tertius imago utriusq;. Ex quo elicitur explicatio sententiæ. Platonis in 6. de R. P. dicentis, Solem intelligibilem esse Boni filium, id enim intelligi debet de secundo Sole. Altera ex parte Sol dictus per metaphoram cum depressio-

Sol. 2.

Academici.

Plato.

depreſſione, eſt corpus mortale pulchrum, vt pulchra Lucens, & formoſa puella. Sol demùm propriè ſumptus, cui vt maximè conſpicuo putandum eſt primò nomen fuiſſe impoſitum, eſt Sol ſumptus Pro Planeta, de quo futurus eſt ſermo.

DEFINITIONES.

Orphæus.

SOL ab Orpheo per Metaphoram deſcribebatur, quòd eſſet Mũdi oculus. A nonnullis Academicis, quòd eſſet Senſibilis imago inſenſibilis Dei, quatenus viſui imaginem quandam Dei repræſentat: propterea, nonnullæ nationes ſolem, pro Deo venerabantur: ac ob id ipſum legitur in Sole poſuit tabernaculum ſuum. At dimiſſis metaphoris, ita Solem per eius conditionem, & officia deſcribendum puto. Sol eſt Planetarum medius, Stellarum omnium Lucidiſſimus, Lumen cæteris impartiens, diem ſui præſentia in Terris pariens, ſui abſentia noctem proprio motu ſub Eclyptica, Solarem annum conſtituens, ſuoq; ad nos acceſſu, & receſſu, vnà cum quatuor anni temporibus, ortum rerum, & interitum ordinatè pariens, & ſeruans.

Verior Definitio.

ANNOTATIONES.

Primum quod conſideratur.

Apollini quatuor tribuũtur.

CONSIDERO primò, quòd cum Græci Solem nuncupent ἥλιον, inquit Plato in Cratylo, id nomen ex eo eſſe ductum; vel quia homines, dum oritur, congregat; vel quia continenter reuoluitur; vel quòd ſua reuolutione tempora uariet. Inſuper cum dicatur Απολλων, ait per id nomen quatuor denotari, quę à vetuſtioribus Philoſophis, & Poetis ei tribuebantur, nimirùm Artem medendi, Artem Sagittandi, Vaticinium, & Muſicam, quæ apud Platonem latè videre licet. Solùm dico Apollini tribui Artem medendi, quia à Sole plantæ & medicamenta vires & facultatem præſertim recipiunt, ideò de eo legitur,

Inuentum Medicinæ meum eſt, opiſexq; per orbem.
Dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis.

Artem verò ſaggittandi ei tribui, quia radios ſuos, tanquam ſagittas per Vniuerſum effundit. Muſica quoq; ei conuenit; tum quia ſuo Lumine, & motu purgat & contemperat Elemẽta, ordinemq; inter ea ſeruat; tum inſuper quia cum ſit in medio Planetarum collocatus, cum ſingulis habet connexionem, & rationẽ aliquam, ut declarant Aſtronomi, tùm demùm quia ex eo elicitur conſpicua temporum ratio, & menſura, & per eius pręſentiam iubilant omnia, & dum oritur, incipiunt canere Aues. Demùm ei tribuitur Vaticinium, quia eius officium eſt cuncta in apertum deducere, & ſuo Lumine illuſtrare, & patefacere, ac etiã cuncta ab eo ſpiritum quendam proprium ſuſcipere videntur. Conſidero ſecundò, quòd cũ deſcribens Solem dixerim eſſe medium Planetarum, id minimè protuli ex ſententia Ariſt. Nam Aegyptij, quos ſequuti ſunt Calippus, & Eudoxus, & Mox Plato, & Ariſt. putarunt Solem ſtatim ſupra orbẽ Lunæ eſſe poſitum; Ptolemæus uerò & Principaliores Aſtronomi ei tribuunt ſedem mediam inter Planetas Ari. tamen 2. de cęlo. 57. pertinẽtia ad ordinẽ, & diſpoſitionẽ Stellarũ, ſilentio percurrit, inquiens ab Aſtronomis exactè eſſe explicata. Conſidero Tertiò, de Principatu Planetarum Ariſtotelem ab Aſtronomis diſſentire. Aſtronomi

Alterum De ordine Planetarũ

Tertium.

mi enim Principatum tribuunt Soli, quem aiunt in medio, tanquam principẽ collocatum,& eminenti eius Lumine cuncta perficere,& illustrare. Ex aduerso Arist. putare videtur præstantiam Cęlestium orbium respondere ordini eorum, adeò vt superiores,magisq; à terra distantes,sint præstantiores;sic Terra cedit cæteris Elementis; Aqua est dignior & præstantior Terra; Aër Aqua; Ignis Aëre, Luna Igne, Mercurius Luna,& sic de cęteris. Et hoc indicauit in 1. de Cęlo.16. inquiens, dari cęli essentiam, eo honorabiliorem Natura præditam quo magis distat ab his,quæ hic.Clarius id ipsum patefacit in 2.de Cęlo cont.62. & sequentibus,quo loci manifestat superiores orbes dignitate præstare inferioribus, optimamq; dispositionem assequi paucioribus motibus, similioresq; esse primo; in motu totius,qui diurnus est;Sic continens,relatum ad contentum,seruat conditionem formæ.Hanc controuersiam duplici distinctione componere valemus. Prima est,quòd vel comparantur stellæ adinuicem, uel orbes; si comparantur stellæ,ita Soli,ut maximostellarum,& Lucidissimo,valemus Principatum tribuere,consentientibus omnibus;Si verò comparantur orbes,illi considerari possunt dupliciter,vel secundum motum,& absolutam perfectionem,uel quatenus conspicuè agunt in hæc mortalia.Arist.rectè sensit,considerans orbes absolutè,secũdum rationem,& motum,nam superiores sunt maiores,mouentur ueluciùs motu totius,sunt similiores supremo.Sententia Astronomorum est uera,dum considerantur secundum conspicuum modum operandi in hæc mortalia, quod etiã concessit Arist.qui in 2.de Cęlo manifestauit,Solem maximè mortalia calefacere:& in secundo Phy.26.dixit,Solus & homo generant hominẽ.At quia mortalia non sunt principales fines Cęlorum,ideò absolutè rectiùs loquimur, dũ principatum tribuimus superioribus orbibus, cum sint proximiores principali fini cunctorum.Considero quartò,quòd cum Luna uerè eclypsetur, quia recipit Lumen à Sole;Sol uerè eclypsari, hoc est,priuari Lumine non potest, quia Lux est propria eius,adeò ut per alìud nequeat ea priuari; solùm eclypsari apparet nobis quando Luna ei subijcitur,adeò ut sua opacitate impediat transitum radiorum, Solis ad nos. Insuper Sol rariùs eclypsatur,quàm Luna. Tertiò non totus simul Eclypsari potest, ut Luna. Quartò non cunctis nationibus simul eclypsatur, ut Luna. Vera absolutè,& uniuersalis solùm fuit ea solis Eclypsis, dum in passione Domini priuatum se mortalibus obtulit omni Lumine. Considero quintò,in attinentibus,& connexis cum Sole reperiri hunc ordinẽ, Primò enim origine consideratur eius essentia,cum terminata mole,& figura. Secundò Lux eius propria. Tertiò motus competens mobili perfecto. Quartò radij ex eo prodeuntes,qui sunt uel recti,uel reflexi,uel fracti. Quintò Lumen in perspicuo per primam reflexionem. Sextò splendor repercussi radij à Speculo, apparens in umbra. Septimò Vmbra per secundam repercussionem. Octauò tenebræ. Nonò opacum.Lumen atterit & attenuat; attritionem sequitur calor, calorem expurgatio ab alienis,& concretio similium,& coctio.Considero sextò,quòd dũ Sol oritur,uel tendit ad occasum, nobis aspicientibus videtur quodam modo in sua sede reuolui,adeò ut ex eo nonnulli elicerint Solem, & stellas proprio motu in sua sede continenter reuolui,cuius opinionis præsertim fuēre Academici. Arist.in 2.de cęlo 48.id inficiatur,& ait,Solem orientem,& occidentem uideri reuolui,non quia re uera in sua sede reuoluatur, sed ita uideri ob distantiam nostri uisus. Visus enim longè porrectus nutat ob imbecillitatem,quæ fortè causa est,ut scintillare uideantur Stellæ fixæ.Planetæ autem non scintillant, quia propè sunt. Hæc Arist. adeò ut quemadmodum Stellarum fixarum scintillationem, ita apparentem Solis reuolutionem,ad imbecillitatem referat. Sed puto probabiliter

De principatu Planetarum.

Sol. controuersiæ.

Quartum. Sol.non verè Eclypsatur.

Quintum.

Sextum.

Academici.

Arist.

biliter potiùs,quàm ex propria sententia id retulisse,nam re uera ea non uidetur potissima causa apparentis reuolutionis Solis. Primò,quia non uideretur Sol reuolui potiùs in oriente,& occasu,quàm in medio Cęli, cum non magis tunc secundum sensum distet,immo cum faciliùs tunc à nobis inspiciatur. Prætereà, si imbecillitas esset causa apparentis reuolutionis, Cur stellæ fixæ non uiderentur similiter reuolui,præsertim cum magis distent? quæ tamen non reuolui, sed solùm scintillare videntur,quod profectò ex imbecillitate euenire potest. Propterea putarem potiorem causam esse,quia Sol oriens, & occidens inspicitur à nobis per aërem medium, qui Terræ proximus est,in quo plurimi reperiuntur uapores,qui à Sole excalefacti,& agitati reuoluuntur,& nos per eos medios inspiciente solem,iudicamus Solem reuolui. Et magis hoc apparet in ortu, quàm in occasu,quia tunc vapores sunt crassiores,& copiosiores,non autem apparet, hora meridiana, quia non inspicitur tam longè per aërem terræ proximum, sed directè aciem oculorum eleuamus,& à radijs solis illustramur. Alteram causam puto esse,non imbecillitatem,sed vehementiam radiorum solis, nam in Solem orientem, vel tendentem ad occasum faciliùs dirigere valemus oculorum aciem, cum Sol tunc debiliùs, ob vapores medios illustret, tamen quia adhuc potens est, & superat vires oculorum, ideò vehementer mouens turbat spiritus oculorum, qui cum in orbem reuoluantur,sunt causa, vt iudicamus Solem in orbem reuolui. Hoc autem non accidit sole ad meridianum accedente, quia tunc potentiùs agit,& nos non valemus aciem oculorum in eum dirigere. Insuper accidit,ut Sol videatur reuolui,stellæ autem fixæ non reuolui,sed scintillare, quia radij solis sunt copiosiores,& latiores. Hinc eis competit apparens reuolutio,radij verò stellarum sunt acutiores,& debiliores, & ob id scintillare, quasi

Septimū. tremare videntur. Septimò Considero de mole Solis duas esse aduersas opiniones. Democritus,Leucippus,& alij hos sequentes, putârunt quòd cum Sol, & stellæ corpora exigua esse videantur,ne dum non sine maiora,quàm appareant, immò longè minora. Id autem ostendunt, quia candela accensa, longè aspicientibus videtur maior,quàm re vera sit, ob Luminis extensionem. Quare & Sol, & stellæ cum sint tanquam accensæ candelæ, longè videntur esse maiores, quàm sint.Hinc nos inspicientes,lucens quoduis distans, iudicamus id esse magnum,quamuis re vera sit exiguum. Astronomi ex aduerso inquiunt, Solem esse maiorem Terra centris sexagesies septies:similiter aiunt stellas visu cōspicuas octauæ sphæræ,maiores esse Terra, quibus magis cum ratione, & mensura loquentibus,maior fides est adhibenda. Nec obest,quod obijcitur ab aduersarijs de candela accensa, tum quia id accidit in non magna distantia, tum insuper quia id euenit ob lumen effusum in aërem,Luci proximum. At quando Astronomi Astrolabio & alijs instrumentis magnitudines metiuntur, inspiciunt id quod est ab illustrato interuallo seiunctum,& est proprium lucidi corporis, veluti euenit dum inspicitur Luna eclypsata,& Sol per nubes adeò obumbratus,vt solùm appareat proprium corpus eius. At hæc Astronomis derelinquamus.

Octauum. Octauò considero,ob id quod dixi ex sententia Orphei, Solem esse æternum Mundi oculum,quod si id per metaphoram intelligatur, concedi potest,quatenus,ut oculi animalium,ita Sol Mundi est pars Lucidissima,& visui suo lumine aptissima:at si intelligatur propriè, reijci debet, nam Phœnicum sententia fuit, Cęlum per Solem,ut per oculum,uidere omnia. Idq; nitebantur ostendere,quia

Phenices. vt primum intelligibile, nimirùm Deus, maximè intelligit, ita primum Sensibile debet sentire;primum aut sensibile est sol,qui respondet uisui, sensui præstantissimo & ex eo pendent sensibilia cuncta. Insuper id ipsum confirmatur, quia

Cęlo

Cęlo viuenti & præstantissimo, sensus præstantissimus debet competere. Hæc tamen sententia reijcienda est; Nam ostenditur ab Aristotile in 3. de Anima, 61. Cœlum non egere sensu, neque vt sit, neque vt bene sit. Præterea Lux eximia non est oculo vtilis, sed aduersa: oculi enim valdè Lucidi, vt nŏctuarum, diminutè vident. His accedit, quòd visio fit non per emissionem radiorum, sed per passionem ab obiecto, quæ soli non competit. Ratio, sumpta ex intelligibili, quòd etiam intelligit, soluitur, quia non est par ratio, nam Intelligibile est essentia, à materia seiuncta, cui competit officium intelligendi; Sensibile autem est maximè iunctum cum materia, & est accidens, cui iudicium non cōpetit; quare vt primum tangibile, non iudicat tangendo, nec gustabile, vel audibile, degustant, vel audiunt, Ita primum visibile non videt. Nonò considero loquendo de Eclypsi. Solùm mentionem fieri de Eclypsi Solis, & Lunæ: & iure, quia hæc sunt duo prima Lumina Cęli, illustrantia Terram. Et si quis quærat, num alijs Astris competat modo aliquo Eclypsis? Dicendum est, si loquimur de Eclypsi, pendente ex vmbra Terræ, ea solùm Lunę, non alijs Astris competere apta est; quia vmbra terræ non eleuatur supra orbem Veneris; Mercurius autem & Venus, nunquam adeò recedunt à Sole, vt ei opponantur, & Terra media valeat eos Planetas obumbrare, sed semper sunt proximi Soli. Si autem loquimur de Eclypsi, prodeunte ex alicuius syderis interpositione, qualis est ea Solis, hæc potest etiam nonnullis alijs competere, quod præsertim fit per interpositionem Lunæ, vel solis; Ile facta per interpositionem Lunæ, loquitur Aristot. in 2. de Cœlo cont. 60. inquiens, Lunam quidem vidimus semiplenam, subintrasse ex Astris illud Martis, &c. id autem potest etiam euenire de stellis Octauæ sphæræ. A' Sole autem fit dupliciter vel per accessum ad illud Astrum, & nuncupatur occasus Solaris: vel per interpositionem, adeò vt Sol sit sub eo sydere; & est Eclypsis ex parte nostri, non absolutè. Sola itaq; Luna absolutè est apta Eclypsari, quia sola est apta Lumine priuari, recepto à Sole.

Diluitur ratio aduersa.

Nonum.

DIFFERENTIAE POSITIONIS.

DISTINCTIONES.

DIFFERENTIAE positionis esse dicitur, Sursùm, Deorsùm, Anterius, Posterius, Dextrum & Sinistrum. Hæ varijs denotantur nominibus. Nuncupantur enim Differentiæ, Species, Partes, Virtutes, Principia, Distantiæ & Oppositiones, vel partium corporis, vel locorum. Vsurpantur autem dupliciter, vel per metaphoram, vel magis propriè. Dum vsurpantur per metaphoram, tribuuntur incorporeis, veluti Deo, & Animæ. Magis tamen propriè, locis & corporibus competunt. Hinc diuiduntur, quia vel sunt differentiæ, & oppositiones locorum, vel partium corporis. Insuper diuiduntur, quia vel corporibus competunt absolutè, vel per relationem aliquam. Præterea, vel eis competunt per naturam, vel per imaginationem nostram, vt Mathematicis. Præterea, vel distinguuntur sola virtute, vt in Cœlo, vel sola figura, vt in statua, vel figura & virtute, ut in perfecto animali. Demùm si distinguuntur Virtute, uel id eis competit per naturam, uel per assuetudinem.

Nomina. *Diuisio.*

DEFINITIONES.

Definitio prima. DIFFERENTIAE positionis partium corporis sunt principales distantiæ earum, mutuam relationem includentes, trinæq; dimensioni respondentes, uel figura, uel uirtute distinctæ, propriè competentes uiuentibus, & illis præsertim, quæ absolutiora fuerint.

2\. Insuper Differentiæ positionis partium corporis sunt principales earum oppositiones, includentes conditionem principij, uel dimensionum, uel motuum, ac inter se, uel figura, uel uirtute seiunctæ, propriè competentes uiuentibus, & illis præsertim, quæ absolutiora fuerint.

3\. Vel etiam Differentiæ positionis partium corporis, sunt termini distantiarum trium dimensionum uiuentis corporis, obtinentes conditionem principij alicuius motus.

4\. Insuper quartò & exactiùs, Differentiæ positionis partium corporis, sunt primæ, & maximæ partium uiuentis corporis secundum locum distantiæ, propria facultate præditæ, per quam modo aliquo motus sunt principia.

Differentiæ locorum, sunt maxima secundum facultatem & interuallum distantia, communis Loci mortalium, ad cuius terminos grauia, & leuia per naturam mouentur.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, Differentias positionis, cùm locis, tùm corporibus competere posse; propterea primò definitæ sunt, quatenus competunt corporibus, secundò, vt competunt Locis. Et quoniam differentiæ locorum per naturam distinctę, solùm sunt Sursùm, & Deorsùm, ad quas mouentur per naturam grauia, & leuia; ideò per definitionē hæc sola est explicata; cæteræ competunt loco solùm per relationem aliquam, non autem absolutè. Considero secundò, huiusmodi Oppositiones esse tres, ex quibus prodeunt sex differentiæ, mutua quadam relatione oppositæ. Ratio autem, quòd tres sint, & nō plures, vna est, quia tot sunt huiusmodi oppositiones, quot sunt dimensiones corporum; dimensiones autem solùm tres sunt; quare etiam oppositiones tres erunt. Dimensiones esse tres ostendunt Geometræ, quia solùm tres lineæ valent in eodem puncto secare se ad angulos rectos. Insuper id ipsum confirmatur, quia præter Principium, Medium, & Finem, non requiritur aliud. At longitudo, cui respondet Sursùm, & Deorsùm, est Principium. Latitudo, cui respondet Dextrum, & Sinistrum, est Medium. Profunditas, cui respondet Anterius & Posterius, est finis; quare præter has dimensiones, & oppositiones, aliæ inueniri non debent. Insuper id ipsum patet inductione. In nulla enim magnitudine oppositionem aliam, nec Mathematici, nec Physici vnquam inuenire valuerunt. At instare aliquis posset, quia Cleomedes in suo libro de Mundo & Alij nonnulli duas alias addiderunt, adeò ut decem sint. Addunt enim Intus, & Extra, insuper Medium & Extrema. At hæ sunt reijciendę, nam Intus & Extra non sunt differentiæ partium eiusdem corporis, nec sunt initia alicuius dimensionis, nec motus. Medium autem, & Extrema, nōn sunt maxima distantia partium. Insuper dum considerantur ut maximè distant, constituunt in Mundo mortali Sursùm, & Deorsùm. Considero tertiò, omnem oppositionem seruare conditionem principij, non uno, sed tribus modis, primò dimensionis, secundò motus secundum locum, tertiò uariorum motuum. Dimensionis quidem, quia Sursùm est principium longitudinis; Dextrum Latitudinis; Anterius profunditatis; & dum hæc tria adfuerint, repletum erit uniuersum interuallum, ideò non potest excogitari alia dimensio. Secundò sunt Principia uariorum motuum: nam Sursùm est principium nutritionis, & accretionis, quia per os recipitur Alimentum; Anterius est principium sensuum, qui in facie sunt collocati: Dextrum est principium motus secundum locum, qui à parte dextera incipit, quiescente sinistra. Tertiò sunt principia per uariam relationem ad eundem motum secundum locum: nam Sursùm, & longitudo, est ea, in qua est principium motus: Dextrum est terminus à quo incipit animal moueri secundum locum: Anterius est terminus ad quem tendit. His tribus modis Aristo. in 2. de Cęlo dixit, Differentias has esse principia. Considero quartò, cum relatæ oppositiones competant loco, & corporibus, dubium esse, cui nam primò competant? Qua de re disputat Simplicius in primo, de Cœlo. At breuibus dico, si consideramus Differentias partium animalium; illæ cum loco nullam habent connexionem, adeò vt uni uel alteri dicantur primò competere. Solùm est dubitatio de Differentijs grauium, & leuium, & de oppositione loci eorum, quæ est Sursùm, & Deorsùm. De qua dicendum est, quòd cum Cęlum non egeat loco, est faber Diffe-

Primum quod consideratur.

Alterum

Instantia. Sol.

Tertium.

Quartum.

rentiarum loci grauium & leuium; & propterea. Primò naturâ, & origine consideratur Cęlum; Secundò consideratur Sursùm & Deorsùm constitutum per cęli rotunditatem; Tertiò consideratur motus grauium & leuium ad medium,& à medio,adeò ut primum absolutè sit corpus cęli; mox primum in intentione sint grauia,& leuia,pro quibus paranda erant loca, primum uerò secundum originem sint differentiæ locorum. Considero quintò,cum Differentiæ uario modo dictæ sint principia,non propterea singulis,quibus competunt, singulis illis modis principia sint,ut patet de Cęlo, cui Aristo. singulas tribuit, cum tamen ei solùm competant per relationem ad motum secundum locum, & hoc ei sat est,quia hic motus est primus omnium, & eminentia ac facultate cæteros includit,cum cæteri ex motu Cęli pendeant. Considero sextò, iure in dubium uerti posse,cum omne corpus sit præditum trina dimensione, cui respondent tres oppositiones positionum,cur non omni corpori tres illæ oppositiones competunt,sed solùm uiuentibus? Insuper num competant modo aliquo corpori mathematico? Respondens dico, cum Differentiæ positionis sint principia,iure non competunt omni corpori,sed illis solùm, in quibus eis competit,ut sint principia. Hoc autem non seruant in inanimo, in quo nec latitudo à longitudine,nec profunditas ab illis secernitur,sed quæ una consideratione est longitudo,altera esse potest latitudo, uel profunditas, & uice uersa; insuper longitudo non habet principium distinctum à fine, sed quod una consideratione est principium,altera potest esse finis,& sic de reliquis. De corpore mathematico id ipsum dicendum est,adeò ut in eo solùm nostra imaginatione statui ualeant relatæ oppositiones,imaginando unam partem figuræ esse superam,alteram inferam,& sic de reliquis oppositionibus. Et minus competunt huiusmodi oppositiones corporibus mathematicis,quàm Physicis; cum mathematica magis sint seiuncta à motu,à conditionibus principiorum,& connexionibus cum illis, quibus relatæ oppositiones competunt. Considero septimò, quòd quamuis corporibus inanimis non absolutè, nec distinctè competant Differentiæ positionum,tamen septem alijs modis eis competere possunt. Primò per motum rectum,competunt elemétis Sursùm,& Deorsùm, ad quę per naturam tendunt,& suo ordine mundum mortalem constituunt. Secundò per similitudinem,& imaginem,ut in statua & pictura. Tertiò per relationem ad nos,ut augures,ueluti apud Virgilium,

Quintum. *Sextum.* *Dub.* *Sol.* *Septimum* *Septē modi quibus differentiæ competunt inanimis.*

Sæpè sinistra caua prædixit ab Ilice cornix.

Quartò per nostram imaginationem,ut dum imaginamur alicuius longi corporis unam partem esse principium,alteram finem,& principium dicimus Sursùm. Quintò per modum oppositum nostris differentijs, ut faciem parietis ad nos conuersam dicimus anteriorem,dexteram uerò dicimus, partem eius, respondentem nostræ sinistræ,tanquam si esset homo ad nos cōuersus. Sextò per relationem ad Differentias positionis Cęli,ut Montis partem conuersam ad orientem dicimus dextram,& Vrbes orientis dicimus dextras,eas uerò occidentis sinistras. Septimò per metaphoram,& cum relatione ad suum principium; ut fluuiorum fontem dicimus caput,& partem sursùm, mox quasi sit homo iacens,& Cęlum inspiciens,unum latus dicitur dextrū,alterum sinistrū.& partem superam dicimus faciem. Considero octauò, quòd loquēdo de huiusmodi oppositionum Differentijs, illæ nonnunquam distinguuntur sola uirtute ut in Cœlo, nonnunquam sola figura, ut in statua, nonnunquam utrisq; modis, ut

Octauum.

in

in animalibus absolutioribus,& præsertim in homine,in quo præter cętera hoc inspicitur, vt Sursùm,& Deorsùm eius,respondeant differentijs Mundi: hinc legitur,

Pronaq; cum spectent animalia cætera Terram,
Os homini sublime dedit.

Plantæ autem infimę viuentium,contra se habent,cùm radices proportione respondentes ori,deorsùm sint collocatæ: hinc Academici per metaphoram Hominem nuncupârunt Plantam euersam. Ex differentijs autem partium hominis,pars dextra finistræ similior est,quàm Anterius Posteriori,& Sursùm parti Deorsùm,adeò vt sine controuersia Aristo.in 2.de Cęlo, primò dixerit partem dexteram non distingui figura à sinistra;mox contra dixerit distingui:nam absolutè datur distinctio,facta tamen comparatione cum cæteris, quæ clariùs distinguuntur,possumus dicere non distingui. Nonò considero Platonem in mortalium orbe solùm concessisse Sursùm,& Deorsùm ex parte nostri, non autem absolutè. Nam in orbe,ob eius rotunditatem,solùm seruare licet medium, & circunferentiam,non autem sursùm,& deorsùm. Aristo. tamen putauit absolutè seruari in eo Sursùm,& Deorsùm,non autem solùm ex parte nostri. Dicere valemus in mundo nos duo posse considerare,vel Figuram,vel motum: si solam consideramus eius rotundam figuram, solùm inspiciemus medium, & circunferentiam: si verò consideramus motum, vel inspicimus motum Cœli, uel motum Elementorum; Si consideramus motum Cœli, rectè Plato dixit secundum naturam, solùm dari medium & circunferentiam; Si verò consideramus motum Elementorum,vel de eo sentimus cum Platone, vel cum Aristotel. si cum Platone, ipse putauit Elementa per naturam moueri in orbem, vel requiescere,vt requiescit terra;motum autem rectum dixit esse reditum in suam naturam,non autem secundum naturam eorum,ac ita solùm seruabitur, sursùm,& deorsùm distingui,non considerando motum secundum naturam, sed solùm reditum in naturam.At si sentimus cum Arist.putante Elementa per naturam moueri motu recto: hunc motum considerantes dicemus per naturā distingui sursùm & deorsùm in orbe mortalium:& maximè opponuntur,cum maximè sit varia conditio loci ignis à conditione proprij loci Terræ; Ex quo patet,Arist.cum Platone hac de re non posse penitùs conciliari.Decimò considero,Pythagoram Dextrū,& Sinistrum putasse oppositiones primas, ad quas cæteræ redigerentur; nam Sursùm,& Anterius redigebat ad Dextrum, Deorsùm verò,& Posterius ad sinistrum.Ratio est, quia oppositiones rerum statuebat principia,& quoniam oppositorum vnum denotat formam,& bonum, alterum priuationem,& malum:Ideò oppositiones considerabat, vt bonum, vel malum,formam vel priuationem denotant. Et quoniam Dextrum maximè denotare videtur potestatem,formam,& habitum, & frequenter pro bono usurpatur,ut dum fortunam nuncupamus dexteram,uel sinistram; ideò hac oppositione tanquam principali utebatur,eamq; tribuebat cęlo, cuius institutum considerantes,ualemus facilè diluere rationes, quibus Arist. in 2. de Cęlo nititur eius sententiam euertere.De his etiam alia dixi in lib.de Mundo,quæ nunc missa facio.

Nonum.

Concilium in parte.

Decimum. Pythagoras.

LOGICA.

DISTINCTIONES.

Diuisio Logicæ. LOGICA est duplex, vna nobis competens per naturam, altera Artificiosa. Nam ratiocinari valemus naturâ, & Arte. Logica Naturalis cultu, parit Artificiosam, quæ partu perficit naturalem. Insuper Logica Artificiosa dupliciter vsurpatur, vel latissimè, vel pressiùs. Latissimè sumpta extenditur etiam ad Grammaticam, quatenus λόγος, ex quo deducitur Logica, & rationem, & orationem significat. Pressiùs tamen & magis propriè de ea disciplina dicitur, quæ in ratione & ratiocinatione versatur, deducitur enim ex eo nomine græco, non vt orationem, sed vt rationem, siue ratiocinandi formam significat. Quæ adhuc diuiditur, nam vel versatur in sola ratiocinatione, vel in ea iuncta cum alio. Si in primo ea est triplex; vel enim est ostensiua, & parit Scientiam; vel probabilis & parit Opinionem; vel sophistica & parit Deceptionem. Si verò est iuncta cum alio; vel iungitur cum ornamento orationis, & est Rhetorica; vel cum numeris, inuentione, & Fabulis, & dicitur Poëtica: Hinc *Auer.* Auer. in 1. con. 1. post. quinque statuit partes Logicæ, latè sumptæ, nimirùm Ostensiuam, Dialecticam, Sophisticam, Rhetoricam, & Poëticam. Nos autem nomine Logicæ eam intelligimus, quæ in sola ratiocinandi ratione versatur, & dicta est triplex. Insuper Logica in hac significatione diuiditur in Docentem, & Vtentem, siue potiùs in vsu positam. Logica docens ea est, quæ regulas tradit, & rectam argumentandi rationem patefacit, quæ ab Arist. traditur in libris omnibus, ad Logicam pertinentibus. Logica verò in vsu posita, sunt rationes argumentandi, iunctæ materiæ congruenti. Insuper Logica docens adhuc diuiditur à latinis expositoribus in Artem veterem, & Artem nouam: per Artem veterem denotant primos libros Logicæ, vsq; ad librum Priorum: Librum verò Priorum cum sequentibus appellant Artem nouam: occasionem diuisionis eliciunt ex Aristo. qui in Epilogo libri Elenchorum ait, pertinentia ad Artem Syllogisticam ab eo fuisse inuenta, & explicata. *Cicero.* Cicero eam diuisit in Inuenientem & Iudicantem. Rectiùs tamen diuidi potest in partem de Principijs, quæ absoluitur in libro de Interpretatione, & partem de subiecto, & speciebus subiecti, quæ sunt tres, nimirùm Syllogismus ostensiuus, Dialecticus, & Sophisticus, quæ absoluitur in libris Priorum, Posteriorum, Topicorum, & Elenchorum.

DEFI-

DEFINITIONES.

CVM variæ de Propria Logicæ conditione extiterint virorum Sapientum sententiæ, varijq; sint eius vsus, variæ quoq; circunferuntur illius definitiones. Stoici (referente Diogene Laërtio) dicebant esse scientiam rectè disserendi, circa orationes, quæ interrogatione, & responsione constantur. Alij inquiunt esse rectam addiscendi rationem. Auer. in Epitom. Metaph. tract. 2. cap. 1. nec non in 1. Phy. 35. ait, esse Instrumentum, quo secernitur uerum à falso. Alij inquiunt Logicam esse Artem, subministrantem organa inueniendi & iudicandi, conducentia pro omni disciplina, ad rationem attinentem. Alij esse Artem explicantem instrumenta cognoscendi, præsertim autem sciendi. Nonnulli esse disciplinam, organa rationi subministrantem, pro quauis docendi ratione, & inuẽtione. Quidam inquiunt esse disciplinam, docentem instrumenta formare secernendi verum à falso, sapientis ingenio formatum pro citò & rectè inueniendis, formandis, & ordinandis disciplinis, ad rationem attinentibus. Insuper dicitur disciplina, rationi organa subministrans, quibus Arte omne quæstionis genus dissoluitur, & verum à falso secernitur. Prętereà dicitur Methodus artificiosa acquirendi, & formandi disciplinas ad rationem pertinentes. Prætereà dicitur Ars, humanam rationem componens, & dirigens, pro rectè formandis instrumentis cognoscendi, & præsertim sciendi, humano ingenio formata, vt omne quæstionis genus Arte soluatur, & uerum à falso internoscatur. Nonnulli aiunt, quòd sit instrumentum Philosophiæ, à Philosophis inuentum, pro secernendo in Philosophia uero à falso, & bono à malo. Nonnulli, qui se solos iudicant uerè Logicos, definiendo inquiunt, Logicam esse habitum intellectualem, instrumentalẽ, siue disciplinam instrumentalem, à Philosophis ex Philosophiæ habitu genitam quæ secundas notiones in conceptibus rerum fingit, & fabricat, ut sint instrumenta, quibus in omni re verum cognoscatur, & à falso secernatur. Putarẽ ego dicendum, Logicam esse Artem ingenuam, quæ doceat instrumẽta cognoscendi, & præsertim sciendi formare, Viri sapientis ingenio inuenta, vt Arte omne quæstionis genus soluatur, & uerum à falso internoscatur. Dialectica, sumpta pro tertia parte Logicæ, definitur ab Aristo. in procemio Topicorum, quòd sit Methodus Syllogizandi de omni proposito problemate, ex probabilibus, nec non respondendi, adeò ut nil repugnans dicatur. Cicero in Bruto inquit, Dialectica est Ars, quæ docet rem vniuersam distribuere in partes; latentem explicare definiendo; obscuram explanare imterpretando; Ambiguam primùm videre, deinde distinguere, postremò habere regulam, qua uera, & falsa iudicantur, & quæ quibus propositis sint, queq; non sint consequentia.

Stoici. Alij. Auer. Alij. Approbatior definitio. Dialectica. Cicero.

ANNO-

DE RERVM DEFINITIONIBVS

ANNOTATIONES.

Primum quod consideratur. CONSIDERO primò, Dialecticam vsurpari dupliciter, vel pro tota Logica, adeò vt Logica, & Dialectica idem sint, & sæpè pro eodem apud Aristotelem veluti in primo Rhetoricorum, & apud Ciceronem vsurpantur. Vel pro parte eius, quæ traditur in libris Topicorum, quæ vt docens regulas, traditur in eis libris, vt verò eis regulis vtimur, dicitur versari circa omnia, & effunditur per omnes disciplinas, & præsertim refulget in Metaphysica: cum enim desint exactæ ostensiones, vtimur rationibus dialecticis. Hinc Auer. & Scotus iure enunciarunt, in Metaphysica plurimas rationes esse Dialecticas. *Alterum Stoici. Plato.* Considero secundò, quòd apud Stoicos Logica sumpta pro aggregato ex eius partibus, est scientia, & pars Philosophiæ inspectricis, considerans ens rationis. Apud Platonem verò Logica denotat Artem, tradentem regulas methodorum addiscendi. Dialectica autem denotat Solertem, sagacem, absolutam, & liberam Philosophantis indaginem, qua liberè progreditur resoluendo cuncta vsq; ad prima, adeò vt sit quidam Logicæ vsus, non per probabilia tantùm, sed per abstractiones, & resolutiones vsq; ad irresolubilia: quem vsum solùm concedebat Plato iuuenibus post trigesimum ætatis annum. Hinc in septimo de R. P. Dialecticam appellat apicem scientiarum, & inquit quòd Dialectica sola, sublatis suppositionibus, ad principia pergit, & animi oculum sursùm eleuat. *Plotinus.* Et Plotinus, illum sequens En. prima lib. 3. ca. 2. inquit, Philosophię pars pręstantissima Dialectica esse videtur. Ex quo elicio Dialecticam Platonis in idem venire cum Metaph. Arist. dum consideratur Metaphysica, vt uersatur in eo quod est, quatenus est; non autem ut est Methodus de primo principio hoc est de Deo. Nam apud Academicos datur scientia Physica de rebus Physicis; Diuina de Diuinis; & Dialectica tanquam apex vtriusq; eleuans sursùm, & ad principia hoc est, ad Ideas. *Alterum Logica nō est Sciētia.* Considero secundò, Logicam neq; ex sententia Arist. neq; Platonis debere iudicari scientiam, & partem Philosophiæ, sumendo Logicam, vt definita fuit. Quod constat progrediendo per omne genus causæ, & ordiendo à fine, Finis inspectricis Philosophiæ est inspectio veri, non affectio; Finis Logicæ proximus, & internus, est efficere, & dirigere ad formanda instrumenta. Insuper in vsu Philosophiæ, & scientiæ, est collocatum summum bonum; non autem in vsu Logicæ, cum ea uti ualeant etiam Artifices sordidi. Secundò id patet, considerando materiam, nam Scientiæ, & Philosophia uersantur in contemplatione rerum, naturā constantium, & Principiorum earum: Logica in secundis notionibus, ratione constructis, multis uarietatibus obnoxijs. Tertiò id patet ex forma, siue considerādi modo, Nam Logicus ens rationis considerat non ut est ens rationis, hoc enim cognoscitur à Metaphysico & à Physico, sed ut est instrumentum quoddam; & ob id Logica instrumentum dicitur. Demùm loquendo de efficiente, Sciētia producitur humana ratione, utente pro instrumento Logica, & regulis eius: at Logica non instrumento Logicæ acquiritur, nil enim est instrumentum productionis sui met, & nullum instrumentum est pars eius, quod eo efficitur: ualet quidem instrumentum esse pars efficientis, at non eius, quod efficitur. Et quemadmodum Logica docens regulas addiscendi non est scientia, ita neq; ea quatenus utens est, semper enim instrumentum siue iunctum operi, siue seiunctum, seruat *Sententia Platonis.* conditionem instrumenti, ut in Comite Politico latiùs patefeci. Apud Platonem

non

non Logica tradens regulas addiſcendi eſt ſcientia, & Apex Philoſophiæ, ſed Dialectica, quæ redigitur ad Metaphyſicam, ut dixit. Inſuper apud Academicos Dialectica magis iudicatur ſcientia, quia ex eorum opinione de quauis re ualemus probabiliter pro utráq; parte diſſerere; & hæc eſt ſcientia humana, de qua enunciauit D. Aug. noſtrum ſcire eſſe formoſam quandam opinionem. Similiter patet Logicam non debere iudicari partem Philoſophiæ, quia conſideret ens rationis, tum quia id non propriè eſt ſcibile, cum ſit opus humanæ rationis, tum inſuper quia ut dixi huiuſmodi ens, ut ens, non conſideratur à Logico, ſed à Metaphyſico per comparationem cum uerè ente & à Phyſico ut ratione formatur; à Logico autem ſolùm conſideratur, ut eſt inſtrumentum, qua conſideratione non ualet ſcientiam conſtituere; ſed ſolùm inſtrumentum ſciendi. Conſidero tertiò, quòd cum Logica non ſit ſcientia, & debeat ad aliquem quinq; habituum Mentis redigi. Quamuis uerè Ars non ſit, operans in externam materiam; tamen ratione finis, ad Artem redigitur; cum dirigat ad formanda inſtrumenta. Et cum non ſit Ars ſordida, ideò iure dicitur Ars ingenua, & libero homine digna, ueluti etiam Rhetorica. Et propterea iure Veteres, inter Artes ingenuas eam numerabant, eſt enim recta ratio formandi inſtrumenta ſcientiarum. Hinc Ariſt. ſub initio prima Rhetor. manifeſtat per Rhetoricam & Logicam artificiosè cõponi rationem & orationem, indicans eſſe Artes, & in 2. Phy. ait Arte perficere naturam; ſic Logica perficit rationem, nobis per naturam competentem. Conſidero quartò, quòd cum uarij uaria accipiant pro genere Logicæ, Habitus eſt genus nimiùm remotum, nam dicitur de habitibus corporis, & animi, de habitibus appetitionis, & rationis. Similiter Diſciplina, latiſſima eſt, & de multis dicitur. Inſtrumentum quoq; latiſſimum eſt, ut patet. Similiter Methodus dicitur de omni diſciplina. Propterea quamuis ea omnia uerè dicantur de Logica; genus tamen proximum puto eſſe Artem, quæ eſt unus quinque habituum rationis, qui ſtatim contrahitur per ingenuum, pro diſtinctione ab Artibus Mechanicis, & adduntur alia, per quæ definitio reciprocatur cum Logica. Conſidero quintò, minus rectè in definitione Logicæ à nonnullis accipi ſecretionem boni à malo; nam ſat eſt dicere per eam iudicari uerum, & ſecerni à falſo, quoniam propriũ Logicæ officium eſt, ex ueris uera colligere, & uitare falſa; ſecernere autem bonum à malo ei competit per conſequutionem, nam cognitio ueri eſt initium rectarum operationum. Hinc dantur regulæ Logicæ ad uerum, & falſum attinẽtes, ut Ex ueris nil colligitur niſi uerum. Ex falſis autem nonnunquam colligitur uerum; non autem dantur regulæ attinentes ad bonum & malum; & de principijs prænoſcendum, quòd uera ſint, non quòd bona, uel mala. Proximè itaq; per inſtrumenta Logica ſecernimus uerùm à falſo; per conſequutionem autem bonum à malo. Sextò loco conſidero, quòd ur demonſtrationis datur definitio una explicans quid ſit, & altera explicans propter quid, prima conſtans ex internis, altera ex externis cauſis, ita Logicæ approbatior definitio ex utriſq; modo aliquo conſtat. Dum enim dicimus eſſe Artem ingenuam, quæ doceat inſtrumenta cognoſcendi, & præſertim ſciendi formare, hæc explicat quid ſit; Dum addimus Viri ſapientis ingenio formata &c. hæc explicat propter quid, & conſtat ex externis cauſis, nimirùm ex efficiente, & fine; & eſt principium oſtenſionis alterius. Inſuper conſiderandum, quòd definientes poſſemus quidem dicere, eam uerſari in ſecundis notionibus, ut ſunt inſtrumenta explicandi primas, tamen quia hæc eſt materia communior, inſtrumenta autem cognoſcendi, & ſciẽdi proximior, & magis propria, ideò hoc potiùs, quàm illud aſſumendum duxi. Septimò conſidero, quòd dum ordinem conſtituere uolumus inter diſciplinas *Septimũ.* Logi-

Tertium. *Quartum.* *Quintum.* *Sextum.*

Logicas, Prima earum est Logica uniuersè sumpta; Mox principatum obtinet ostensiua; Tertia est opinatrix, quæ propriè dicitur Dialectica, cum qua nectitur Sophistica tanquam obliquitas eius. Quarta est Rhetorica & Poëtica, quæ dicuntur Logicæ per participationem. Hinc Arist. in 1. Rhetoricorum dixit, Rhetoricam constare ex Dialectica & Ciuili scientia. *Octauum.* Considero octauò, quòd rationibus Dialecticis utimur in scientijs in principio ad excitandum, in fine ad confirmandum ostensa, ut appareat consensio rationis, & sensuum in toto autẽ progressu eis utimur ob rei de qua est sermo difficultatem, cum nobis desint rationes potiores. Quartò eis utimur ratione conditionis audientium, uiri enim populares, maiorem præbent fidem rationibus Dialecticis, quas clariùs apprehendũt, quàm exquisitis ostensionibus. *Nonum. Plato.* Considero nonò pro Dialecticæ præstantia dicere Platonem in Philebo, quòd differendi facultas non permittit ut ei alteram præferamus, hæc enim cum circa id quod est, & uerè est, & semper eodem modo se habent, uersetur; arbitror omnes, quibus aliquid sanæ mentis adsit, longè omnium uerissimam cognitionem esse protinus concessuros. Concedo tandem difficilè inueniri posse aliam, vel Artem, uel scientiam, quæ sibi magis uendicet ueritatem. Hinc etiam ait Differendi Artem per Prometheum, hoc est, Dei prouidentiam, datam esse nobis unà cum igne, hoc est, ingenij acumine à Dijs immortalibus. Et in Sophista legitur, Dialecticæ opus (ut credo) haud alteri dabis, quàm Legitimè Philosophanti, & in 7. de R. P. solùm eius usus conceditur triginta annos natis, hæc per dicta superius explicari debent Aul. Gellius auctor non despiciendus, lib. 16. cap. 8. hæc profert, *Aul. Gellius.* Dialecticæ disciplinæ studium, atq; cognitio, in principijs quidem tetra, & aspernabilis, insuauisq; etiam & inciuilis uideri solet, sed ubi aliquantulum processeris, tùm demũ & emolumentum eius in animo dilucebit, & sequetur quædam discendi uoluptas insatiabilis, cui sanè si modum non feceris, periculum non mediocre erit, ne ut pleriq; alijs in illis Dialecticæ Gyris, ac Mæandris, tanquam apud Sirenios scopulos consenescas. *D. Aug.* Et D. Aug. in lib. de ordine inquit, Scientia argumentandi, diuidendi, definiendi, non ab hominibus pro arbitrio instituta est, sed in rerum ratione comperta est &c.

VNIVERSALE.

DISTINCTIONES.

Vniuersale enunciationis duplex. VNIVERSALE est duplex, uel attinens ad enunciationes, uel ad res. Vniuersale attinens ad enunciationes adhuc est duplex, uel enim est Vniuersale secundum formam enunciationis, uel secundum materiam. Vniuersale secundum formam enunciationis inseruit formæ Syllogisticæ; & est enunciatio, cuius subiectum est commune cum signo uniuersali, ut omnis Cygnus est albus. Vniuersale secundum materiam inseruit demonstrationi; & est ea enunciatio, quæ cum sit de omni, & per se, etiam est prima; ideò dicitur prædicatum primum, quod etiam reciprocatur cum suo subiecto, & Aristoteles fuit primus, qui uti cepit nomine Vniuersalis in hac significatione, ideò in primo Post. inquit, Vniuersale dico, quod cum sit de omni, & perse, etiam est secundum quod ipsum. *Prædicatum primum duplex.* Hoc Vniuersale pro prædicato primo adhuc est duplex; Vel enim prædicatum dicitur primum, quia solum exclu-

excludit subiectum medium, vt omnis homo est risibilis, & hoc inseruit conclusioni demonstrationis; Vel est primum, quia excludit nedum subiectum, sed etiã causam mediam, vt omnis homo est animal rationis particeps: & hoc inseruit pro principio demonstrationis. Ex aduerso Vniuersale relatum ad res, & sumptum pro contradistincto à singulari, est triplex, Ante rem, ut Ideæ; In re, vt Vniuersalia Physica, Post rem, ut uniuersalia Logica, quæ sunt secundæ Notiones. Insuper vniuersalia Ante rem, & principia rerum sunt duplicia, uel Academica, & sunt Ideæ, vel Peripatetica, & sunt formæ à materia solutæ. Vniuersalia Physica etiam sunt duplicia, vel potestate, ante quàm abstrahantur, vel actu, cum fuerint per Mentem abstracta. Vniuersalia autem Logica triplicia sunt, vel communia æquiuoca, vel communia ab vno, & ad unum, vel vniuoca. Demùm si fuerint vniuoca, vel sunt genera, uel species, vel differentiæ, vel propria, vel accidentia, quæ sunt quinque uniuersalia Logica. Genus est quadruplex, Ciuile, vt Genus Romanorum. Physicum, & est prima communis Materia. Metaphysicum, & est quoduis communissimum, & ab uno, ut ens. & Logicum, quod in generalissimum, & subalternum diuiditur, quod ad rem nostram facit, & uniuocum est. Demùm cum Vniuersale consideretur, uel in sola enunciatione, ut omnis homo currit, uel in sola re, ut natura hominis, etiam consideratur in congregato, ut omnis homo est animal rationis particeps.

Vniuersale rei. *Vniuersale ante rẽ in rẽ post rẽ.* *Vniuersale Physicum duplex.* *Vniuersalia Logica triplicia.* *Genus quadruplex.*

DEFINITIONES.

CVM Vniuersale sit multiplex, non potest unica definitione comprehendi, & explicari; ideò singulorum distinctæ tradendæ sunt. Et ordiendo ab uniuersali complexu, Vniuersale relatum ad formam syllogisticam, est enunciatio, cuius subiectum commune est, communiq; signo est distributum, ut omnis homo est bipes. Vniuersale sumptum pro prædicato primo, & relatum ad Demonstrationem, est enunciatio, quæ cum sit de omni, & per se, etiam est secũdum quod ipsum, adeò ut etiam reduplicetur ueluti omnis homo est risibilis, quatenus homo; & est Animal rationis particeps, quatenus homo. Hinc etiam prædicatum cum subiecto reciprocatur. Vniuersale sumptum uel pro Idea, uel pro Mente à corpore soluta, quid sit, ex eorum capitibus constat, absolutè autẽ est essentia ex materia non pendens, ab eâque soluta. Vniuersale in re, siue Physicum, est essentia una, apta tota simul multis siue specie; siue numero distinctis competere, à quibus per humanam Mentem ualeat seiungi. Vniuersalia Logica si fuerint communia æquiuoca, non propriè dicuntur vniuersalia, quia non indicant naturam, modo aliquo unam. Si uerò fuerint ab uno, quæ minus propriè dicuntur genera, Vniuersale ab uno est secunda notio, denotans naturam vnam vnitate ab uno, communem uarijs ordine aliquo subordinatis. Vniuersale uniuocum est secunda notio hominis ratione formata, pro denotanda natura una multis communi; & Hæc sunt uel genera, uel species, uel differentiæ, uel propria, uel accidentia, quæ etiam prædicabilia nuncupantur, quatenus sunt apta dici de pluribus. Genus est secunda notio denotans naturam, uarijs specie distinctis communem, de quibus in quid prædicatur Species est secunda notio, sub genere collocata, denotans commune id, de quo genus in quid prędicatur. Insuper est secunda notio, denotans naturam communem pluribus numero distinctis, de quibus in quid prædicatur. Quamuis species diuidatur in specialissimam, & subalter-

Vniuersale relatũ ad formã syllogisticam. *Vniuersale relatũ ad demonstrationes.* *Vniuersale ante re.* *Vniuersale Physicum.* *Vniuersale Logicum.* *Genus.* *Species.*

subalternam, non potest tamen species vt species prædicari de pluribus specie distinctis,quia dum ad distinctas species refertur, non seruat conditionem speciei,sed generis.Solùm possemus dicere,quòd prædicetur de pluribus singularibus vagis,ut Animal de hoc,& illo animali;Verùm hoc non constituit conditionem speciei,quia sic etiam genus generalissimum de suis indiuiduis prædicatur, vt qualitas de hac,& illa,quamuis non ualeat esse species,ideò melius est absolutè dicere,quòd ut talis non prædicetur,& ut sit vniuersalis,sat est ut sit natura cō-

Differētia. munis,& prædicetur tanquam genus subalternum. Differentia est secunda notio,denotans conditionem formæ, diuidens genus, & constituens species, per quam species sub eodem genere positæ,inuicem distinguuntur, & de quibus in quale quid prædicatur. Differentia latè sumpta est id, quo differunt à se singula, quæ differre dicuntur. Vnum autem potest differre ab altero,uel per accidens separabile,uel per accidens inseparabile,uel per attinens ad propriam essentiam,

Propriū. & hæc est propriè sumpta differentia. Proprium est id,quod competit omni, soli,& semper,& reciprocatur cum eo,cuius est proprium. Nam Proprium est duplex,vnum,quod est Essentia rei,& Definitio,alterum, quod sequitur essentiam. Primum constituit modum primum dicendi per se.Alterum,modum secūdum, & hoc est illud proprium,quòd inter uniuersalia numeratur: & est secunda notio,denotans conditionem rei,sequentem essentiam, competentem omni, soli, & semper,quæ prædicatur de eo,cuius est proprium, in quale. Accidens usur-

Accidens. patur tripliciter; Vel pro contradistincto à substantia & sic etiam proprium est accidens,& dicitur accidens secundum se; Vel pro quouis, quod accidit alicui primo,& cum eo nectitur, adeò ut sit extra essentiam eius, ut substantia dicitur accidere sensibili,cum quo nectitur,& ob id dicitur sensibilis ex accidenti in secundo de Anima, & homo dicitur accidere domino in prædicamēto relationis Tertiò pro contradistincto à substantia, & à proprio, ac ita constituit quintum vniuersale,quod definitur,ut sit secunda notio, denotans conditionem rei, substantiæ inhærenti,à qua saltem imaginatione sine subiecti interitu abiungi possit. Dico imaginatione,quia si naturam consideramus, dantur accidentia cùm separabilia,tùm inseparabilia. Quæ accidentium separatio quamuis sit sine interitu subiecti,non tamen est sine interitu eius accidentis.

ANNOTATIONES.

Quinque conspirantia ad rei constitutionem. CONSIDERO primò,loquendo de Vniuersalibus Logicis,ea iure esse quinq;, nā pro compositi constitutione quinq; conspirare sunt apta.Primò enim requiritur Materia, cuius uices gerit Genus. Secundò ei additur Forma, & huiusmodi est Differentia. Tertiò ex utrisq; consurgit Compositum,qualis est Species. Quartò ex internis principijs ad speciem attinentibus prodit facultas aliqua,& huiusmodi est Proprium. Quintò extrinsecùs Composito aliquid accidit,quod non per essentiam cum composito nectitur,& est Accidens. Quæ quinq; in omni prædicamento, præsertim tamen in eo Substantiæ locū habent. Et dicuntur quinq; Communes Voces,quinq; Vniuersalia, & quinq; Prædicabilia.

Alterum quod consideratur. Considero secundò,Vniuersalia secundæ notionis ita se habere, ut Genus generalissimum primæ notionis sit singulare secundæ notionis, veluti Substātia est Genus generalissimum,primæ notionis,Singulare autem secundæ notionis. Nā

Genus

Genus generalissimũ est tãquã cõmune genus:Substantia verò est vnũ particula re eius.Sic dicimus,decẽ numero esse Genera generalissima:tria numero esse cõmunia interna principia:& quatuor numero esse genera causarũ.Cõsidero Tertiò,Aequiuocũ nõ rectè dici Vniuersale,quia nõ est natura vna cõmunis; Vniuocũ aũt cũ verè sit natura vna,in multis eadẽ,verè esse Vniuersale. Id verò, qđ est ab vno,medio quodã modo se habere,& posse dici Vniuersale Metaphysicũ quia Ens,Vnũ,Bonũ,Actus,Potẽtia,& similia attinentia ad Metaphysicũ,nõ vniuoca sunt,sed ab uno.Hinc Ens dicitur Genus Metaphysicũ,ne dũ quia est communissimũ abvno, verùm etiã quia est subiectũ eius,omne enim subiectũ scientiæ,dicitur Genus.Hinc scientia vna,in primò Post.dicitur esse vnius generis subiecti:& tria,cõstituẽtia Demõstrationẽ,dicuntur debere esse eiusdem generis,& nõ esse trãscendendũ ex genere in genus.Considero quartò,cũ Vniuersalia secũdæ notionis formentur humana ratione,vt ei inseruiant pro explicãdis primis, quód dũ definiũtur,definiri debent vt instrumenta præbentia huiusmodi vsum, ideò iure dicitur ea esse notiones secũdas,pro eo vsu formatas, & de illis id verũ est,quòd eiusdem est formare eas,& illis vti, sola enim humana ratio vtitur eis. *Tertium.* *Quartum considerandum.*

Considero quintò,quòd dum Vniuersalia Logica definiuntur per esse apta dici, vel prædicari,tunc patefiũt vires eorũ;Vires aũt circũscribi,& mensurari debent per maximũ quod possunt,vt docet Philosophus in primo de cęlo. Hinc quãuis dentur differẽtiæ postremæ,quæ vni soli speciei cõpetunt,tamẽ quia dãtur aliæ, quæ dicuntur de distinctis speciebus, ideò dum absolutè definitur Differentia, dici debet,quòd sit apta prædicari de specie distinctis. Insuper sextò de eadem Differentia considero,quòd aliud est esse alterum, & differre.nam ea quæ differunt,differentia differunt,& ob id sunt composita ex natura subiecta,& differentia,vt docet Philosophus 10. Metaph. 12. Aliud autem siue distinctum potest esse simplex,& seipso distingui ab alio,adeò ut omne differens sit distinctum, non vice uersa. Et cum differentia sit quædam oppositio, & redigi debeat ad vnum quatuor oppositionis generum, redigitur ad contrarietatem, vt in Metaphysica docet Phylosophus,veluti lib. 4. cont. 4. & alibi.Septimò,ut pertinet ad Propriũ, & ad Accidens,considero quòd Propriũ,ut distinguitur modo aliquo à fundamento,cum non sit pars essentiæ fundamenti, nec per se subsistat,dicitur accidẽs hinc Accidens diuiditur in accidens secundum se, & ex accidenti: & quamuis substantia,& subiectum possit abstrahi ab utrisq;, & sine eis definiri;adest tamen hæc differeutia,quòd subiectũ potest considerari sine accidente, & cum opposito accidentis ex accidente vt coruus albus, at non cum opposito accidentis secũdum se,ut homo cũ opposito capacitatis scientiæ.Ratio est,quia huiusmodi, accidens sequitur essentiã,& fluit ex ea,non alterum. Considero octauò,quòd ut datur Vniuersale pro secunda notione,ita etiam datur Singulare, & pro prima & pro secunda notione: singulare pro secunda notione est tanquam genus,sub quo continetur singulare uagum,sumptum pro particulari,ut quoddam animal & quidam homo, & singulare signatum; Quod est duplex; uel singulare generis, ut hæc substantia, hoc Animal; uel singulare ultimæ speciei, quod denotatur tripliciter, uel nomine proprio, vel pronomine ostensiuo, uel circumscriptione uni soli competente, ueluti Socrates, Hic homo; & Sophronisci filius, si Solus Socrates sit eius filius. Et de eo, quod per hoc denotatur, quæritur quod nam sit principale Principium indiuiduationis eius? Quod censeo esse formam, ac ita latè circumscribendum iudico. Indiuidum est compositum, cuius cum una forma, una est materia, & ex proprietatibus constat, quarum collectio in alio eadem reperiri non potest. Hinc Aristot. in secundo de A- *Quintum.* *Sextum.* *Septimũ.* *Octauum.* *Forma est principale principiũ indiuidui.*

nima cont. secundo ait, formam esse id, per quod compositum est hoc aliquid; & in prædicamento substantiæ affirmauit substantias particulares denotare hoc aliquid. Verùm derelictis secundis notionibus, Loquens de Vniuersali ante rem considero nonò hoc esse duplex vel secundum esse, & eminentiā, vel secundum formam, & causam. Vniuersale secundum esse, & eminentiam, ex sententia Arist. est omnis forma seiuncta à materia, quæ dicitur Vniuersale secūdum esse, quoniam vt in Metaph. & in 9. cont. 3. de Anima indicat Arist. in separatis à materia caro & esse eius, hoc est singulare, & vniuersale non secernuntur: & ideò dici possunt vniuersalia secundum esse; secundum eminētiam verò, quia eminenter includunt perfectiones materiatorum uniuersalium. Vniuersale uerò secundum formam, & causam, sunt Ideæ rerū, quæ sunt rerum essentiæ, à materia seiunctæ, in Dei Mente refulgentes, & dicuntur secundū formam, & causam quia sunt tanquam propriæ rationes, & formæ, quarum ea quæ producuntur sunt participationes. Ari. concedit Vniuersalia ante rē secundū eminentiam, at non secundū formā; uerùm de Ideis suo loco cumulatè sum loquutus. Propterea progrediens ad Vniuersale in re, siue Physicum considero 10. de Vniuersalibus non leuem esse controuersiam, an sint entia rationis, uel potiùs uerè, & absoluiè entia? Et proculdubio cum huiusmodi Vniuersalium sint scientiæ, & definitiones, & sint natura una in multis, & collecta ex multis, iudicari debent uerè, & absolutè entia, quæ non reperiantur seorsùm à singularibus, nec sint à singularibus confusè sumptis distincta. Et pro clariore notitia animaduertendum, quòd considerantur hi quatuor gradus. Nam primò reperitur essentia rei, ueluti Leonis, hæc ex sui ratione nec una numero est nec multiplex: hinc ait Auic. in 9. Met. c. 1. equinitas est tantum equinitas, ei ex sententia Scoti competit unitas naturæ, maior unitate specifica, minor numerali ut ait 2. sent. d. 3. q. prima. Consideratur secundò, ut apta multiplicari, cum sit materiata, & hæc est affectio eius, vt risibilitas hominis, non essentia. Tertiò consideratur, vt actu multiplicata, & cōmunis multis, quod ei non cōpetit sine materia, & hoc est ei accidens, vt homini ridere. Quartò consideratur ut per Mentē separata, & hoc est Vniuersale prædicabile de multis, adeò vt fundamentū & absoluta essentia vniuersalis & singulariū eadem sit, & eadem forma sit fundamentum cùm singularium, tùm vniuersaliū distincta ratione, & hi omnes quatuor gradus sunt verè entia. Demùm humana ratio de illa cōmuni natura abstrāctā à singularibus, notionē secūdā format, dicēdo id esse vniuersale, natū dici de multis. Hinc Auer. 7. Met. con. 46. inquit, Vniuersalia habēt aliquā dispositionē essētialē, existētē extra animā, & qualitatē ei accidentē, nā pro esse absoluto sunt essentiæ principales, qualitas superaddita, est vt p Mētē sint abstrāctæ, ac etiā ut de illis formatæ sint notiones secūdæ, & huiusmodi Vniuersale dicitur cōpræhendere infinita sub se, nō quidē actu, sed facultate; nec simul, sed successione. De eodē Vniuersali cōsiderato pro fundamēto Alex. in lib. 1. c. 3. naturaliū q. ait esse cōmune omnib. singularibus, ita tamē ut integrū in singulis reperiatur. Cōsidero Vndecimò, in dubiū uerti, An uniuersale dicatur interire & gigni, uel potiùs ab ortu & interitu sit immune? Pro notitia considero hāc difficultatē posse intelligi dupliciter; Primò, An Vniuersale, quod est in particularibus, oriatur & intereat per ortū & interitū particulariū? Secūdò, An Vniuersale ita ualeat interire & gigni, ut cū nō fuerit, incipiat esse, & cū sit, ualeat desinere esse? Quæstio est dubia, in vtrāq; significatione. Ex una n. parte cū Vniuersaliū sit definitio, & sciētia, uidētur immunia ab ortu, & interitu; Ex altera verò cū nō distinguātur pro fundamēto, & absolutè sūpta à singularib. & singularia oriūtur, & pereāt, Vniuersalia quoq; necessariò iudicāda uidētur obnoxia ortui & in-

Nonum. Vniuersale ante rē.

Decimum. Vniuersale Physicum.

Dantur uniuersalia realia, non seorsū posita a singularibus, nec p absoluto distincta ab eis.

Auer.

Alex.

11. An uniuersale gignatur, & pereat?

& interitui. Ordiëdo à resolutione difficultatis in prima significatione, inquit Arist. in 4. de Gen. animaliũ c. 3. Generat aũt & quod particulare, & quod genus est, sed magis quod particulare, hoc enim substantia est. Similiter 12. Met. con. 27. ut singularium, ita vniuersalium dari propria principia generationis affirmat. Propterea dico Vniuersalia perire secundum partes suas; seruari secundum totum. Insuper perire secundum partes signatas, & definitè sumptas; seruari tamen secundum partes indefinitè sumptas: Vniuersale enim totum respondet partibus, indefinitè sumptis, propterea inquit Arist. in prædicamento substantiæ destructis primis substantijs, perire cætera omnia. At cum Vniuersalia ut contenta in singularibus gigni & perire dicantur, quæritur, cui primò competat ortus & interitus? Aristo. loco relato id tribuit primò particularibus, & iure nam actiones, & passiones singularium sunt: ex aduerso cum sint affectiones, videntur per se & primò competere superioribus. Soluitur cum Arist. in calce secundi Post. dicente sensum esse Vniuersalium, sentire verò singularium, hoc est, potestatem primò competere superiori, actum uerò singularibus, ac ita faculas sumitur in definitione Vniuersalium dicendo hominem esse mortale animal, adeò vt facultas ei competat in secundo gradu considerationis relatorum superiùs, actus verò in tertio, quia ei non competit sine materia, & conditionibus indiuiduorũ. Sed oritur dubitatio, quia eiusdem est actus, cuius est facultas; nam actus, facultatis est actus, quare non rectè facultas dicitur vnius, actus alterius. Respondeo, Actum non origini sed completæ potentiæ respondere, potentia pro origine primò competit Vniuersali, cui etiam respondet actus tanquam origini: at potentia completa cum requisitis pro actu, singularibus competit, ideò actus quoq; proximè primò competit eis. Ex hoc elicitur solutio apparentis controuersiæ in Aristo. nam in primo Post. loquens de Vniuersali, affirmat affectiones primò cõpetere superioribus, ut habere tres angulos æquales duobus rectis triangulo; In secundo autem Poster. docens ex inferioribus colligere definitiones superiorũ, ait sumenda in definitionibus secundum se competere inferioribus, alijs autem per illa. Soluitur controuersia per duas distinctiones; quarum vna iam tradita est, nam secundum originem primò competunt communi naturæ, & vniuersali, modo completo & cum requisitis pro actu, contra se habent, vt dixi. Altera distinctio traditur ab Auer. ex sententia Alexandri in 12. Metaphysicæ 27. Nam esse prius contingit dupliciter, uel secundum esse in vniuerso, uel secundum rationem & Mentem singularia sunt priora secundum esse, Vniuersalia uerò secũdum rationem & mentem ac ita generabile secundum esse primò competit singularibus: secundum rationem verò, & Mentem primò vniuersalibus. Considero duodecimò, quòd cum apparuerit, Vniuersalia modo aliquo interire pereuntibus singularibus, adhuc remanet explicandum, An absolutè valeant incipere esse, adeò ut priùs non fuerint, & similiter desinere. Ex vna parte id videtur non posse contingere, quia corruptibilium & generabiliũ nec definitio, nec scientia est: Vniuersalium est definitio, & scientia; quare absolutè nec gigni, nec interire possunt. Ex aduerso inquit Aristo. in lib. 8. de Histo. Animalium cap. 18. id Adagium, semper noui aliquid affert Aphrica, debere intelligi de nouis animalium speciebus, quæ ex coitu Animalium distinctæ speciei in ea regione gignuntur. Pro solutione difficultatis considero, Generabilia esse quatuor generum, uel inanima, uel viuentia orta ex putri, vel viuentia genita à simili, uel genita ex coitu animalium distinctæ speciei. Si loquimur de inanimis, & præsertim de simplicibus, ea necessarium habent nexum cum vniuerso, cum ex eorum ordine vniuersum consurgat: ideò à Cęlo per lu-

Arist. *Resol.* *Dub.* *Dilutio cõtrouersiæ.* *Auer.* *Duodecimum.* *Resol.*

men & motum exactiſſimè ſeruantur, nec poteſt aliquod eorum penitùs aboleri: ſimiliter per naturam ex elementorum mutua actione, conſpirante cęlo continenter reficiuntur mixta conſimilia, ut Metalla, & Foſſilia. At loquē do de uiuentibus ea ut ſunt præſtantiora, ita difficiliùs gignuntur, nec habent cū vniuerſo nexum adeò neceſſarium: propereà nil prohiberet ſpeciem aliquam genitorum ex putri, aliquando penitùs deſinere, ac iterum alio tempore refici: ſimiliter orta ex coitu Animalium diſtinctæ ſpeciei incipere & deſinere omninò poſſunt, ut dixit Ariſt. quoniam non primò expetuntur à natura, & eorum perfectio includitur in cauſis, ex quibus denuò refici poſſunt. At loquendo de ortis ex ſemine ſimilium ſpecie, de his eſt maior difficultas, nam ſi omninò pereunt, non poſſunt denuò refici, cum ſolùm gignantur ex ſemine ſimilium. Enunciârunt A-

Arabes. rabum nonnulli, Animalia omnia ex putri poſſe refici, in fœcūdioribus regionibus. Nec defuêre Aſtronomi, qui cum termaximo Mercurio dixerunt reperiri in cęlo ſigna propria ſingulorum ſpecierum, influxu quorum ſeruarentur æternæ. Hæ opiniones, ut à uero, ita ab opinione Ariſto. longè abſunt. Cælum enim eſt cauſa communis quæ lumine, & motu uniuersè operatur, non autem eſt cauſa propria alicuius ſpeciei: & ualdè abſurdum eſt putare hominem poſſe ex putri refici, nam Sol & Homo generant hominem, ut dicitur in 2. Phy. 26. Propterea dicamus hæc difficiliùs gigni, nec cum uniuerſo habere neceſſarium nexum, & propterea nil prohiberet, ut tēpore aliquo cuncta indiuidua alicuius ſpeciei pereant, adeò ut penitùs ſpecies illa aboleatur, & refici non poſſet. Nec ob id Mundus careret poſtrema perfectione, cum aliæ inueniantur ſpecies, & conſimi

Nexus Animaliū cū uniuerſo. lis, & maioris perfectionis. Nexus, quo cum uniuerſo nectuntur, eoq; ſeruantur, eſt inſtinctus naturæ, & ſumma propenſio animalium ad coitum, eximiaq; uoluptas, quæ ex eo prodit, & eximius dolor, qui comitantur interitum, quæ præſertim in homine refulgent, ac inſuper cura & diligentia parentum, pro conſerua-

Amor eſt Mundi genitor, & cuſtos. tione prolis, prodiens ex dilectione eius. Nam Amor Mundum genuit, Mundumq; ſeruat. Verum urget ea inſtantia, quia ſic de his non erit ſcientia, cum non ſint abſolutè neceſſaria. Cui nititur ſatisfacere Alexander in primo Na-

Inſtantia Alexāder turalium q. cap. 23. numerans tria genera ſcibilium, nimirùm æterna numero, ut cęli, æterna neceſſaria ſucceſſione, ut Elementa, & ea quæ ſucceſſione ſeruantur, at non neceſſaria: De quo tertio genere loquens ait, propter hoc non ſimpliciter neceſſarium eſt hominem eſſe animal, ſed cum determinatione illa, quouſq; fuerit homo, quæ conditionalis includitur, dum dicimus hominem eſſe animal, quia denotamus uerum hominem, in uniuerſo exiſtentem, qui cum non fuerit, erit notitia tantùm nominis ut enim res ſunt, uel non ſunt, enunciationes ſunt

13. uera & falſæ, & ſcientiæ conformantur cum rebus, quarum ſunt. Decimo ter-

Explicatio ſententiæ Ariſt. in proœmio de Anima. tiò occurrit conſiderandum, quomodo uera ſit ſententia Ariſto. in proœmio de Anima cont. 8. dicentis, Animal uniuerſale, uel nihil eſt, uel poſterius, & ſimiliter quoduis uniuerſale? Reſpondeo, eam ſententiam primò eſſe ueram de Vniuerſali non uniuoco, ſed ab uno, quod cum non ſit natura una in omnibus, quibus competit eadem, ſed uaria, non poteſt dici aliquid prius, & ideò ut natura una, nihil eſt; ut uerò in ſingulis uaria, eſt aliquid poſterius, refulgens ex notitia contentorum. Dico ſecundò eandem ſententiam eſſe ueram de Vniuerſali uniuoco, conſiderato ut Mente abſtractum eſt à ſingularibus. Nam Vniuerſale uniuocum, uel eſt ſeparatum ſui eſſentiâ, ut Ideæ Platonis, ac ita ex ſententia Ariſtotelis nihil eſt, uel eſt ſeparatum humana ratione, ac ita ſecundum eſſe eſt poſterius, cum poſterius à nobis ſeparetur, & ſolùm dici poteſt prius ſecundum rationem, vt dixi in præcedentibus. Decimo quartò

conſi-

considerandum occurrit, quid nam sit præstantius, num Vniuersale, vel potius Singulare? Vniuersale videtur præstare, quia est communius, & æternum. Singulare verò videtur præstare, quia includit id omne, quod actu includit Vniuersale, & superaddit subsistentiam in vniuerso, per quam dicitur Hoc aliquid, Sub stantia prima, & Fundamentum communium. Pro solutione accipio tres posse fieri comparationes, primam inter magis & minus Vniuersale; secundam inter Vniuersale, & signatum particulare, vt inter hominem, & Alcibiadem; tertiam inter Vniuersale, & Singularia eius indefinitè sumpta, ut inter hominem pro spe cie sumptum; & singulos homines sub eo positos, indefinitè consideratos. In prima comparatione minus Vniuersale præstat, quia plura actu includit, & perfectius est, ut homo Animali: & dum dicitur, quod bonum, quo est communius, eo est eligibilius, ut dicitur in pimo Nicomachiorum. Respondendum est, id esse uerum, supposita cæterorum paritate. Si fiat secunda comparatio inter Vniuersale, & definitum singulare, ut inter hominem, & Diomedem; Vniuersale pręstat, quia includit uniuersam essentiam, in singulis positam, quæ etiam sine Diomede seruatur, non uice uersa, ac insuper æternitatem quandam & necessitatem magis includit, & totum est, cuius singularia, singulatim considerata solùm sunt pars. At Si fiat tertia comparatio inter speciem, & singularia indefinitè sumpta; ueluti inter hominem & particulares homines indefinitè sumptos, de hoc est du bitatio. Nonnulli enim præferunt speciem, quia est sola essentia, manens eadem in singulis seiuncta per rationem ab accidentibus, & his quæ sunt præter essentiam speciei. Ideò Academici dicunt naturæ finem esse seruare speciem, singularia uerò ob speciem. Ex aduerso alij singularia præferunt; & Naturæ finem aiunt esse indiuidua, & eorum conseruationem, quæ seruantur successione, dum nequeunt seruari eadem numero, & hæc ab Ari. statuuntur substantiæ primæ, & fundamenta uniuersæ Naturæ: his competit nedum esse, sed loquendo de indiuiduis substantiæ etiam perse subsistere, ut patet ex primo Post. & in prædicamento substantiæ dicuntur denotare hoc aliquid. Pro solutione dico, uel utimur consideratione Academica, uel Peripatetica; Ex sententia Academicorum Natura speciei, & essentia est idea, quæ præstat umbris, & participationibus, competētibus indiuiduis. At ex opinione Arist. conditio & natura speciei, est una in mul tis, & solùm distinguitur ab indiuiduis, indefinitè sumptis, quatenus hæc includunt accidentia requisita pro existentia, quæ excluduntur à conditione speciei At pro lucida solutione tria dico. Primum est, quod si consideramus gradum perfectionis absolutè, & essentiæ, æquè sunt perfecta, cum sint essentia eadem uario modo considerata. Alterum est, si consideramus perfectionem ex parte naturę rei, species cum sit purior, simplicior, definitior, nil ex accidenti, nilq; frustrà includens, & præstantior: & hac consideratione vera est ea sententia, Pars est maior toto; vt etiam est prior origine. Addo tertiò indiuidua indefinitè sumpta, cùm ex parte subsistentiæ secundum se, tùm ex parte nostri, pręstare, & alio non egere, vt in vniuerso subsistant.

Num uniuersale præfert singularibus. 14.

Resol.

Academici.

Resol.

Tres conclusiones.

PRÆDICAMENTVM. DIVISIONES.

PRAEDICAMENTVM græcè dicitur κατηγορία, quæ vox apud veteres forensem accusationem denotabat, ut refert Porphyrius in prædicamenta. mox autem translata est ad denotandas omnes simplices voces, aliquid denotantes, quatenus ad rem denotatam referuntur. Quod Prædicamentum est duplex, vel latè sumptum pro omni voce, quæ de alio dicitur, uel sumptum pressiùs pro communi vniuoco & ordine toto contentorum sub eo; ex quo ordine prædicationes uniuocæ eliciuntur. Iure autem præsertim, & propriè hæc dicuntur prædicamenta, quia ea propriè dicuntur de alijs, quæ sunt natura una, communis alijs: huiusmodi autē sunt vniuoca, quæ fortè dicta sunt prædicamenta, quasi priora & superiora, quæ dicantur de alijs, præsertim enim superiora dicuntur de inferioribus. Architas Tarentinus decem statuit Prædicamenta. Arist. eum est sequutus, & numeri illius rationem non assignauit; solùm indicauit Principaliora Prædicamenta esse quatuor, cum in libro Prædicamentorum, & in quinto Metaphysicæ de solis quatuor exactè verba fecerit; de cæteris leuiter & per exempla, quia modo aliquo ex quatuor principalibus consurgunt, ad eaq; rediguntur. Ratio numeri esse potest, quia genus supremum, quod est caput Prædicamenti, & de omnibus sui ordinis, dicitur, uel est Substantia, vel Accidens: si fuerit Substantia, vel est Materia, uel Forma, uel Compositum. Non valet esse materia aut forma, quia hæc in 12. Metaph. statuuntur principia prædicamentorum. Et iure, nam Prædicamentum & genus supremum debet dici de alijs, id quod dicitur, includit cōditionem totius, & ob id compositum esse debet; propterea genus supremum substantiæ compositum est, & vnum, quia substantiæ omnes subordinatæ sunt tāquā simpliciores & constitutæ ex eis, quod non competit accidentibus. Si uerò fuerit Accidens, vel est accidens absolutum, vel relatum: Si fuerit absolutum, uel attinet ad materiam, & huiusmodi est Quantitas, vel ad formam & dispositionē & est Qualitas: Si fuerit relatum, vel vniuersè & intrinsecùs consideratur conditio relationis, & prodit quartum prædicamentum, quod Relatio dicitur; vel consideratur relatio extrinsecùs ex parte rerum, ad quas aliquid, tanquam ad externum refertur, quod externum, uel est tempus, & prodit Quando; uel locus, siue dispositio in eo, & prodit Vbi, & Situs; vel motus & prodit Actio, & Passio, uel externum quoduis circa corpus nostrum, uel partem, & prodit Habere, veluti habere Arma, Anulum, indumenta, & similia. Sic ex modis essendi eliciuntur modi prædicandi, & prædicamenta. Hæc nouem accidentium genera, quamuis simplicia, & solæ formæ esse uideantur; tamen ea quoq; sunt prædita principijs, nisi secundum esse, saltem secundum fieri, quia eorum quoq; actus, & potentia principia sunt, ut ostenditur in 12. Meta. ac ita modo quodam sunt composita, & cum materia præsertim ad substantiam pertineat, eiusq; sit principium, secundariò tamen per potentias ad uaria accidentia, & per huiusmodi rationes ad uaria prædicamenta accidentinm, ad ea redigitur, tanquam principium eorū. Ideò Arist. in 1. de Ortu & Interitu cont. 24. dixit, Est autem materia maximè propriè subie-

Porphirius.

Prædicamētum duplex.

Architas Tarētin.

Ratio numeri Prædicamentorum.

Prædicamentum omnia modo aliquo sunt composita.

Arist.

subiectum generationis & interitus, modo aūt aliquo, & aliarū permutationū. Insuper Prædicamenti nomen vsurpatur dupliciter, vel pro secunda notione, vt dum dicimus substantia est vnum prædicamentum, vel pro natura rei constituentis prædicamentum, & ob duplicem significationem dupliciter definiri debet. *Prædicamenti nomen dupliciter usurpatur.*

DEFINITIONES.

PRAEDICAMENTVM, sumptum pro secunda notione, est notio, humana ratione formata, pro denotanda multorum serie, sub vno supremo communi vniuoco subordinata, vt pateat quomodo prædicationes variæ ex eo eliciantur. Prædicamentum pro prima notione, est rerum series, ab vno supremo communi vniuoco, vsq; ad singularia descendens, cuius actus & potentia illi generi consentanea principia sunt. *Prædicamentū pro secunda notione.* *Pro prima.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, Prædicamenta partim ad Metaphysicum, partim ad Logicum pertinere. Ad Metaphysicum quidem, vt sunt species entis, distinctæ series rerum, & ordines eorum, quæ sunt. Ad Logicum verò tanquam fundamenta secundarum notionum, ne inanes videantur, & tanquam ea, ex quorum notitia refulget rectus prædicationum ordo. Hinc in Logica ab Aristot. primò declarantur, vt primò fundamenta iaciantur eorū, quæ propriè ad Logicum pertinent, & ob varium considerationis modum, varijs denotantur nominibus. Nam vt inseruiunt Logico, dicuntur Prædicamenta, vt verò absolutè attinent ad Metaphysicum, dicunt species entis, & genera eorum, quæ sunt. Ab Aristo. in libro Prædicamentorum considerantur prædicamenta pro primis notionibus, ita tamen ut appareat, quomodo sint fundamē ta secundarum. Considero secundò, Vniuersalia constituentia seriem prædicamentorum debere esse uniuoca, non æquiuoca, nec ab uno. Ratio est, quia genus unum debet esse natura una, alioquin non esset unum, sed multiplex. Insuper cum debeat diuidi per oppositas differentias: oppositorum eadem est potentia, & fundamentum. Tertiò, cum debeat esse unum, quod sit totum in multis, dictum de multis, & aptum mente secerni à multis, nisi esset uniuocum, non esset his conditionibus præditum, ut conspicuum est; hinc ens cum non sit uniuocum, non est genus; similiter accidens non est genus, cum accidentium genera sint distincta, non subordinata, ut substantiæ: non enim qualitas pro sui constitutione ex quantitate pendet, ut ex simplicibus corporibus prodeunt mixta, & ex his Plantæ & Animalia. *Primum quod consideratur.* *Alterum quod consideratur.*

Considero tertiò loquendo de ordinatis in serie prædicamentorū sola mortalia re uera in prædicamenta distribui, non autem æterna. Ratio prima est, quia genus supremum debet esse uniuocum: æternis autem & mortalibus nil est commune uniuocum: non enim datur natura una, quæ eadem in æternis, & mortalibus includatur, ut rectè censuit Auer. disp. 5. in sol. 2. & 3. difficultatis. Altera ratio est, quia principia unius cōmunis generis debent esse eadem, alioquin *Tertium. Sola mortalia ī prædicamētis.* *Auer.*

quin constitutum ex eis non idem, sed uarium esset? At principia æternorum, & mortalium distincta sunt, uaria enim est materia, & forma Cœli, ab ea mortalium. Hinc iure Aristo in calce 10. Metaph. dixit, æterna & mortalia distingui genere. Præterea collocata in prædicamentis constituuntur per differentias oppositas, quæ oppositio ab Aristo. in 10. Metaph. redigitur ad contrarietatem: æterna autem exempta sunt à contrarietate, ut de Cœlo dixit Arist. in primo de Cœlo 22. in æternis ordo locum habet, non contrarietas. Prętereà conditio constituentium seriem prædicamenti est, ut sint communia, apta numero multiplicari, & ob id species definitur, quod dicatur de pluribus, numero distinctis: æternis autem hoc non competit, ea enim multitudo parata est, ut sit tanquam medela eorum, quę nequeunt numero seruari æterna, vt dicitur in 2. de Anima; & constitui nō potest sine materia, apta in partes diuidi, quæ ab immortalibus longè abest. Demùm omnia differentia sunt composita ex 10. Metaph. cont. 12. omnia collocata sub genere sunt differentia, cum per differentias constituantur, omnia; itaq; ea erunt composita, & ob id nec materia, nec forma, nec alia simplicia sunt directè in prædicamentis, æterna autem non verè sunt composita, nec secundum fieri nec secundum esse. Cum itaq; æternis nec conditio generis, nec differentiarum, nec specierum, nec indiuiduorum competat, eis quoq; competere non debet, ut collocentur in serie prædicamentorum. Non me latet Gregorium Arim. in 1. sent. putare cuncta esse in prædicamentis, adeò vt neq; etiam Deum excludat. Scotus autem in 1. sent. dist. 8. q. 3. Deum solum excludit, vt etiam D. Tho. in 1. contra Gentes, & parte 1. q. 3. Art. 5. At cum Aristo. sentiendum puto cuncta super ortum & interitum eleuata, etiam eleuari supra prædicamenta. Quòd si Aristo. in 1. Philosophia inter substantias, Deum, & Dæmones numerat, vel id facit sumendo substantiam non pro genere, sed pro communi ab vno, vel suo more exempla afferendo populariter, & ex sententia aliorum. Hinc ex sententia propria dixit, proprium esse substantiæ suscipere contraria, quod solis mortalibus competit. Considero quartò, quod redigi ad prædicamentum contingit septem modis; Primò directè, & principaliter, vt genera & species; Secundò à latere, vt differentiæ; Tertiò sub serie directè collocatorum, vt indiuidua definita, quæ continenter variantur, rectiùs autem in serie prædicamenti reperitur indiuiduum indefinitè sumptum, vt quidam homo, nam hoc seruatur; Quartò quædam rediguntur tanquam principia, veluti actus & potentia, siue materia & forma, vt dicitur in 12. Metaph. Quintò nonnulla sunt in prædicamento per similitudinem, vt Cœlum, & eius motores, quatenus per se subsistunt; Sextò dantur affectiones collocatorum in prædicamentis, quæ cum sint quædam facultates, pro suo esse absoluto non distinguuntur à fundamento, ac ita rediguntur ad prædicamentum, cuius sunt proprietates; distinguuntur solùm secundum formam, & pro superaddita relatione, ob quam sunt similes qualitatibus, per quas subiecta denominantur, vt homo dicitur risibilis; & rediguntur ad secundam speciem qualitatis, quæ est potentia, & impotentia; Septimò nonnulla rediguntur ad prædicamenta, vt signo ordinatorũ in eis, veluti secundæ notiones. Considero quintò, quòd dum dicitur cuncta, quæ in vniuerso reperiuntur, in decem prædicamenta, tanquam in decem classes, esse distributa; & quæ non sunt in aliquo prædicamento, non esse, ut etiam inquit Auer. in primo Phy. 25. Id partim est verum, partim falsum, nam si per collocata in prædicamentis intelligimus ea, quæ propriè, & principaliter sunt in eis, proculdubio falsum est, vt si accipimus esse in prædicamento, in quouis septem relatorum modorum, uerissimum est. Considero sextò de numero, &

rebus

Arist. *Instantia.* *Quartum.* *Quintum.* *Sextum.*

rebus constituentibus prædicamenta, & communia rerum capita, & genera. opiniones Philosophorum fuisse uarias, Arist. sequens Architam Tarentinum, *Architas*
decem numerauit, quorum quatuor prima, principalia essent; cætera hæc seque rentur, & ex his consurgerent. Ideò ego quoq; de illis fusiùs loquar. Plato, sta- *Plato.*
tuens communia genera, altiùs est eleuatus, nec ei curæ fuit seruare vniuocationem: propterea dixit communia rerum genera esse, Essentiam, Motum, Statum, Identitatem, & Alteritatē, quæ in cunctis prædicamentis, & in singulis sub Deo positis modo aliquo locum habent; de quibus in Sophista loquitur. Super ea quinque genera in Philebo tria considerauit principia, Infinitudinem, Terminum, Mixtionem; quibus tribus præesse dixit ipsum Vnum. De his multa legi possunt apud Proclum in Timæum, nec non apud Plot. in lib. de Generibus En- *Plotinus.*
tis. Plotinus ex propria sententia pro generibus entis, primum uidetur constituere Substantiam; Secundum Accidens in substantia; Tertium Accidens, in quo est substantia; Quartum Motum; Quintum Relationem. In primo genere continentur Materia, Forma, & Compositum. In secundo Quantitas, Qualitas, Figura. In tertio Locus, & Tempus. In quarto Actio, & Passio. In quinto quàm plura, quouis modo relationem significantia. Insuper referente eodem Plotino in lib. de Generibus Entis, En. 6. lib. 1. cap. 25. Pleriq; Stoicorum, & Cy- *Stoici.*
nicorum, quatuor constituerunt Prædicamenta, & res cunctas in quatuor Clas- *Cynici.*
ses distribuerūt, in Subiecta, Qualia, Quodam modo se habentia, & Ad aliquid se habentia: quibus unum commune esse dixerunt, quod Hoc Aliquid appellabant, adeò ut Hoc Aliquid esset communissimum genus omnium.

SVBSTANTIA.

DIVISIONES.

NOMEN Substantiæ usurpatur dupliciter, uel latè pro cuiusuis rei essentia, uel pressiùs pro distincto ab accidente, ue- *Diuisio prima.*
luti dum Ens diuiditur in Substantiam, & Accidens. Insu- 2.
per Substantia contradistincta ab Accidente, adhuc usurpatur dupliciter; Vel pro substantia dicta ab uno, ueluti dum Deus dicitur prima substantia: Vel pro substantia uniuocè dicta, quæ est genus supremum prædicamenti substātiæ: & huiusmodi est Corpus ex Materia prima, & forma constitutum. Quæ substantia rectè ab Aristotel. in 2. de Anima contex. 2. diuiditur in materiam, 3.
formam, & compositum. Quæ non est diuisio generis in species, non enim hæ sunt species prædicamenti substantiæ; sed principia, & constitutum ex eis; de quibus nomen substantiæ non dicitur uniuocè, sed ab uno. Ideò ea est assumptio compositi, & resolu. in componentia: & id fecit Philosophus, quoniam indagabat definitionem Animæ, quæ non est species prædicamenti substantiæ, sed principium potioris speciei, nimirùm corporis uiuentis. Insuper Substantia ad prædicamentum substantiæ pertinens, diuiditur ab Arist. in prædicamento substantiæ in primam, & secundam: Substantiæ primæ dicuntur in- 4.
diuidua, sub speciebus collocata, per se subsistentia, quæ sunt fundamenta contentorum in prædicamentis: Substantiæ secundæ, ex primis collectæ, sunt species, & genera, sub quibus substantiæ primæ collocantur. Insuper accipiendo

5. genus ſupremum prædicamenti ſubſtantiæ,quod eſt corpus conflatum ex materia prima mortalium,& forma,hoc diuiditur in ſimplex,& mixtum. Inſuper Mixtum in uiuens,& non uiuens.Viuens in præditum ſenſu,& eo carens. Præditum ſenſu,in præditum facultate mouendi ſecundum locum, & ea deſtitutū. Prǫditum facultate mouendi,in expers rationis,& particeps,qualis eſt ſolus homo. Difficile tamen eſt inuenire genera ſubalterna uniuoca, frequenter enim in eis latent æquiuocationes,ut inquit Ariſto.in 2.poſt. Nec me latet ab Ammonio,& Simplicio ſecùs referri ſeriem prædicamenti ſubſtantiæ:at ipſi Academica cum Peripateticis permiſcent. Inſuper Subſtantia ſumpta latè pro communi ab uno,diuiditur ab Ariſto.in 2.Phy.71.in Mobilem mortalem,Mobilem æternam,& Immobilem.Et in 12. Metaph. cont. 5. ab eodem Philoſopho diuiditur in Senſibilem mortalem,Senſibilem æternam,& Inſenſibilem. Similiter diuidi poſſet per Corpoream,& Incorpoream, ſiue materiatam, & ſolutam à materia.

6.

DEFINITIONES.

Subſtātia latè. *Pro contradiſtincto ab accidente.* SVBSTANTIA ſumpta pro cuiuſuis rei eſſentia eſt id,quod unumquodq; eſt: ſiue eſt propria cuiuſuis rei conditio,per quā eſt id quod eſt,& à quouis alio ſecernitur. Subſtantia ſumpta pro contradiſtincto ab Accidente, eſt ens principale, propriè ſumpto ſubiecto non egens. Subſtantia,ſumpta pro ſerie prædicamenti ſubſtantiæ,eſt ſubſtantia ex materia, & forma ex ea *Pro ſerie prędicamēti.* educta conflata,quæ cum ſui permutatione eſt capax contrariorum.In hac deſcriptione Subſtantia,ſumpta pro genere, eſt commune ab uno, & eſt ſpecies Entis,quod dicitur Genus ab uno. *Pro reducto ad prædicamētū.* Subſtantia ſumpta pro quouis ad prædicamentum ſubſtantiæ modo aliquo aptum redigi,eſt primus Entis gradus ſiue eius ſignum, quo uel directè, uel modo alio ei conſentaneo, ad ſeriem prædicamenti ſubſtantiæ redigitur.

ANNOTATIONES.

Primum quod conſideratur. CONSIDERO primò generum prędicamentorum non poſſe dari propriè ſumptas definitiones per genera uniuoca, cum nil ſit ſuperius uniuocum accipere: Solùm poſſunt circumſcribi per eorum principia,quæ ſunt materia,& forma,ſiue actus, & potentia,& per eorum proprietates,quod ego ſeruaui definiendo prædicamentum Subſtantiæ.Conſidero Secundò,conditionem ſubſtantiæ eſſe partim ut ſubijciat,& ſubſiſtat,partim ut per ſe exiſtat *Alterum.* ſaltem per negationem,adeò ut propriè ſumpto ſubiecto non egeat. Dum primò dico ut ſubijciatur, & ſubſiſtat, hoc propriè competit collocatis directè in prædicamento,quæ ſunt compoſita,non enim materia proximè, ſed compoſitum,completa accidentia recipit, & id primò competit ſingularibus, mox per ea tribuitur generibus,& ſpeciebus; non autem competit hoc ſeparatis formis. Loquendo uidetur de altera conditione,quæ erat per ſe exiſtere, hoc primò & propriè competit omnibus ſubſtantijs perfectis,ueluti ſunt ſeparatæ formæ,& indiuidua prædicamenti ſubſtantiæ: genera autem ſpecies,materia, & forma,

non

non dicuntur propriè per se existere, cum necessariò sint in alio: dicuntur tamē esse per se, & existere quatenus non sunt in alio ut in subiecto, ueluti accidentia Forma Substantiæ, propriè dicitur esse in materia, minus propriè autem esse in subiecto. Nam esse in materia, est esse in eo, quod includit potentiam ad esse absolutè, & unà cum eo tertium constituit: esse autem in subiecto, est suppone-re pro suo esse subiectum, quod absolutè sit. Absolutè, & primò per se existunt separatæ formæ; cum pro sua existentia, nec substantia alia, nec accidentibus egeant: mox verò indiuidua substantiæ, quæ non existunt sine accidentibus. Materia non eget forma vt sit, sed vt actu existat. Primum Ens, & existens absolutè est Deus. Primum Subsistens est indiuiduum substantiæ, quod subijcitur accidētibus. Primum per se inexistens est accidens proprium. Vniuersalia dicuntur inesse in singularibus, tanquam essentia eorum. Veteres Philosophi nomine Entis absolutè, substantiam intelligebant: nomine autem substantiæ, materiam. *Forma rectiùs dicitur esse in materia, quàm in subiecto.*

Considero tertiò, non leuem esse difficultatem, quid magis substantia, & potior iudicari debeat, num Materia, vel Forma, vel Compositum? Veteres (vt dixi) solam materiam putârunt substantiam: formas autem dixerunt esse accidentia. Quam sententiam Pythagoras, Plato, & Arist. reiecerunt. Simpl. & Scotus principatum tribuerunt Composito, vt etiam Ari. in 2. de Anima cont. 3. Auer. & cum eo alij multi, prætulerunt Formam. Et pro quauis parte, variæ formantur rationes, quas silentio prætereo, & Lucidè, ac breuibus dico. Si sumatur substantia, vt commune ab vno, contradistinctum ab accidētibus, & inuicem comparentur denotata per eam, proculdubio primæ & maximè substantiæ sunt formæ abiunctæ à materia, quarum vnaquæq; est totum quoddam, & perfectum, non includens conditionem partis, & nullo egens vt seorsùm existat, in quo conditio speciei, ab ea indiuidui non secernitur. Hinc Aristo. 8. Met. cont. 16. inquit, Quæcunq; non habent materiam, nec intelligibilem, nec sensibilem, statim vnum aliquid est vnumquodq; eorum: quod etiam elicitur ex 7. Metaph. cont. 42. At si consideretur substantia constituta in prædicamento, & computentur inuicem Materia, Forma, & Constitutum ex illis, de hoc est dubitatio. De qua dico Materiæ competere perfectionem, vt deferenti; Formæ, vt causæ, & origini; Composito, vt exactè perfectionem vniuersam includenti, & magis propriè substantiæ nomine denotato. Adeò vt absolutè compositum præferendum putem, cui solùm totius, & absolutè perfecti conditio competit, non autem partis, nec imperfecti, nec alio egentis vt actu existat in vniuerso, & subsistant. Hinc Arist. visus est compositum prætulisse, ueluti in 2. de Anima cont. 3. inquiens, Substantiæ autem maximè uidentur composita, & horum Physica; formam uerò eam dixit, per quam compositum est hoc aliquid, indicans ei cōpetere principatum, ut origini. Obijcere tamen aliquis id posset, quod dicitur ab Aristo. in 6. Metap. cont. 7. quo loci hæc uerba leguntur, Quare si forma est prior materia & magis ens, & ipso quod ex utrisq; prior erit ob eandem rationem. Soluitur primò dicendo, Aris. eo loci disputare, non autem suam sententiam absolutè proferre: hinc in cont. sequenti ait, Maxime proprium esse substantiæ separari, & hoc aliquid, quæ duo propriè competunt composito. Insuper ea verba, quæ in codice Auerrois leguntur, vt supra sunt relata, in vetustioribus, emendatioribusq; codicibus, ab Alexandro, & Simplicio, approbatis, secùs leguntur, nimirùm hunc in modum, Si forma est prior materia, & magis ens, illud quoq; quod ex ambobus prius erit, & magis ens. Adeò vt ex eo loco solùm eliciatur, & formam & compositum præstare materiæ, non autem formam præstare composito. At adhuc vrgent dicentes, propter quod vnum- *Tertium. Simpl. Scotus. Resol. quid magis substantia. Instantia. Sol.*

quoq;

Alia in- stantia. Sol. quoq; & illud magis:per formam compositum est id quod est:quare formæ id magis competet. Soluitur primò dicendo id esse verum de causa tota vniuersæ essentiæ eius,cum quo fit comparatio:quod non competit formæ,cum præter eam compositum includat materiam.Insuper ea regula non est vera, dum ea causa includitur in altero, veluti non est præstantior Deus seorsùm à Mundo,quàm Deus vnà cum Mundo,quia includitur in hoc coniunctò: sic forma, *Confirmatio.* quamuis modo distinctò includitur in composito. Et confirmatur,quia forma totius est præstantior,quàm forma partis,cum sit omni ex parte absoluta: forma autem totius etiam includit materiam,& sola excludit accidentia. Insuper compositum est id,cuius gratia parantur componentia; id autem cuius gratia, præstat illis quæ sunt eius gratia Præterea compositum est origine vltimum, quare est primum perfectione:hinc Arist.in 7.Met.con.9. ait compositum esse substantiam posteriorem & conspicuam. Sed vt resol. etiam magis sit conspicua,duo sunt consideranda. Vnum est, quòd aliud est quærere,quæ sit magis ens,& substantia? & quærere,cui primò,& potiori modo competat perfectio? Nam si de primo loquimur,etiam materia est ens,& substantia, & cōducit pro esse formæ,& constitutione compositi:& ob id compositum magis,ens & substantia dici meretur. At si loquimur de perfectione,sola forma est actus,& perfectio,adeò vt forma sit perfectio,compositum verò sit non perfectio,sed perfectum.Et hac ratione perfectio primò competit formæ, secundariò composito.

Quomodo materiæ formæ & composito principat⁹ competat. Et hæc confundenda non sunt.Alterum,quod superest explicandum,est,quòd distincta ratione singulis tribus substantijs principatus tribui potest. Materia est prima origine,prima quia æterna, prima vt subiectum, nam subijcitur omnibus & subiectum primum nuncupatur.Forma obtinet principatum in ordine perfectionis,nam est ipsa met perfectio,non perfecta ab alio, sed perficiens aliud,& est ipsum esse compositi.Composito competit principatus;ratione proprietatis constitutorum in prædicamento substantiæ;ratione subsistentiæ & existentiæ seorsùm in vniuerso;ratione inclusionis plurium; ratione conditionis totius:nam solùm est totum,& solùm includit eam, quæ dicitur forma totius; & demùm quia est generatione postremum, & ita finis vt eius gratia dicuntur parata principia,hinc id solum dicitur propriè gigni;& interire. Quartò considerandum occurrit,num substantia recipiat magis & minus? Aristo. in prædicamento substantiæ id negat. Ex aduerso facta est comparatio inter materiam,formam,& compositum, & quærebatur, quid magis sit substantia? Pro resolutione accipio primò,vt apparuit, substantiæ nomen vsurpari dupliciter, & pro communi ab vno,quod etiam dicitur de separatis formis,& pro communi vniuoco constituente prædicamentum substantiæ;& de vtrisq; est agendum.

Quartum. Num substantia intendatur et remittatur?

Accipio secundò,quòd intensio,& remissio,considerari possunt vel in distinctis gradibus,& substantiarum,vel in eodem gradu,eademq; forma,quæ modo magis,modo minus substantia sit.Modus primus non verè dicitur intensio, & remissio,sed ordo rerum,& distributio in gradus,de quo si loquimur, non est dubium,substantiæ ne dum id competere, immò maximè competere, cum ordo & gradus rerum,præsertim in substantia refulgeant.Hinc si fiat comparatio in genere substantiæ secundum longitudinem,veluti inter primas,& secūdas substantias,proculdubio dicuntur secundum magis & minus, & huiusmodi ordo præstantiæ etiam locum habet in separatis formis,& in corporibus cęlestibus, ac ita facta est comparatio inter materiam,formam, & compositum. At si de primo,& veriore modo loquimur,de eo maior est dubitatio, de qua verba feci

Resol. in lib. de Mixtione:& pro lucida eius resolutione dico primò. Si loquimur de formis

formis à materia solutis, illæ sunt essentiæ simplices, inuariabiles, & omnium cõsensione non intenduntur, nec remittuntur, intensio enim & remissio non fit sine materia, & sine opposita forma, à quibus separatæ formæ sunt immunes. Loquendo autem de substantia materiata, diuisa in materiam, formam, & compositum. Materia prima nec intenditur, nec remittitur, quia est simplex essentia, in alio non recepta, sed recipiens alia, solùm dicitur modò magis, modò minus parata pro forma recipienda. Compositum si recipit magis & minus, id habet ex suis principijs, non quidem ex materia, ut patuit quare solùm ex forma id habere apta est. De sola itaq; materiata forma est dubitatio; An suscipiat magis, & minus? Quæ forma triplex est, vel simplicium corporum, vel mixtorum inanimorum, vel Anima Plantarum & Iumentorum. De quibus agens dico. Si loquimur de gradibus essentiæ, nulla forma recipit magis & minus; si de gradibus existentiæ, & receptionis earum in materia, formæ primi, & secundi ordinis, recipiunt magis, & minus, tertij verò nequaquam. Hæc resolutio tres habet partes, & ostenditur pro singulis. Quod per gradus essentiæ nulla forma recipiat magis & minus ostẽditur, quia omnis forma est essentia simplex in indiuisibili posita, de qua inquit Arist. in 8. Met. cont. 10. quòd essentiæ rerum sunt, ut numeri in indiuisibili constituti. nam si vna sola vnitas addatur, vel dematur, variantur, & si recipiũt magis & minus, id solùm eis competit, vt recipiuntur in materia, hoc est per gradus existentiæ: similiter in prædicamento qualitatis dixit, Grammaticam non recipere magis & minus, nec vnam esse magis Grammaticam altera, sed solùm vni vel alteri, plus eius competere. Id ipsum affirmauit Porphyrius, qui de differẽtijs magis proprijs singulorum prædicamentorum loquens, dixit eas non recipere magis & minus, quia vniuscuiusq; essentia vna & simplex est. Secunda pars resolutionis erat, quòd loquendo de gradibus existentiæ, & receptionis formarũ in materia, formæ simplicium corporum, & mixtorum recipiunt magis & minus. hoc elicitur ex relato cont. 8. Met. quo loci concessit Ari. formas posse recipere magis, & minus, quatenus in materia recipiuntur, vt etiam id ipsum enunciauit de Grammatica. Insuper id elicitur ex primo, & 2. lib. de Ortu & interitu, ex declaratione mixtionis, nam manifestat Philosophus per mutuam mixtionem fieri medium quoddam, non autem consurgeret medium, nisi formæ extremæ remitterentur, vt non consurgerent medij colores, nisi albedo & nigredo remitterentur. Id ipsum confirmatur ratione, nam formæ ordinatæ pro sequentis constitutione, cum summæ simul seruari nequeant, debent intendi, & remitti; at quia formæ Elementorum ordinatæ sunt pro forma mixtorum; quare debent intendi, & remitti, & id sensu, & experientia patet, considerando impuritates Elementorum. Quòd autem etiam formæ mixtorum inanimorum intendantur, & remittantur, ostenditur, quia prodeuntia ex principijs, seruant conditionem suorum principiorum; formæ mixtorum inanimorum consurgunt ex intensione, & remissione formarum simplicum corporum; quare illæ quoq; necessariò recipiunt magis, & minus. Tertia pars resolutionis erat, animas non recipere magis & minus, quod ostenditur, quia magis eleuatæ sunt supra materiam, nec consurgunt ex mixtione, sed mixtis superuenire dicuntur, quatenus virtute seminis educuntur ex mixtorum connexione. Insuper Animæ non debent misceri pro alterius formæ constitutione, quare neq; ratione principiorum, neq; ratione finis debent suscipere magis & minus. Pro elucidatione huius resolutionis superest diluenda una dubitatio, & est. Si nulla forma per gradus essentiæ recipit magis & minus, sed solùm id eis competere potest per gradus inexistentiæ, cur Aristoteles in prædicamentis affirmauit Qualitatem posse racipere magis & minus,

Materiata forma triplex.

De gradibus existẽtiæ.

Anima nõ recipit magis & minus.

Pulchra dubitatio

nus,& id negauit de ſubſtantia? Reſpondens dico, Ariſtotelem in 8. Metaphyſicæ cont. 10. ſuam ſententiam, vt in proprio loco patefeciſſe, quo loci conceſſit eſſentias,& ſpecies rerum, vt in materia recipiuntur, ſuſcipere magis & minus; & de formis Elementorum conſpicuè patefecit remitti, caſtigari, & ad mediocritatem redigi, dum ex eis mixtum conſtitui manifeſtauit. In lib. autem prædicamentorum, magis populariter de rebus loquitur. Nec propterea fine ratione id protulit; nam quia eſſentia præſertim dicitur de ſubſtantia, & eſſentia non recipit magis & minus; ideò ſubſtantiæ id tribuit: Et quoniam forma intenditur & remittitur, vt in alio recipitur, & recipi in ſubiecto præſertim competit accidentibus, ideò hoc accidentibus condonauit.

Sol.

Quintum. An ſubſtantiæ cõpetat contrarium. Conſidero quintò, Ariſtotelem tribuere ſubſtantiæ, quòd careat contrario: Id tamen difficultate non caret. Nam ſi ſubſtantiæ competit remiſſio, & hæc fit per contrarium, eſt neceſſe ut contrario ſit prædita. Pro ſolutione dico, ſubſtantiam carere contrarietate, & maximè ea eſſe præditam. Nam contrarietas duplex eſt, vna externa, conſpicua ſenſu, proximè pugnans, apta fieri cum ſucceſſione in eodem ſubiecto, quod actu ſit, quæ etiam eſt contrarietas requiſita pro motu; & hæc abeſt à ſubſtantia, ea enim proximè non operatur, & pugnat, niſi per qualitates, & accidentia. Alia eſt contrarietas intimior, & magis originalis vtens pro inſtrumentis contrarietate externis, non expoſcens ſubiectum actu, ſed poteſtate, & eſt nota non ſenſui, ſed rationi; & hæc competit ſubſtantiæ, per quam formæ eiuſdem gradus mutuò ſe repellunt, mutuoq; per qualitates pugnant. hæc contrarietas ad differentias pertinet, quæ ſpecies conſtituunt. Hinc Ariſto. in 10. Metaph. oppoſitionem differentiarũ ad contrarietatem redigit, & contraria dixit eſſe differentiam perfectam. Quare cum ſubſtantiæ perfectior competat differentia, eminentior etiam competet cõtrarietas. Inſuper quia contrarietas nonnumquam vſurpatur pro oppoſitione formæ, & priuationis, quæ oppoſitio primò, & maximè competit ſubſtantiæ, hac etiam ratione colligere valemus, contrarietatem maximè, & primò ſubſtantiæ competere, cum tamen ei non competat contrarietas primò explicata.

Reſol.

Sextum. Subſtãtia cum nõ ſit in ſubiecto maximè eſt in ſubiecto. Conſidero ſextò, cum Ariſt. dicat in prædicamento ſubſtantiæ, eam non eſſe in ſubiecto, nos de ea ſine pugna dicere poſſe, quòd non ſit in ſubiecto, & maximè ſit in ſubiecto. Nam in ſubiecto non eſt, quia non recipitur in eo quod acta ſit, quòd ea non egeat, tanquam parte pro conſtitutione ſubiecti: eſt tamen maximè in ſubiecto, quia forma recipitur in materia, quæ definitur, quòd ſit ſubiectum primum, quæ etiam omnium conſenſione, maximè ſubijcitur. Hinc Ari. in 2. Phy. cont. 4. loquens de natura, quæ eſt forma, & materia, dixit eam eſſe ſubiectum, & ſubiecto. Subſtantia itaq; dicta de forma, cum non ſit in ſubiecto, maximè eſt in ſubiecto.

QVAN-

QVANTITAS DIVISIONES.

QVANTITAS usurpatur dupliciter, uel propriè, uel per Metaphoram. Quantitatis nomen per metaphoram extenditur ad facultates,& uires,propterea dicimus uires esse exiguas,uel magnas, finitas, uel infinitas. Sumpta autem propriè diuiditur in quantitatem dictam de pluribus unitate ab uno,& dictã uniuocè.Dũ quantitas dicitur de ea Cęli & mortalium,est commune ab uno, ut dixi de substantia. *Quanta per Metaphoram. Propriè.*

Insuper Quantitas uniuocè dicta,quæ est quantitas mortalium,constituens prædicamentum unum,ualdè secùs diuiditur ab Arist. in libro Prædicamentorum, quàm id fiat in quinto Meta. Nam in libro Prædicamentorum diuiditur primò in discretam,& continuam:discretam ait esse duplicem,numerum,& orationẽ, uoce prolatam:continuam dicit esse quincuplem,Lineã, Superficiem, Corpus, Tempus,& Locum.Insuper eandem quantitatem diuidit in præditam partibus includentibus positionem,& præditam partibus expertibus positionis: primi generis esse ait Lineam,Superficiem,Corpus,& Locum: Secundi uerò generis dicit esse Tempus,Numerum,& Orationem.In quinto autem Metaph Quantitatem diuiditur in discretam,quam appellat multitudinem, & numerabilem, & continuam,quam nuncupat magnitudinem,& mensurabilem. Insuper diuidit Quantum in secundum se,& quantum ex accidenti. Quantum secundum se diuidit in quantum ex sui essentia,& in habitus ac affectiones illius. Quantum ex sui essentia dicit esse Lineam,Superficiẽ,Corpus,denotando etiam Numerũ: quorum affectiones sunt,Multum,Paucum,Longum,Breue,Latum, Strictum, Profundum,& eius oppositum,Graue, Leue, & alia similia. Quantum ex accidenti dicit esse duplex,vel enim est quantum,quia est in subiecto quanto, ut albedo,sapor,& similia,vel se habet vt motus,& tempus quæ continua dicuntur, eo quòd illa diuisibilia sunt,quorum hæ sunt affectiones, veluti motus est continuus,quia continuum est,non quod mouetur,sed quo motum est, etenim quoniam illud quantum est,& motio est quanta tempus autem propter illum. Hæc eo loci Ari.In 2.autem de Ortu & interitu.62.ait,Motum esse continuum ratione mobilis,quòd autem sit continuus ratione eius in quo, solùm ait competere motui secundum locum. Insuper diuidi potest Quantitas per finitam,& infinitam.Infinita diuiditur,quia vel supra terminos est posita,vel infra, & dicitur indefinita, qualis est,moles considerata in prima materia.Prætereà, Quantitas infinita, vel est.infinita actu, vel potestate. InsuperInfinitum potestate est triplex vel diuisione ut continuum,vel accretione vt numerus,vel successione vt motus tempus, & singularia specierum. *Prima diuisio. 2. diuisio.*

DEFINITIONES.

Prima definitio. Altera. DEFINITVR Quantum ab Arist. in 5. Metaph. Vt sit id, quod in ea quæ in sunt, est diuisibile, quorum vtrumq; aut singula unum quid, & quod quid apta sunt esse. Insuper dicere valemus, Quantitatem esse accidens, sequens materiam, quod diuisioni & mensuræ ex se subijcitur, cætera uerò per illud. *Tertia. Quarta.* Præterea describitur per eius Proprietatem, ut sit id, per quod res æquales, uel inequales esse dicuntur. Insuper Quantitas est series eius generis accidentium, quod materiatam substantiam proximè sequitur, & ex se diuisioni, & mensuræ subijcitur.

Continuũ. Quantum continuum definitur primò cum relatione ad compositionem, & dicitur quantum, cuius partes communi termino nectuntur. Secundò, cum relatione ad diuisionem, & dicitur quantum aptum diuidi in infinitum; Tertiò cum relatione ad motum, vt definitur in 5. necnon in 10. Metaph. & dicitur id quantum, *Discretũ.* cuius motus est vnus; Discretum est quantum secundum se, cuius partes nullo communi termino nectuntur. Insuper est id quantum, cui nil repugnat in infinitum augeri, cum tamen in infinitum diuidi nequeat. Insuper est quantum secundum se, quod ex indiuisibilibus est conflatum.

ANNOTATIONES.

Quatuor subordinata. CONSIDERO primò quatuor subordinata reperiri, nimirùm Hoc Quantum, Quantum, Quantitatem, & Esse quãtitatis. Hoc Quantum est iunctum cum conditionibus indiuiduantib. Quintum est concretum iunctum cum materia, quæ est duplex, Physica & Mathematica. Quantitas excludit materiam Physicam, includit Mathematicam, nimirùm continuum, & partes. Esse quanti excludit omnem materiam. Hinc Arist. 3. de Anima cont. 8. dixit, quòd aliud est magnitudo, & esse magnitudinis, & in cont. 11. addit rectum esse vt Symum, quia est cum continuo. materiam Mathematicam in lib. de Materia declaraui. Confidero secundò, quòd Arist. in libro Prædicamentorum proponit agen- *Alterum quod consideratur.* dum de Quanto & Quantitate, vt etiam de Quali & Qualitate, quod facit dupli ci ratione. Prima est, ut per concretum nobis notius, patefaciat abstractum. Altera est, quia prædicamenta omnia prædita sunt suis principijs, quæ sunt actus & potentia, ut dicitur in 12. Met. ideò omnia sunt concreta. Primò secundum fieri, nam composita sunt, quæ gignuntur, vt dicitur in 1. Physi. & sic accidentia in 8. Met. con. 12. dicuntur habere materiã, in qua recipiuntur, ex cuius potentia educantur: Secundò secundũ esse, quatenus materia, ut potentia quanta pertinet ad quantitatem, ut potentia qualis ad qualitatem, ut tamen substantia est, non est *Tertium.* pars prædicamentorum accidentium, sed solùm substantiæ. Considero tertiò, sententiam esse Auer. in primo Metaphysicæ cont. 46. Quantitatem non esse genus uniuocum quantitatis discretæ, & continuæ. Idipsum affirmat in magnis cõmentarijs primi Post. con. 55. & 74. hoc elicit Auer. ex Ari. in 1. Met. con. 46. dicente, nullam rationẽ habent naturæ, quæ sunt post numeros, longitudines, latitudines, & solida & c. Pro notitia accipio id, quod dicitur ab Arist. in 2. Post. nimirùm in generibus frequenter latere æquiuocationes, & cum re uera nec uni-

uoca, nec genera sint, accipi tamen pro generibus: hinc pro vitandis huiusmodi æquiuocationibus, monebat considerandas esse species: quare non est absurdum, si in quantitate, etiam aliqua includitur æquiuocatio. Accipio insuper, quòd quamuis discretum, & continuum pendeant ex distinctis principijs, & ob id pertineant ad distinctas scientias, distinctisq; affectionibus sint prædita: tamen vtrumq; est quantum diuisibile, & mensurabile ex se, & vnum nō ob aliud, & per vtrumq; res dicuntur æquales, vel inæquales. Adeò ut sine errore Quantum statui possit genus unum, ut statuitur à Philosopho, eius tamen gradus prior est discretum, cuius principium est Vnitas, quæ est simplicior puncto, ut dicitur in primo Post. Hinc Arithmetica est prior, certior & simplicior, quàm Geometria, & pro materia solùm includit partes, cum Geometrica includant & partes, & continuum. Considero quartò, uarias reperiri affectiones, quæ secundum se competunt Quanto, cęteris uerò ex accidenti, uel per similitudinem, ueluti in primo Phy: 15. inquit Philosophus, Finitum & Infinitum secundum se solùm competere Quanto, sic Magnum & Paruum, Longum & Breue, Latum & Angustū, Profundum siue Altum & Depressum, Asperum & Leue, Planum & Curuum, Rectum & Obliquum sunt affectiones Quanti continui. Vt Multum & Paucum, Par & Impar, & aliæ similes, sunt affectiones Quanti discreti. Sed dubium est de Graui & Leui, quomodo ab Arist. in quinto metaphysicæ numerentur inter affectiones Quanti? Non enim sequuntur quantitatem, sed conditionem naturæ corporum Physicorum. Nisi dicamus Aristotelem id dicere ex sententia aliorum, qui Graue & Leue prodire dicebant; uel ex copia triangulorum, ut Plato; uel ex copia corporum, quæ pro materia accipiebant; uel ex permixtione cū Vacuo, ut dicitur in quarto de cęlo. Ex opinione autem Arist. dicere etiam ualemus Graue plus materiæ includere, Leue plus formæ, & minus materiæ supposita æqualitate extensionis. Considero quintò, Magnum & Paruum usurpari dupliciter, uel pro absoluto, uel per comparationem, ut indicat Arist. in quinto Metaphysicę 18. absolutè aliquid dicitur Magnum, dum attingit terminos supremos, qui suæ speciei per naturam sunt apti competere, uel saltē supra mediocritatem fuerit eleuatū: contra uerò dicitur absolutè Paruum, dum infra mediocritatem fuerit constitutum: mox uerò dum inuicem referuntur, per comparationem, & relationem dicuntur maiora, & minora, sic plura, & pauciora, & quouis modo usurpentur, semper attinent ad quantitatem, quia saltem quantitas est fundamentum eius relationis. Considero Sextò, quòd Arist. in 5. Met. inter quantitates non numerat Locum, neque Orationem, quæ tamen numerantur in Prędicamento quantitatis. Ego de his, ac alijs nonnullis profectò dicendum puto, Aristotelem in libro Prædicamentorum etiam de rebus frequenter loquutum fuisse populariter, & ex opinione aliorum, ut etiam Græci omnes interpretes affirmant, à quibus non dissentit Auer. in 5. Met. con. 18. in calce, & ordiens à loco, cum Aristo. putet locum esse superficiem, non potest statui quantitas, ab ea distincta, sed solùm dici potest affectio quædam eius, ut inquit Auer. Ex sententia autem ueterū putantium locum esse interuallum, magis inter quantitates poterit numerari, quorum sententiam sequutus est Aristot. in lib. Prædicamentorum. Similiter loquendo de Oratione, uoce prolata, non puto ea esse numerandam pro quantitate secundum se, quæ sit distincta ab alijs, alioquin similiter uox omnis, atq; etiam omnis sonus, deberet dici quantitas, non minus quàm oratio uoce prolata, quæ ob id solùm numeratur breui & longo, quatenus est sonus aliquis, ueluti Musici omnem sonum breui & longo mensurant, quod eis competit, non quia sint secundum se quantitates, sed potiùs quia sunt affectiones quantitatis,

Quartum.

Dub. de graui & leui.

Sol.

Quintum.

Sextum.

nimirùm Motus, nam ſonus motum ſequitur, motus autem per aliud eſt quantus. Inſuper addo, quòd dum oratio dicitur quanta, potiùs dicenda eſt continua, quàm diſcreta, cum ſequatur motum, qui continuus eſt, & longum ac breue ad continuum pertineant. *Septimũ.* Conſidero ſeptimò, Ariſt. in Prædicamento Quantitatis pro quantitate numeraſſe Tempus: in quinto autem Metaph. tempus dixiſſe quantum ex accidenti, & addidiſſe motum, quem ſimiliter dixit quantum ex accidenti, de quo tamen in Prædicamentis mentionem non fecerat. De hoc dico primò Ariſto. in Prædicamentis per Tempus denotaſſe etiã motum, quia tempus vel eſt idem cum motu, vel eſt aliquid eius, vt dicitur in 8. Phy. nam eſt idem cum motu primo, ab eo diſtinctum ratione. Dico ſecundò, motum & tempus eſſe quidem continua per aliud, & pendere ex alio; includere tamen conditionem quandam propriam, per quam menſurantur, & diuidũtur longè ſecùs ac diuidantur, & menſurentur mobilia, & loca, veluti annum menſuramus per horas, motum per tempus, quæ menſuræ nõn ſumuntur ex mobili, nec primò competunt mobili, vt ſe habet de his, quæ penitùs ex accidẽti ſunt quanta. Ideò Ariſto. in quinto Metaph. quamuis dixerit eſſe quanta ex accidenti, quatenus non ſunt talia ſine mobili vel loco; tamen ea ſeiunxit à qualitatibus, quæ penitùs ex accidenti ſunt quantæ, adeò vt motus & tempus medio quodam modo ſe habeant, & partim ex ſua conditione, partim ob aliud ſint quanta: & cum non principaliter quanta ſint, ideò in Prædicamento quantitatis, numeratis principalioribus quantitatibus, (addebatur, amplius autem præter hæc tempus & locus) indicans minus principaliter ad quantitatem pertinere. *Octauum.* Conſidero octauò, Quantitatem excludi ab efficientibus, & inter ea non numerari. Ratio eſt, quia ſequitur materiam, & conditionem eius, cuius proprium eſt pati; qualitas autem ſequitur formam, & conditionem formæ, cuius officium eſt agere: & quia Quantum in materia antecedit Quali, ideò antecedit conditionibus eius: ſic non vt calor calorem, ita quantitas vna producit alteram. Animaduertendum tamen, quòd quamuis Quantitas non operetur tanquam principale efficiens, dicitur tamen cooperari, quatenus Qualitas in maiori mole redditur operoſior: & maior numerus militum, operatur potentiùs, vt maior ignis vehementiùs calefacit.

QVA-

QVALITAS DISTINCTIONES.

QVEMADMODVM materiã comitatur Quantitas, ita formam Qualitas,adeò vt latè sumpta qualitate, omnis alicuius forma,eius qualitas esse dicatur.Diuiditur ab Arist.in prædicamentis,in 5.Met.nec non in 7.Phy.qualitas modo vario:nam in prædicamento Qualitatis quatuor numerat eius subalterna genera,nimirùm,Habitum,& dispositionē; Potentiam,& impotentiam rebus per naturam competentem; Passiones,& passibiles qualitates;& demùm Figuram, & vniuscuiusq; externam formam. In quinto autem Metaphysicæ qualitatem omnem redigit in duo capita,in qualitatem essentialem,veluti sunt differentiæ, & qualitatem accidentalem,veluti sunt affectiones substantiarum mobilium, quæ dicuntur passiones earum.Ad primum caput redigit qualitates Mathematicorum,veluti sunt termini Geometricorum,constituentes figuras, & distincti gradus numerorum,per quos dicimus,quod sex est semel sex, non autem tria, & tria: hæ namque sunt tanquam differentiæ Mathematicorum. Ad secundum autem caput,nimirùm ad affectiones mobilium,redigit Virtutes,& Vitia, & omninò Bonum,& Malum,quatenus per hæc agentia, & patientia redduntur, vel bene, vel male aptam agere,pati & moueri;maximè autem Bonum, & Malum denotant quale in rebus anima præditis,& præsertim in homine operante cum præelectione. Demùm in 7.Phy.Habitum & dispositionem reijcit à prædicamento Qualitatis in prædicamentum Relationis: de Potentia & Impotentia, tanquam de qualitate distincta à passionibus, & passibilibus qualitatibus, mentionem non facit. Adeò vt minimè ea quadrimembrem qualitatum distributionem,relatam in prædicamentis, approbare videatur. At distinctiùs diuidens Qualitatem ita dicendum puto. Qualitas est duplex.vna Cęlestis,altera mortalium: Cęlestis est Lux, Perspicuitas, Opacitas Raritas, Densitas & Figura: Qualitas mortalium est duplex,Vna essentialis, qualis est differentia constituēs essentiam rerum, Altera,quæ est accidens:Et hæc est duplex, vel spiritalis, quæ est alterius repręsentatio,vt actiones colorum,uel principalis,& hæc uel pertinet ad Animum ut uirtus,& uitium,uel ad corpus: & hæc uel est qualitas prima,uel secunda: primæ sunt calor,frigus,humor,& siccitas,quæ in agentes,& patientes diuiduntur,duæ primæ dicuntur agentes, reliquæ patientes: Qualitates secundę sunt duplices,uel minus propriè tales sunt,uel magis propriè nuncupantur secundæ:primi generis sunt illæ, quæ sequuntur connexionem duarum primarum qualitatum in Elementis,ueluti sunt Graue, & Leue, Densum & Rarum,Perspicuum & Opacum,quæ Elementis competunt: Aliæ,quæ magis propriè nuncupantur qualitates secundæ, illæ sunt quæ ex temperamento primarum prodeunt,ueluti sunt Colores, Sapores,Odores,& similes.Nonnulli inter qualitates Cęli numerant Influxus, eos tamen à lumine, & motu distinctos: Peripatetici non concedunt. Alij inter qualitates mortalium numerant Impetum,quo proijciens rem proiectam post contactum mouet. Similiter numerant qualitates,quas occultas Virtutes appellant, per quas Ambra paleas,

Diuisio qualitatis.

Qualitas Cæleslis.

Mortaliū.

Lapis

Lapis Herculeus ferrum trahit. Arist.in 2. de Partibus Animalium cap. 2. & 3.uarias assignat primarum qualitatum distinctiones; Præsertim tamen diuidi possunt,dicendo gratia exempli,calorem esse uel potestate,uel actu: Potestate ut apta citò & facilè calefieri. Actu autem dupliciter,uel secundum uirtutem, ut Sol calidus,uel secundum formam,& hoc dupliciter,uel per propriam conditionem,ut ignis calidus,uel per alienam,ut aqua calida.

DEFINITIONES.

Qualitas latè sumpta. *Pro prædicamento.* *Qualitas spiritalis.*

QVALITAS latè sumpta est forma quælibet, per quam ea præditum modo aliquo dicitur quale. Qualitas, Prædicamentũ qualitatis constituens, est ea accidentium series, quæ competit corpori Physico mortali, ut mobile est, per quam denominatur quale, ut elicitur partim ex præd. qualitatis, partim ex 5. Meta. Qualitas Spiritalis, siue actio, & species rei sensibilis, est imago, siue repræsentatio qualitatis materiatæ, per præsentiam eius qualitatis, cuius est imago, quæ per medium congruens offertur sensui. *Qualitas occulta.* Qualitas insensibilis, quæ nuncupatur virtus occulta, & proprietas latens, est facultas mixti, sequens formam eius, ex Cęli influxu pendens, per quam mixtum latenter ex propria conditione opus aliquod proprium producit. In hac significatione nonnulli facultates occultas concedunt, quas ego à suo fundamento, nimirùm à forma mixti, siue temperamento distinctas non puto. *Qualitas prima.* Qualitas in mortalibus origine prima, ea est, quæ in subiecto alteram non præsupponit, nec ab altera per se producitur, sed ex ea illæ pendent, quæ secundæ nuncupantur, constituens corporata Elementa, & cum materia adeò nectitur, vt altera oppositarum necessariò ei insit. *Calor.* Calor est qualitas prima ad tactum pertinens, vehementissimè agens, cuius actio per se, & prima est calefacere; sequentes verò sunt attenuare, Leuia reddere faciliq; mobilia, ac insuper consimilia nectere, secernere dissimilia: hæc qualitas primo competit igni. *Frigus.* Frigus est qualitas, ad tactum pertinens, prima, agẽs, cuius actio per se & prima est refrigerare, sequentes verò sunt condensare, grauia reddere, ineptaq; motui, & cùm similia, tùm dissimilia nectere: hæc primò competit aquæ. *Humor.* Humor est qualitas prima, ad tactum pertinens, perpessioni apta, cuius conditio est carere proprio termino, & facilè recipere alienos; primò autem tribuitur Aëri. *Siccitas.* Demùm Siccitas est qualitas ad tactum pertinens, prima, perpessioni apta, cuius conditio est alienos terminos ægrè recipere, & proprios seruare: primò autem ab Aristo. tribuitur Terræ. *Qualitas secunda.* Qualitas secunda est ea, quæ in materia primas supponit, & uel ex earum connexione, vel temperamento ortum ducit, variorumq; externorum sensuum est obiectum, vel cum eo modo aliquo

∴

iunctum.

∴

AN-

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, quòd quemadmodum Arist. duo statuit prima capita qualitatum; Vnum ad differentias pertinens; Alterum ad passiones & passibiles qualitates: ita datur duplex prædicatio secundum quale. Nam differentiæ prædicantur secundum quale ad essentiam attinens; aliæ verò secundum quale quod est accidens. Et ad id quale, quod pertinet ad essentiam, redigitur id, de quo Aristo. in prædicamento substantiæ inquit, secundas substantias, non hoc aliquid, sed quale quid denotare, nam genera & species ex forma eliciuntur, quæ est essentialis qualitas. Considero secundò; quòd cum dentur qualitates materiatæ, quæ sunt principales formæ in subiecto, vt albedo in cygno, & dentur qualitates, quæ spiritales nuncupantur; hæ trium generum esse possunt; Vel enim est lumen, quod est actio Lucidi; Vel est actio spiritalis colorum, virtute Luminis, & dicitur species colorum; Vel est virtus occulta cōpositi Physici, eiusq; latens proprietas, & ad hoc tertium genus secundum aliquam similitudinem redigitur influxus Cęlorū, à Lumine & motu distinctus, ac etiam impetus à proijciente illatus. Horum trium generum duo prima ab omnibus conceduntur; de hoc tertio est dubitatio, & à me frequenter tanquam redundans ex sententia Aristo. est reiectum. Considero tertiò qualitatem materiatam à spiritali his decem differentijs præsertim secerni. Prima est, quia qualitas materiata, cum sit prædita contrario resistente, effunditur per medium in tempore, spiritalis momento. Altera est, quia qualitas spiritalis in medio pendet à producente secundum esse, & conseruationem, non ita semper materiata. Tertia est, quia materiata cum sua opposita, non simul in eadem parte medij siue sui remissione seruatur: Spiritales verò per idem medium illesæ deferuntur. Quarta, quia qualitates materiatæ, solo numero differentes, non valent in eodem simul distinctæ seruari, vt elicitur ex 5. Meta. 15. at actiones variarum albedinum, variorumq; Lucidorum, solo numero differētium, in eodem distinctæ seruantur. Quinta, quia qualitates materiatæ non nisi in corpore esse valent; species autem spiritalis dicitur in anima recipi, & sensus dicitur recipere species sine materia. Et Mens in 3. de Anima dicitur Locus specierum; id tamen quomodo contingat, non est modò explicandum. Sexta differentia est, quia per qualitatem materiatam subiectum propriè denominatur quale, per spiritalem nequaquam, sed solùm anima dicitur fieri ea, quæ noscit, per imitationem, & repræsentationem, non autem denominatur alba, vel dulcis. Septima, quia qualitas spiritalis, cum non educatur ex materia, sed sit sola repræsentatio, est tota in toto, & quauis parte; materiata est tota in toto, & pars in parte secundum extensionem. Octaua, quia qualitas materiata numero eadem non potest esse in distinctis partibus medij: at spiritalis eadem numero valet in distinctis partibus medijs apparere, cum sit repræsentatio alterius, quæ eadem & distincta dicitur, vt eadem vel distincta est res, quæ repræsentatur, adeò vt sit eadem ex parte rei, quæ repræsentatur, distincta verò ex parte medij repræsentantis. Nona est, quia qualitas spiritalis à vento in oppositum spirante non repellitur, vt materiata. Decima, quia qualitas spiritalis solùm directè effunditur, vel saltem per repercussionem; materiata verò, & directè, & obliquè. Considero quartò, qualitates primas, ad tactum attinentes, esse quidem pri-

Primum quod consideratur. Alterū.

Triplex qualitas spiritalis. Tertium.

Decem differentię inter qualitates, materiatas, et spiritales.

Quartum.

mas

mas origine, & ob id respondere tactui, origine primo; non autem esse primas naturâ, hoc est dignitate, nam colores ab Aristotele in secundo de Ortu & interitu, cont. septimo dicuntur naturâ, hoc est dignitate priores, etiam Visus, dicitur prior tactu, & adhuc his, naturâ prior est cælestis

Quintum. Lux, eminenter, & vnitissimè includens qualitates mortales. Considero quintò, Qualitates primas iure statui quatuor, quæ ita se habent, vt vna secundum se non pendeat ex altera, nec alteram in subiecto præsupponat: nam duæ requiruntur pro actione, duæ pro passione, sine quibus nulla fit generatio: & interitus; & dum ad mixtionem conspirant, Calor coquit, & format; Frigus nectit, & calorem contemperat. Humor affectiones, & terminos recipit; Siccitas es seruat. Non defuêre tamen nonnulli qui siccitatem, non qualitatē, sed absolutam humoris priuationem esse existimârunt, cum nulla appareat eius propria operatio: at hi falluntur, vt enim caloris oppositum est qualitas, ita qualitas esse debet oppositum humoris, quod patet, quia pura priuatio oppositæ formæ non resistit, veluti tenebræ lumini: at siccitas valdè resistit humori, adeò ut non sine tempore siccum humectetur. Insuper sic igni & Terræ vnica non duæ competerent qualitates, cum tamen intermedijs Elementis duæ qualitates conspicuè competant. Considero sextò, quòd cum qualitates primæ statuantur qua-

Sextum. Calor multiplex. tuor, singulæ tamen multis varietatibus sunt obnoxiæ, veluti gratia exempli loquendo de Calore, datur Calor cęlestis à lumine & motu Cęli productus: Calor igneus, acutus; Calor aëreus obtusior; Calor vitalis; Calor febrilis sine putredine; Calor putridus. Qui calores dum considerantur secundum se, & cum reduplicatione, nimirùm vt calores, iudicandi sunt eiusdem speciei specialissimæ. at dum considerantur cum eo, quod eis additur, & cum quo nectuntur; sic extrinsecùs, & ex accidenti dicuntur ita inter se distincti, ut distincta sunt ea, quæ adduntur, & cum quibus nectuntur. Super quæ cadit reduplicatio, sic calor putridus vt calor, non differt specie à calore vitali: at quatenus putridus, differt ab eo considerato, vt est uitalis, quia tunc id considerandum est, quod reduplicatur.

Septimū. Qualitates tangibiles. Considero septimò, Qualitates tangibiles, quarum relatæ quatuor sunt primæ, & duces, plurimas esse: & præsertim ab Arist. quatuordecim numerantur nimirùm Graue, Leue, Crassum, Tenue, Durum, Molle, Densum, Rarum, Lentum, Friabile, Asperum, Lene, Aridum, Lubricum. Hæ dum considerantur in Elementis, minus propriè dicuntur qualitates secundæ, cum non sequantur temperamentum primarum, sed solam connexionem duarum; dum tamen considerātur in mixtis, & sequuntur temperamentum primarum, magis propriè nuncupantur Secundæ. Præsertim tamen, & propriè qualitates secundæ sunt, Colores, Sapores, & Odores, & sunt obiecta triuum sensuum. Et quemadmodum, Gustus est magis iunctus tactui cæteris sensibus, ita Sapores magis sunt iuncti cum qualitatibus primis tangibilibus, quàm sint odores, & colores, & certiùs nobis patefaciunt temperamentum sui subiecti. Considero octauò, esse dubitationem

Octauum de Sono Dub. de sono, qui cum sit obiectum auditus, non uidetur esse secunda qualitas, ut obiecta trium reliquorum sensuum præterfactum: & præsertim quia qualitas est aliquid permanens, sonus autem cum motu est iuntus, nec uidetur sonus ad

Sol. aliquam speciem qualitatis posse redigi. Propterea cum Arist. in 2. de Anima dico, sonum esse duplicem, potestate vnum, alterum actu: dum consideratur, ut est potestate, uerè est qualitas secunda, ex temperamento prodiens, per quam corpora denominantur qualia, & dicuntur sonora, & bene ac male sonantia: at dū consideratur sonus actu, tunc ille consideratur dupliciter, primò vt est actus percutientis & percussi, & dicitur motus, secundò ut per conditionem sonoram se

mutuò

mutuò percutientiũ modo aliquo afficitur,ac ita dicitur qualitas comitans motum, per quam aër expulsus denominatur sono præditus: sonus potestate uerè est qualitas secunda;ex temperamento prodiens,pertinens ad passiones & passibiles qualitates;alter verò dicitur actus eius,& solùm dici potest qualitas secũda,quatenus ex ea prodit, & pendet, ac ita etiam sonus ex primis qualitatibus ortum ducit. *Nonum.* Considero nonò, vt pertinet ad proprietates varias Physicorum, quæ dicuntur qualitates occultæ,virtutes spiritales,facultates diuinæ, ex quibus mira opera prodire inspiciuntur, veluti inter cordas intestinorum Agni & Lupi conspicua est dissonantia: *De qualitatibus occultis.* Buglossa affert hilaritatem: Vinum inebriat: Ambra trahit paleas: Lapis Herculeus vertitur ad Polum Septentrionalem, & sic de alijs. Qua de re tres sunt opiniones. *Opiniones tres.* Nonnulli putant hæc fieri per qualitates sensum fugientes, & occultas, quas spiritales appellant, distinctas à forma, & temperamento, competentes mixtis varijs per Cœlorum influxus, conditioni earum qualitatum respondentes. Alij inquiunt ea fieri per propriam mixti formam,& ideò inquiunt, ea opera fieri à mixtis operantibus per propriam substantiam, siue à tota substantia. Nonnulli aiunt ea fieri à temperamento proprio. *Opinio propria.* Putarem ex sententia Aristo. duas postremas opiniones esse connectendas,& dicendum ea opera fieri à forma mixti,vt à dirigẽte, & agente principali,a temperamento verò vt eius instrumento: Hinc si variatur temperamẽtum,variatur opus,veluti si lapis Herculeus succo allij illiniatur,non trahit ferrum,& Ambra nisi confricata excalefiat,non trahit paleas. *Decimum.* Considero decimò, quòd quamuis dicatur qualitates secundas sequi temperamentum primarum, id tamen non omni ex parte de singulis putandum est esse verum. Sapores,& odores satis conspicuè temperamenta sequuntur: de coloribus tamen id non patet,nec tam conspicuè colores varij varijs temperamentis respondent;inspicimus enim caudam Pauonum,capita,& plumas Psittacorum,pilos ęquorum, flores,& alia multa eximia quadam colorum varietate esse prædita, cum tamẽ non sit putandum in huiusmodi partibus adeò distincta inueniri temperamenta,vt id efficere valeant. Nec tam admirabilis se nobis natura offerret,si ea possent ex temperamento solo prodire. Propstereà,cum colorum & luminis eximia sit affinitas,& Lumen,siue Lux cum spiritibus summoperè sit iuncta, adeò vt oculi ob copiam spirituum reddantur Lucidi, existimandum puto colores proximè efflorescere ex ea mixtorum portione,quæ est magis tenuis, & spiritalis,& cum forma summoperè iuncta,eiq; affinis: hinc definitæ formæ definiti respondent spiritus, ex quibus definiti colores prodeunt, & cum huiusmodi spiritus per mixtionem cum alijs partibus facilè varientur: hinc facilè ex eis prodit colorum varietas,adeò vt colores sequantur quidem mixtionem aliquã Elementorum,vel perfectam,vel imperfectam, proximè tamen ex spiritalioribus partibus prodeant,quæ deinde per externam lucem facilè illustrantur, ob familiaritatem Lucis, & huiusmodi spirituum. Ex his elici potest ratio varietatis colorum in eodem animali, & cur etiam variarum substantiæ formarum, varij colores videantur comites. Confidero etiam quòd sic in parte seruatur vera opinio Linconiensis, Epicuri, & eorum qui putârunt in tenebris colores solùm potestate seruari. *Liconiẽsis.* Hinc cecinit Lucretius,

Qualis enim cæcis color potest esse tenebris,

Nam sine externo lumine colores carent eo postremo actu, quem à Lumine tanquam familiari recipiunt,& per quem exactiùs fulgent, adeò vt valeant

spiri-

ſpiritaliter agere, propterea Ariſto. in 3. de Anima dixit, Lumen reddere poteſtate colores, actu colores, quod verum eſt de attinentibus ad actum ſecundum colorum, non ad primum.

AD ALIQVID SIVE RELATIO.

DIVISIONES.

ARISTO. in prædicamento Relationis diuidit Relationem in eam, quæ eſt ſecundum diei ſolùm, vt manus &
Relatio 2. pes dicuntur, non autem ſunt ad aliquid; & in eam, quæ eſt ſecundũ eſſe, adeò vt totum id, quod eſt ad aliud ſe habeat, veluti duplum, & dimidium. In quinto autem Met.
Alia diuiſio. cont. 20. diuidit Relationem in eam, quæ eſt ex accidenti, vt Plato eſt ad aliquid, quia ei accidit vt ſit pater vel dominus; & in eam, quæ eſt ſecundum ſe. Et hanc diſtribuit in tria capita; Nam vel dicuntur ſecundum numerum ſiue definitum, vt duplum, ſiue indefinitum, vt maius, & minus; Vel ſecundum potentiam, vt agens & patiens, dominus & ſeruus; Vel tertiò ſecundum menſuram, ut ſcientia & ſcibile, ſenſus & ſenſibile. Ammonius in prædicamento Relationis multimembrem refert diſtinctionem, quam miſſam facio. Diuiduntur inſuper ea, quæ ſunt ad
Ammonij. Alia diuiſio. aliquid, quia vel ſunt actu, uel poteſtate, ut ſcientia, actu, & poteſtate, & Dominus actu, & poteſtate eſſe poteſt. Præterea ſecundum ſe relata adhuc ſunt duplicia, uel enim ita ſe habent, ut unum, id quod eſt ſit alterius, & uice uerſa, ut duplum dimidij eſt duplum, & dimidium dupli dimidium, & huiuſmodi ſunt ea, quæ inuicem referuntur ſecundum numerum, & ſecundum poteſtatem. Alia uerò ſunt ad aliquid, non quia unum id, quod eſt, ſit alterius, ſed quia aliud ad id referatur, & huiuſmodi ſunt relata tertij generis, quæ dicebantur ſecundum menſuram, non enim menſurabile id quod eſt menſuræ eſt, ſed menſurabile dicitur; quia menſura ad id refertur, & eius menſura dicitur; ſic Scibile, Senſibile, Intelligibile, Opinabile; dicuntur ad aliquid, non quia id, quod ſunt, ſit alterius, ſed quia aliud ad ea refertur, ut Scientia ad Scibi-
Alia diuiſio. le, & Senſus ad Senſibile. Hinc in reciprocatione uariatur caſus, dicimus enim quod Scientia eſt ſcibilis ſcientia; at non uice uerſa dicimus Scibile eſſe ſcientiæ, ſed Scientia Scibile: Similiter menſura omnis dicitur rei menſurabilis menſura, non autem menſurabile dicitur menſuræ menſurabile ſed menſura. Inſuper diuiduntur ab Ariſto. Relata, quia nonnulla ſunt talia ex propria conditione, alia uerò ratione ſui generis, ut Logica eſt ad aliquid, non quia Logica eſt, ſed quia diſciplina, ſiue ſcientia eſt. Præterea Relatorum quædam ſunt prædita proprio nomine, ut Seruus & Dominus; alia eo carent, ut id ad quod refertur, Remus & Ala, Manus, & ſimilia. Et tenemur id formare ſumpta denominatione à primo, cui nomen competit, vt ab Ala alatum, a Remo remitum, ut

monet

monet Philosophus in prædicamento Relationis. Prætereà diuiduntur Relata, quia vel Relatio fit per eadem nomina, vt simile, æquale, & similia; vel per distincta, vt pater, seruus, & duplum. Prætereà, vel fit eodem, vel distincto casu, eodem, vt pater filij pater, & filius patris filius: distincto, vt sensibile, & sensus. Insuper vel fit per casum genitiuum, vt pater filij pater; vel per datiuum, vt æquale æquali æquale; vel per accusatiuum, vt magnum refertur ad paruum, sursùm ad deorsùm; vel per casum vltimum, vt sensibile, sensu sensibile. *Alia diuisio.*

DEFINITIONES.

DEFINIVNTVR ab Aristotele in prædicamento Relationis ea, quæ sunt ad aliquid. Primò vt ea sint quorum, id quod sunt, aliorum esse dicantur, vel quomodolibet alterum ad alterum, hoc est quouis modo, vel per quemuis casum fiat relatio. Secundò definiuntur, vt ea sint, quorum id ipsum quod sunt ad aliud se habeat. Prima definitio explicat dici: altera esse. Ideò prima definitio est latior, quàm secunda. Insuper ad aliquid ea sunt, quæ per mutuam relationem reciprocantur, simul sunt natura, & vnum sine alterius notitia cognosci non potest. *Prima definitio.* *Altera.* *Tertia.*

ANNOTATIONES.

RELATIO cum sit essentia tenuis ex sui conditione est difficilis cognitu, & varijs ambiguitatibus se nobis offert inuoluta. Pro quarum elucidatione considero primò, in Relatione tria includi, nimirùm Fundamentum, Terminum, & Relationem mediam. Nam id quod refertur est fundamentum: id ad quod refertur, est terminus; inter quæ mediat relatio. Terminus autem, & fundamentum ita se habent, vt distincta ratione, terminus fit fundamentum, & fundamentum fit terminus, dum fit reciprocatio ex uno in aliud, ut est conspicuum. Sic agens relatum ad patiens est fundamentum: patiens verò terminus relationis: contra autem patiens relatum ad agens est fundamentum, agens verò terminus. Considero secundò, loquendo de ea intermedia relatione, esse dubium, num sit distincta à suo fundamento, vel ne? Et pro vtraq; parte sunt rationes, & opiniones: hanc tamen seligendam puto, A suo fundamento solùm distingui ratione, quatenus ei superaddit externam quandam relationem ad aliud, adeò vt seruus nil aliud absolutè sit, nisi homo conditionibus congruentibus præditus, relatus ad dominum. Hinc Aristo. Relata, siue ea quæ sunt ad aliquid declarans, indicant relationem à fundamento non distingui, vt etiam potentia materiæ ab eius essentia non secernitur; nec potentia efficientis & mouentis ab efficiente & mouente. Huius opinionis etiam fuit Alexander non secernens potentiam à fundamento, nisi ratione. Auer. quoq; id ipsum existimauit, ideò in disput. 3. in Sol. 14. dubij ait, si denominatio est relatiua, nullam infert compositionem extra animam, adeò ut homo dominus, non sit aliquid magis compositum pro esse absoluto, quàm homo, nec obest quod relatio constituat distinctũ prædicamentum à fundamento, quia prædicamenta sat est vt sint ratione distin- *Primum quod consideratur.* *Alterum.* *Alex.* *Auer.*

ĉta, veluti quamuis actus agentis, & patientis vnus & idem sit: tamen ob distinctam rationem quam formalitatem appellant, constituit duo prædicamenta. Cõ-
Tertium. sidero tertiò, quòd cùm de cunctis oppositis dicatur eorum vnam esse sciẽtiam, vnum habitum, vnamq; cognoscendi facultatem, vt sępè Affirmat Philosophus, & præsertim in 2. de Anima, in 8. Phy. cont. 8. nec non in 5. moralium Nicomachiorum, ea regula præsertim uera est de relatis, quia eorum esse in illa mutua relatione est positum: hinc vt unum sine altero non ualet esse, ita non ualet cognó-
Algazel. sci. Sententia tamen fuit Algazelis (referente Auer. in sexta disp. in Sol. 5. dubij) scientiam eorum non esse unam, sed trinam, quatenus fundamenti, termini, & mediæ relationis uaria est definitio. At prætermissis omnibus, quæ eo loci dicuntur ab Auer. breuibus, & lucidè dico scientiam oppositorum, & præsertim relatorum, sine controuersia posse dici, & unam, & plures. Vna est, quia mutuò se declarant, pertinent ad eandem animæ facultatem cognoscendi, pertinent ad scientiam eandem, & ad eundem scientiæ habitum & per mutuam comparationem refulgent. Sunt autem plures propriè, & proximè ratione propriæ definitionis eorum, nam quamuis unum relatorum definiatur per alterum, definitio tamen explicans propriam rationem unius, alteri non competit. Ac ita seruari potest, quod dicebatur ab Algaz. scientias conspirantium ad relationem esse tres.
Quartum. Dub. Considero quartò, dubium esse, quomodo unum relatorum debeat definiri per alterum? Nam sic ita se habebit de illis, ut de ostensione circularis, reiecta ab Arist. in primo. Post. idem enim explicabitur per idem. Augetur dubitatio, quia id per quod aliud redditur notum, debet eo esse notius: at relatorum unum non est
Sol. notius altero, cum eorum consimilis sit ratio. Soluitur dubitatio, dicendo unũ relatorum necessariò sumendum esse in alterius definitione, non quia unum alte ro sit notius, sed quia eorum esse in ea mutua relatione est positum, & ambo ut sunt, ita refulgent ex notitia eius mutuæ relationis; adeò ut relatio per terminos suos noscatur, qui sũt notiores ea relatione, nec terminus unus est notior altero, sed per ea quæ adduntur, quæ sunt propria utriusq;, utraq; refulgent. Neq; de his se habet, ut de ostensione circulari, quia unum nõ est integra ratio, per quam noscatur aliud: nam additur (ut dixi) id quod est proprium utriusq; per quod proprium refulget, ut duplum dicitur id, quod bis includit dimidium. Considero
Quintum. quintò, Aristotelem in prædicamento Relationis dicere ea, quæ sunt ad aliquid, esse simul naturâ, & addit id non esse uerum de omnibus, quia scibile est prius, quàm scientia, & sensibile est prius, quàm sensus, similiter in 2. Phy. loquens de causis, quæ referuntur ad earum effecta, dixit causas, & effecta, dum sunt actu, simul esse; at dum sunt potestate, non semper simul, quia non simul perit ædificiũ, & eius ædificator. Hæc sententia est uera considerando fundamenta, & terminos relationum secundum eorum esse absolutum. At dum considerantur secundum esse relatum, & ambo consimiliter accipiuntur, ut accipi debent; dum propria eorum conditio consideratur, absolutè omnia simul sunt. Instantia de scientia, & scibili, sensu & sensibili, soluitur dicendo scibile ante quam sciatur, ut quadratura circuli, esse scibile potestate, & tunc etiam datur scientia potestate, alioquin id non esset potestate scibile: similiter quamuis sensibile pro esse absoluto sit prius, tamen dum consideratur ut aptum sentiri, necessariò exposcit id, quod sit aptum sentire, & id ipsum dicendum de cęteris. Arist. tamen suam sententiam enunciauit inspiciẽs fundamenta. Considero sextò, sententiam esse Aristo. in
Sextum. Relatio est posterior absoluto. primo Nicomachiorum cap. 6. ea quæ sunt ad aliquid, esse posteriora his, quæ sunt secundum se, & absoluta, & esse tanquam propagines eorum. Et iure, nam Relatio supponit fundamentum suum, hinc in 10. Metaphysicæ cont. 2. legitur, quòd

quòd cum ignis dicatur Elementum, dum consideratur vt ignis, prior est seipso considerato, vt Elementum est, nam Elementum alterius dicitur Elementum, & ideò dicimus accidere ei, vt sit Elementum: accidens autem est posterius eo, cui accidit. Considero septimò, dubium esse, num inter ea, quæ sunt ad aliquid, detur medium, vel ne? Soluitur ab Aristotele in 10. Metaphysicæ dicente relatorũ nonnulla esse contraria, alia non; si ea fuerint contraria, quia inter contraria potest dari medium, ea poterunt esse prædita medio, vt se habet de Magno & Paruo, inter quæ mediat Aequale: at si non fuerint contraria, quia valent esse distincti generis, inter quæ nil mediat, possunt carere medio, vt Scientia, & Scibile, Sensus & Sensibile. Verùm cum detur, & non detur medium, distinctum specie ab extremis, quæritur de medio secundum magis & minus, num etiam locum habeat in his, quæ contraria non sunt? Et profectò id concedi debet, nam Scibile, & Sensibile dicuntur secundum magis & minus, ita dominus & seruus, de patre & filio dicendum, quod idem potest esse plurium pater vel pauciorum, at nõ ob id magis, uel minus pater. Considero octauò, Aristotelem de partibus secundarum substantiarum dixisse, quòd dicuntur quidem ad aliquid, non autẽ sunt: & ob id potest nosci pars, ignorato toto, ueluti considerantur constituentia cor, caput, & similia, sine consideratione totius. At cum hoc dicat Arist. id profectò uerum est, dum hæc considerantur pro eorum esse absoluto, non autem cum ea reduplicatione ut partes sunt, nam dum considerantur ut partes, semper referuntur ad totum, & nosci non dicuntur, nisi noscatur, quòd sunt partes alicuius totius. Arist. tamen hoc fuit satis, manifestare, quòd ut substantiæ sunt, non sunt ad aliquid, ideo alibi dixit non esse absurdum, ut idem distincta ratione ad distincta prædicamenta redigatur. His accedit, quòd Totum & Pars, non ita sunt ad aliquid, ut utrumq; eorum id quod est sit alterius, nam quamuis pars dicatur totius pars, non contra totum dicitur partium totum sed ex partibus constitutum, nec esse partis in ea relatione adeò est collocatum ut non ualeant esse sine toto, nam constituitur pars domus, & pars hominis ante constitutionem totius, ideò non uerè & omninò sunt ad aliquid. Considero nonò, Aristotelem in prædicamento Qualitatis, & in quinto Met. dicere quædam esse ad aliquid ratione generis, non ratione propria, ut Grammatica dicitur alicuius disciplina, & habitus, non autem alicuius Grammatica: similiter Musica dici potest alicuius disciplina, & alicuius habitus, non autem alicuius musica. Quæ sententia est dubia; tum quia regula est, quòd in quo prædicamento est Genus, in eodem sunt eius species; tũ insuper quia ut disciplina dicitur disciplinati disciplina, ita Musica dicitur Musici Musica. & Grammatica Grammatici Grammatica. Solui primò potest dubitatio dicendo, Aristotelem nouisse id, quod protulerat non omni ex parte uerũ esse, & propterea addidisse non esse absurdum idem distincta ratione ad distincta prædicamenta attinere, ut legitur in calce prædicamenti Qualitatis. Insuper seruando etiam id, quod prius ex Aristo. relatum est & approbatur in quinto Met. dico regulas semper debere intelligi secundum se, ac ita esse ueras; secundum se autem explicatur per reduplicationem, ueluti dicendo in quo prædicamento est genus, in eodem est species, quatenus est eius species, & genus de ea dicitur: sic Grammatica est ad aliquid ut disciplina est, non autem per superradditam differentiam propriam, & iure nam disciplina ut disciplina est, includit relationem inter docentem & addiscentem, quam non includit Grammatica secundum differentiam propriam eius: & id ipsum est dicendũ, dum ea denominatur habitus. Et quáuis Grãmatica dicatur Grãmatici Grãmatica, id tñ dicitur minus ꝓpriè, & solũ denotatur, quòd ei cõpetat, nõ quòd sit talis per relationẽ ad illũ.

Septimũ. An detur medium inter relata.

Octauum. De partib. secundarũ substantiarum.

Nonum.

Dub.

Sol. 1.

Altera.

LOCVS.

DISTINCTIONES.

QVONIAM prædicamentum Quando nil aliud eſt, niſi relatio rei ſubiectæ Tempori, ad partem aliquam temporis, vt pateat quando fuerit, vel futura ſit; ideò ſat eſt egiſſe de Tempore. Similiter pro prædicamentis faciendi, & patiendi ſat eſt declaraſſe, quid ſit Agere; & Pati, cum nil aliud ſint niſi actus vnus, agentis, & patientis ſola ratione diſtinctus. Pari ratione pro attinentibus ad Vbi, & Situm, ſat eſt de Loco agere, cum prædicamentum Vbi nil aliud ſit, niſi relatio rei, quæ ſecundum ſe ſit in Loco, ad ipſum Locum: Situs verò ſit diſpoſitio eius in Loco. Diuiditur Locus in Locum formarum, & corporum. Locus formarum eſt duplex, vel ſpiritalium, vel realium ſiue principalium. Locus ſpiritalium eſt duplex; vel ſingularium, & huiuſmodi eſt ſenſus qui dicitur aptus ſuſcipere formas ſingulares ſine materia; vel uniuerſalium, & huiuſmodi eſt humana Mens, quæ in 6. cont. 3. de Anima abſolutè dicitur Locus ſpecierum, cum ſit ſedes vniuerſalium. Locus formarum realium ſiue principalium etiam eſt duplex, uel accidentium, vel ſubſtantiæ. Locus accidentium eſt corpus, & ſubiectum actu. Locus formarum ſubſtantiæ duplex, vel aſſiſtentium, vt Cœlum eſt ſedes motorum eius, uel formantium, qualis eſt materia, de qua Plato in Timæo loquens dixit, tertium genus Locus eſt, qui interit nunquam, & omnibus quæ gignuntur, ſedem præbet. Ex aduerſo Locus corporum eſt duplex; vel communis, ſic cęlum eſt Locus cõmunis ſingulorum mortalium; uel eſt Locus proprius, qui æquatur locato: & hic eſt duplex, uel ſecundum ſe, ut Elementum Terrę in Medio dicitur collocatum, uel ex accidenti: & hoc contingit dupliciter; Vel quia totum ſit in loco per partes, ut Ariſt. in 4. Phy. ait Cœlum eſſe in Loco per partes, quia non totum ut totum, ſed partes eius ſunt Loco præditæ; Vel contra, partes ex accidenti dicuntur eſſe in loco per totum, cui propriè locus competit, ut manus; & pes hominis, iunctæ homini. Datur itaq; Locus formarum ſpiritalium; formarum principalium quæ ſunt accidentia; formarum ſubſtantiæ aſſiſtentium; formarum formantium, & corporum; Propriè Locus eſt ille corporum, cęteri dicuntur per Metaphoram, ideò de Loco corporum erit ſermo.

Quando. — *Facere. Pati.* — *Vbi. Situs.* — *Diuiſio loci.* — *Locus corporum.* — *Locus multiplex.*

DEFI-

DEFINITIONES.

EX sententia Democriti, Leucippi, & Epicuri, Locus est inane immensum aptum recipere corpora, & esse sine illis. Syrianus præceptor Procli dixit, Locum esse interuallum formale, præditum facultate excellentiore ea corporum, per quam & sursùm & deorsùm includit. Damascius præceptor Simplicij dixit, Locum esse congruentem positionem partium vniuersi. Insuper esse mensuram positionis eorum, quibus positio competit: & latiùs esse determinationem naturalis positionis partium corporis, inuicem comparatarum, cum relatione ad totum, vel totius ad partes. Cui sententiæ satis adhæret Simplicius, qui tamen nititur opiniones varias conciliare. Proclus ex relatione Simplicij in quarto Phy. dixit, Locum esse corpus purissimum, immobile, indiuisibile, materiæ expers, aptum recipere materiata corpora. Per id purissimum corpus, Lumen denotabat, & per Lumen spiritum spiratum ab Anima Mundi, qui in cælo est sine alijs corporibus, & est ipsum cœlum, at alia non sunt sine eo, adeò ut antecedat Anima Mundi, sequatur spiritus, qui est Cœlum, & Locus succedant materiata corpora. Philop. dixit, Locum esse interuallum æquale Mundo, trina dimensione præditum, ex se omni corpore carens, nunquam tamen sine locato corpore existens, ut materia nunquam est sine forma. Cuius opinionis fuêre plurimi Academicorum. Aristoteles non censuit dari interuallum distinctum à dimensionibus corporum, quæ sunt in loco, propterea dixit locum esse intimam superficiem corporis, proximè ambientis, immobilem. Et latiùs explicantes conditionem loci dicere ualemus, quòd sit intima superficies corporis ambi entis immobilis secundum formam, seruans id, quod per naturam ad illum tendit, motuiq; eius terminum constituens. Connectentes autem interuallum cum termino possumus dicere, Locum esse interuallum immobile, terminatum intima superficie ambientis corporis, in quod nata in eo reperiri per naturam tendunt, & ab eodem seruantur.

Democritus. *Syrianus.* *Damasci.* *Proclus.* *Philop.* *Academici.* *Arist.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò ex sententia Aristo. in quarto Phy. 31. hæc videri secundum se competere Loco. Primò, ut contineat id cuius est Locus; Secundò, vt non sit aliquid locati, sed ab eo distinctum; Tertiò, quòd æquetur proximè locato; Quartò, vt non reperiatur sine locato indefinitè sumpto, seiungi tamen possit à definito locato; Quintò, vt sit præditus differentijs loci, nimirùm sursùm & deorsùm; Sextò, vt corpora per naturam ei loco respondentia, per naturam tendant in illum in eoq; requiescant, & seruentur. His etiam additur, quòd sit immobilis. Harum conditionum

Primum quod consideratur. Cõpetẽtia loco.

nonnullæ valent competere interuallo ; at non omnes, nam esse præditum differentijs, & facultate seruandi, ei competere non valent: intimæ autem superficiei locantis valent competere omnes, vt consideranti redditur notum.

Alterum quod consideratur. Dub. de immobilitate loci. Considero secundò, dubium esse, quomodo locus dictus de superficie ambientis dicatur immobilis? Nam cum ea superficies moueatur motu sui corporis, etiã, mouebitur locus. Quam ambiguitatem diluens dico, duplici ratione locum posse dici immobilem. Primò, quia consideratus ut terminus motus, non est mobilis *Sol.* sed terminus eius, veluti dixit Arist. in 5. Phy. cont. 3. quòd forma, quæ est terminus motus, nec mouet, nec mouetur. Secundò, quia locus duo includit. Vnum est tamquam materia, & est superficies ambientis, Alterum tanquam forma, & est definita distantia à cęlo, propriaq; relatio ad illud, cum enim Cęlum sit locus communis mortalium, & faber propriorum locorum per definitam distantiam ab eo Iure optimo ea dicitur tanquam forma & differentia locorum, secundum quam formam Locus est immobilis, sic nos in monte, flante vento sedentes seruamur in eodem loco secundum formam, at non secundum materiam. Quæ forma ea est, quæ situm principalem locutorum constituit.

Tertium. Considero tertiò, quod dum locus sumitur pro interuallo, omne corpus in vniuerso subsistens debet esse in Loco, nam reperiri debet in interuallo sibi æquali: at si vsurpatur pro superficie ambientis, secùs se habet: ita enim repugnat uniuerso esse in loco, vt ei repugnat contineri ab alio, nam si ab alio contineretur, non esset vniuersum. Propriè autem esse in loco competit corpori Physico mortali, egenti conseruante, prædito grauitate & leuitate, ob quas affectiones loca sibi varia exposcit, & per motũ rectum ex uno tendit in alium, & à continente terminum, & figuram recipit. Hinc Arist. in quarto Phy. Cęlum dixit ex accidenti solùm esse in loco, quatenus ei accidit, ut orbis vnus ambiat, & contineat alium.

Quartum. Dub. num omne corpus sit in loco. Considero quartò, iure optimo aliquem ambigere posse, & in dubium uertere id, quod dixi, nimirùm non omne corpus Physicum esse in loco, nam Arist. oppositum frequenter enunciauit, dixit enim sub initio quarti Phy. Etenim quæ sunt, omnes existimant alicubi esse: quod verò non est, nusquam esse. Insuper in 2. de Cęlo cont. 27. ostendit cęlum esse rotundum, quia si angulis esset præditus, & partes extremæ non æquè distarent à centro; dum reuolueretur, desereretur extrinsecùs inane, & extra Mũdum esset corpus & inane, quod derelinquit tanquam conspicuè absurdum. At si locus non esset interuallum, non superesset inane. Prætereà in primo de Anima. 38. inquit, omne quod mouetur, esse in loco, quare cum cęlum secundum se

Sol. moueatur, etiam secundum se iudicari debet in loco. De prima instantia dico ea verba fuisse prolata ex opinione veterum, putantium omnia, quæ sunt, esse corpora, & locum esse interuallum, & ideò dixit, etenim quæ sunt, omnes existimant alicubi esse. Vera autem est ea sententia ex opinione Arist. dicendo, omnia quæ sunt, esse alicubi, nimirùm modo eis consentaneo, & conditioni eorum congruente, sic & Deum ait esse in cęlo. De secunda difficultate dico morem fuisse Aristo. in loco non proprio vti opinionibus veterum magis communibus, & vulgatioribus, quod seruauit in eo 27. cont. 2. de cælo, ostendens figuram cęli exactè sphæricam esse: alioquin extra cęlum in reuolutionibus partium magis distantium à centro, desereretur inane, hoc est interuallum, in quo corpus aliquod non reperiretur. Tertia dubitatio depropta ex 1. de Anima 38. quo loci legitur omnẽ motũ esse in loco, ac ita cũ Cęlum ex se moueatur, ex se in loco erit, Soluitur 1. dicẽdo Ari. loqui de motib. sub cęlo factis, qui verè cõpetũt corporibus prẽditis loco, eoq; egẽtibus. Dico secundò motum cęli, & cęlum esse in loco

eo modo

eo modo qui ei est consentaneus,& mouetur Cęlum non ad locum secundum se,ita enim deberet esse secundum se in loco,sed mouetur secundum se in eo loco,qui illi congruit,eiq; est consentaneus. Dicebat autem Alexander, Cœlum potius moueri circa locum,quàm in loco, cum locus propriè solis mortalibus competat. Considero quintò, quòd iure quærere posset aliquis, quid nam sit prius num locus,vel corpus? Et varia dici possent pro omni parte,quæ silentio obuoluo,& breuibus dico,Vel locus vsurpatur pro interuallo; vel pro superficie ambientis. Si vsurpatur pro interuallo, absolutè dicendum est locum antecedere,primò enim requiritur interuallum,mox in eo corpus recipitur. At si vsurpatur pro intima superficie ambientis,vtendum est distinctione, & dicendum,vel locus refertur ad corpus locans,vel ad locatum:si ad locans, locus est posterior eo,primò enim consideratur corpus locans pro suo esse absoluto, secundariò uerò pro esse relato,nimirùm ut est locans;absolutum autem est prius relatione,& est fundamentum eius: At si referatur ad locatum,dicitur prior:locatum enim præsupponit locum in quo recipiatur,primò itaq; origine consideratur Cęlum Locans,& Faber locorum,mox corpora,quę in loco reperiuntur & seruantur. Considero Sextò, competere loco differentias,quarum duæ sunt principalissimæ,& in vniuerso per naturam distinctæ,nimirùm sursùm,& deorsùm,has constituit Faber locorum,hoc est Cęlum,per accessum,& recessum ab eo. Hæ ab Aristo.uarijs denotantur nominibus,dicuntur enim Principia,Oppositiones,Distantiæ,Differentiæ,Loca,& Loci partes. Sunt Principia dimensionum,& motuum; sunt Oppositiones, quia inuicem cum quadam relatione opponuntur;sunt Distantiæ,quia una ab altera sibi opposita longissimè distat; sunt Differentię,quæ diuidentes locum,tanquam genus,constituunt uarias eius distinctas species;sunt Loca uariorum Elementorum; sunt demùm Partes loci communis omnium. Considero septimò Locum & Locatum debere sibi quadam conditionum similitudine respondere,ueluti ignis, simillimus cęlesti corpori,locum sibi optat Cęlo proximum; Terra autem, cuius conditio, à conditione Cęli maximè distat,loco etiam maximè distare debuit: cætera Elementa conditione quadam media prædita,in medio sunt collocata.Hanc consimilitudinem indicauit Aristo.in 1.de Cęlo cont.20.inquiens,cùm Barbaros,tùm Gręcos omnes,putasse Cęlum esse Sedem Dei,immortale immortali aptantes, nec secùs se habere posse,sic ut purissimus absolutè est Deus, ita inter corpora purissimum est Cęlum.Deus absolutè est Amplissimus;Cęlum amplissimum inter corpora.Deus est motor potentissimus;Cęlum mouetur uelocissimè. Deus est uita uniuersi;& Cęlum mouetur motu diurno,qui dicitur motus totius,& uita uniuersi.Deus à nullo continetur,nilq; habet supra se: & Cęlum nulli corpori subijcitur,sed alia cuncta intra suos terminos claudit.Deus absolutè est principium primum,cuncta producens,& seruans,uiresq; suas per omnia effundens; Cęlum inter corpora duplici instrumento præditum, nimirùm lumine & motu,uires suas effundit in alia,eaq; tanquam communis causa,fouet,producit, & seruat.Si autem similitudo refulget inter Dei sedem & Deum,quamuis per infinitam distantiam secernantur,longè magis refulgebit inter corpora, & sedes eorum,cum ambo finita sint. Octauò considero,quatuor modis aliquid posse esse in loco. Primò secundum eminentiam, ut motores Cęlorum, qui uel secundum operationem transeuntem,ut censuit D.Th.uel per essentiam,& contactum uirtutis,ut censuit Scotus,sunt in loco.Secundò potestate,vt partes corporis locati,iunctæ locato. Tertiò actu,vt corpus totum locatum, & partes eius

Quintum. Num locus antecedat corpori Sol.

Sextum.

Differentię loci.

Septimũ.

Octauum.

Modi 4. quibus aliquid est in loco.

Nonum. Dub. ius seiunctæ à toto, & præsertim mobilis motu recto. Quartò ex accidenti, vt accidentia, Anima, & Cęlum, modo tamen vario. Considero nonò, non leuem se nobis offerre difficultatem de Loco, Tempore, & Motu. Nam agens de prædicamentis, dixi sola mortalia in serie prædicamentorum collocari, Motus primus, & Motus Planetarum æterni sunt: Similiter Tempus, quod pro absoluto idem est cum primo motu: insuper locus communis, qui est intima superficies Cęli, æternus est: Quare statuere pro prædicamentis Quando & Vbi, ac insuper dicere motum esse in prædicamento Quantitatis; & ex aduerso asserere in serie prædicamentorum sola mortalia reperiri, est proferre conspicuè pugnantia. Sol. Respondeo primò dicendo cuncta modo aliquo redigi ad prædicamenta, & æterna sunt saltem in prædicamentis secundum similitudinem, vt dixi in cap. de Prædicamentis. Aristo. autem consueuit ea etiam inter inclusa in prædicamentis referre, quæ secundum similitudinem in eis reperiuntur. Insuper addo Prædicamentum Quando, & Vbi denotare relationem rei existentis in tempore, & Loco, ad tempus, & locum: propriè autem in loco & in Tempore sola mortalia sunt collocata, & ideò Quando, sumptum pro prædicamento, est relatio rei mortalis, subiectæ Tempori, ad Tempus: Vbi uerò est relatio rei mortalis, quæ propriè est in Loco, ad Locum, adeò vt locus, & Tempus vt iuncta & competentia mortalibus inter mortalia referri ualeant. Considero Decimò iure in dubium uerti posse, quomodo Locus dicatur affectio corporis Physici? Nam affectio sequitur id cuius est affectio, non autem antecedit: locus autem antecedit, & supponitur à Locato. Respondeo per duo fundamenta. Primum est, quòd locus semper supponit corpus aliquod Physicum, cum sit intima superficies eius. Alterum est, quòd propria affectio corporis Physici mortalis est esse in loco, ac ita locus potest dici affectio cùm ex parte locantis, tùm ex parte locati. An Mathematicis competat Locus & alia ad loci notitiam attinentia? Legi possunt in lib. de Communibus Affectionibus corporis Physici in digressione de Loco.

Decimum, Dub. Sol.

VA-

VACVVM, SIVE INANE.

DIVISIONES.

INANE vsurpatur dupliciter, vel per metaphoram, vel magis propriè, cum quadam ad locum, & corpus relatione. Per metaphoram dicitur de appetitionibus, quæ non attingunt finem, & de quauis priuatione: sic dicimur vacui diuitijs, cogitationibus, & alijs similibus. Magis propriè autem dicitur quinque modis; Vel de Nihilo, in qua significatione dicere possumus extra Cęlum reperiri inane; Vel de corpore sub sensum non cadente, vt de loco pleno aëre; Vel de loco, in quo non reperiatur id corpus, cuius gratia paratus, est, veluti domus non habitata, quamuis sit plena lapidibus, tamen dicitur vacua; Quartò pro prima materia, quæ est tanquam effusio quædam, apta recipere molem & dimensiones, ad formam attinentes, vt dicitur in 4. Physico. cont. 15. nec non 59. Quintò pro interuallo, quod veteres putârunt esse locum. In primis quatuor significationibus non est dubium dari vacuum, & conceditur ab Aristo. solùm est dub. de quinto significato. Insuper Vacuum quinto modo sumptum diuiditur, quia vel est cum corpore iunctum, & dicitur plenũ, vel ab eo seiunctum, & absolutè dicitur vacuum. Præterea vel reperitur solùm extra Mundum, vel extra & intra, vel solùm intra.

Inane per Metaphoram. *Propriè.* *Alia diuisio.*

DEFINITIONES.

VACVVM est Locus, carens corpore, apto in eo recipi. Insuper est interuallum, in quo cum sit aptum reperiri corpus, non reperitur. Vel (ex sententia Zenarchi) est interuallum susceptiuum corporum, siue cui nil repugnat recipere corpus, cum tamen nullum in eo reperiatur.

Definitio 1. 2.

ANNOTATIONES.

DE Inani verba feci in lib. de Communibus Affectionibus corporis Physici, ideò nunc breuior ero. Considero primò de Inani, sumpto pro interuallo, varias fuisse Veterum opiniones. Nonnulli enim id putârunt dari, & existimârunt esse extensione infinitum, partim corpore plenum, partim non; & putârunt reperiri seorsùm à corpore, cùm intra Mundum, siue Mundos, tùm extra, cuius opinionis fuêre Democritus, Leucippus, Epicurus, & Lucretius. Alij 1.
existimârunt, non intra, sed solùm extra Mundum reperiri sine corpore, veluti 2.
existimârunt Stoici. Tertiò nonnulli putârunt, solùm debere concedi huius- 3.
modi

Primum quod consideratur. Opiniones variæ.

modi interuallum æquale Mundo, adeò vt extra Mundum nihil esset; & existimârunt vndequaq; esse repletum corpore, adeò vt sine corpore non reperiretur; & huius opinionis fuère Academici, Platonem sequentes & cum eis Philoponus. Quartò putârunt alij solùm dari interuallum æquale Mundo, dissen-
4. serunt tamen à Platone, quia intra mundum putârunt alicubi reperiri posse si-
5. ne corpore, cum quadam tamen violentia. Quinta opinio fuit Aristo. qui id interuallum absolutè reiecit, nec existimauit dari dimensionem vllam, distinctam ab ea corporum, adeò vt redacto per imaginationem Mundo in Nihilū, nil absolutè superesset: affirmauit tamen minus esse absurdum concedere huiusmodi interuallum iunctum cum corpore, quàm seiunctum. Hæc fuit opinio

Alterum quod consideratur. Aristo. explicata ab eo in 4. Physicorum, aduersus quam inuehitur Phylop. & multa dicit, quæ nolo referre. Considero Secundò, quòd cum ex sententia Aristo. non detur locus sine corpore, dum corpus per aërem vel aliud intermedium mouetur, & in locum corporis moti succedat corpus, & portio aëris intermedij, reiecto cum Arist. interuallo, non debemus dicere sequi partes aëris pro replendo loco, vt est dicendum ex sententia putantium id interuallum da-

Tertium. ri, & communiter dicitur, sed asserendum est corpora esse iuncta, & moto vno trahi necessariò aliud sibi iunctum, quia interuallum aliquod non reperitur seiunctum à dimensione corporum. Considero tertiò sententiam fuisse Zenarchi, & Stoicorum non esse dicendum Inane esse Locum, natum recipere corpus, nam si ita loqueremur, cum detur, ex eorum opinione, Inane, & interuallum infinitum, id esset frustrà, cum non detur corpus infinitum aptum in eo recipi, sed solùm esse dicēdum, quòd sit susceptiuus corporum, hoc est, quòd eius conditioni nil repugnet suscipere corpus. At inaniter hæc dicunt, nil enim reperiri debet, quod in finem non dirigatur: interuallum autem in aliud ordinatum esse non ualet, nisi in id, ut corpus recipiat, alioquin fine careret. Ex quo patet, quòd cum Zenarchus neget esse dicendum, interuallum esse aptum recipere corpus, ne detur aliquid frustrà, simul ponit aliquid frustrà, cùm ponat in-

Quartum. *Chaus.* teruallum non ordinatum in finem, at mos fuit Stoicorum frequenter mutare verba, at non sententiam. Considero quartò, putasse nonnullos id interuallum, in quo Mundus est collocatus, fuisse denotatum per Chaum, nam Chaos susceptaculum denotat, sic Aristo. in 4. Phy. cont. 6. sententiam Hesiodi de Chao interpretatur, In 12. autem Meta. cont. 9. explicans sententiam Anaxagoræ de uno, hoc est de Chao ait id fuisse materiam, neq; ob id secum pugnat Arist. quia

Opiniones de Chao. in 4. Physic. 59. materia dicitur inane quoddam, ideò inquit, quidam aiunt inane esse corporum materiam. Nam quid denotet Chaos, quatuor sunt opiniones. Vna, quòd sit interuallum in quo collocatus est Mundus. Altera, quòd sit Materia prima. Tertia, quòd sit Diuina Mens, cuncta eminenter, & sine vlla distinctione includens, ex qua cuncta prodeunt. Quarta, quòd re vera sit confusio, & permixtio cunctorum corporum consimilium, vt refertur à Platone, & Aristo. & dicitur consimilium, quia Chaos dicitur mixtio prima corporum, quæ debet esse ex corporibus primis, qualia ab eis dicebantur consimilia,

Quintum. nam dissimilia alteram exposcunt compositionem. Considero quintò, quia Inane dicitur locus ordinatus pro corporum receptione, & suo fine frustratur, ideò per metaphoram deinde omne quod finem non consequitur, dicitur inane, quamuis nomina eorum propria, cùm Græca, tum latina distincta sint: similiter omne nudatum alio, quod intrinsecus sit natum recipere, dicitur vacuum: sic Mens dicitur vacua cogitationibus, & Animus vacuus affectionibus, cùm probis, tùm improbis, id tamen dicitur de his, quæ intrinsecus recipiuntur, nam

de

de extrinsecùs recipiendis,dicitur nudum,non vacuum vt corpus dicitur nudū indumentis,Considero Sextò in uniuerso absolutè non reperiri Inane, ut enim non datur sumptum propriè cum relatione ad Locum,ita non datur sumptum per metaphoram,quod præsertim est duplex,uel relatum ad seriem, & gradus requisitorum pro Vniuersi constitutione,uel relatum ad rerum species, earūq; partes in finem proprium directas. De primo dicimus, nil deesse pro Mundi perfectione,repletos esse gradus omnes rerum, & in æternis esse, & posse non distingui, ut legitur in 3.Physi.32.De altero dicimus, Deus & Natura nil faciunt frustrà,ut legitur in 1 de Cęlo 31.& in 2.legitur Naturam nil facere frustrà,nil in operibus eius esse redundans,nilq; diminutum,& alia consimilia frequenter à Philosopho proferuntur. Quæ sententia uera est, dum considerantur attinentia ad species,& ea quæ sunt secundum se:ex accidenti autem, & in indiuiduis multa reperiuntur inania, quod pendet ex imbecillitate materiæ: Hinc materia dicitur ianua per quam Casus,& Fortuna sorores spuriæ Parcarum exstrusæ à Cęlo,ingrediuntur in mortalium orbem, nam in Cęlo absolutè nil casu & forte fortuna factum inspicitur. Sextum.

Considero septimò, quòd Vacuum nonnunquam dicitur consimilis naturæ, & conditionis: nonnunquam uerò nec consimilis, nec dissimilis,& utrumq; de eo rectè dici potest. Nam primò est consimilis naturæ per negationem, quatenus nulla in eo reperitur dissimilitudo,nec positionum distinctio,ueluti sursùm,& deorsùm distincta conditione & facultate prædita. Ex aduerso ratio est naturæ consimilis,vel dissimilis, per affirmationem,quia non est forma,& actus aliquis, sed pura priuatio: consimilitudo autem, & dissimilitudo ad actum,& formam pertinent.Quæstio an detur,vel non detur Vacuum, quia alibi resoluta est, hoc in loco silentio obuoluitur. Septimū.

INFI-

INFINITVM.

DIVISIONES.

Quinque Infinite significata.

ARISTO. in 3.Phy.cont.34. quinq; refert Infiniti significationes. Nam primò datur Infinitum per negationem, & est id, quod non est natum pertransiri, vt vox dicitur in uisibilis: sic extra Cęlum concedi posset infinitum, quia nil ibi est, quod sit aptum pertransiri. Secundò pro eo, cui cōpetit transitus sine fine, vt dicimus reuolutionem Cęli infinitam esse, & hoc est infinitum per priuationem finis. Tertiò sumitur pro eo, quod cum difficultate transiri potest, sic stellæ cæli infinitæ dicuntur. Quartò pro non prædito postremo suo fine, vt domus semiconstructa dicitur infinita. Quintò pro infinito diuisione, & additione, vt numerus dicitur aptus augeri in infinitum, & continuum diuisibile in infinitum. Insuper diuidi potest Infinitum, in infinitum actu, & infinitum potestate: Infinitum actu est duplex, vel intensione, vt re uera Deus dicitur infiniti roboris, uel extensione, & multitudine, & hoc non conceditur ab Aristo, nec extensione, ut in quanto continuo, nec multitudine, ut in discreto. Ex aduerso Infinitum potestate est quincuplex; Vel mora, & conseruatione continuata, ut motus Cęli; Vel conseruatione non continuata, ut generatio mortalium; Vel diuisione continui; Vel accretione, diuisioni opposita, ut diuidendo continuum, & partes diuisi primæ medietati addendo; Vel quintò accretione absoluta in infinitum, vt numerus dicitur aptus crescere in infinitum. Tertiò diuidi potest Infinitum; quià vel est infinitum supra terminos, ut Deus est infiniti roboris; uel infra terminos, & huiusmodi est Materia prima, quæ est ex se nullo sit termino circumscripta, infinita, uel potius indefinita dicitur hac ratione Plato in Philebo Infinitum, & Terminum principia generationis statuebat, denotans nomine Infiniti materiam. Demùm Infinitum septuplex est; uel intensione uirtutis, ut Deus; uel intensione actionis, ut creatio, & actio ex corpore infinito prodiens, ueluti si in infinitum cresceret ignis, in infinitum cresceret actio eius; tertiò consideratur infinitum in extensione molis; quartò in diuisione; quintò in additione, opposita diuisioni; sextò in absoluta accretione, ut numerus est aptus crescere in infinitum; septimò in mora, & conseruatione, ut Cęlum & motus eius ex sententia Aristo. Quorum septem modorum tres primi reijciuntur ab Aristotele, reliqui conceduntur. Ego autem constanter concedo primum nimirùm Deum esse immensi roboris; similiter & secundum inclusum in creatione, exposcente uires immensas.

Altera diuisio. Infinitum. actu. Infinitū potestate quīcuplex. Tertia diuisio. Quarta diuisio.

Infinitum septuplex.

DEFI-

DEFINITIONES.

INFINITVM est affectio quanti, nullo termino circũscripti, siue est quantum nullo fine terminatum. Aristo. in 1. de Cœlo 130. inquit, Infinitum est id, quo non est maius. Quòd ita debet intelligi, ut eo nil sit maius, non secundum solam existentiam, alioquin Mundus esset infinitus, sed etiam secundum Imaginationem. Auer. in 1. de Cœlo 35. & in 3. Physico. 43. ait, Infinitum est maximum omniũ quantitatum, addas, etiam imaginatione apprehensarum. Insuper Infinitum est id, quod exuperat omne finitum excogitatum. Insuper Infinitum est id quantum, quod vt infinitum, caret principio, medio, & fine. Prætereà definiebatur à nonnullis Infinitum, quod esset id, extra quod nihil esset: At per hanc circunscriptionem Mundus esset infinitus. Ideò rectiùs Arist. in 3. Phy. 62. ait, Infinitum esse id, in quo semper aliquid est vltra accipere. Quare ab eo non recedentes dicamus, Infinitum est quantum, quod cum termino careat, in eo semper est aliquid vltra accipere.

Arist. *Auer.* *Veteres.* *Emẽdatio.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò sententiam esse Aristo. in 1. Physicor. 15. Finitum, & Infinitum esse affectiones Quanti; nam proprie, & primò de solo quanto dicuntur. At, cum Quantum sit duplex, continuum & discretum, in dubium vertitur, cui primò competat, num continuo, vel discreto? Regula est Topica, vt se habet de subiecto, ita se habere de affectione: quare cum discretum sit prius, & simplicius continuo; ei priùs etiam conuenient affectiones. Ex aduerso Aristo. in 3. Phy. cont. 1. ait, Infinitum primò apparere in continuo, cum definiatur, quia sit aptum diuidi in infinitum. Pro solutione dico, me alibi affirmasse infinitum primò competere continuo, nunc autem sine pugna addo vtrumq; in parte esse verum, nam discreto competit posse crescere in infinitum, quæ accretio dupliciter consideratur. Primò vt consurgens ex diuisione continui, nam quia continuum est aptum diuidi in infinitum, numerus partium est aptus crescere in infinitum, vt dicitur in 3 Physico qua consideratione infinitum primò, & tanquam origini competit continuo. Secundò ea accretio in infinitum potest considerari, vt absolutè competit numero numeranti, ratione propriç cõditionis, & quia numerus est prior, & simplicior continuo, & in eo priori ei competit ea affectio, ideò hac consideratione priùs ei competit. Adeò vt dicere valeamus si loquimur de numero numerante, secundum se considerato, infinitum primò ei competit. At si loquimur de numerato, primò competit continuo, ex cuius diuisione consurgit infinitum numeri numerati. Nec est absurdum, quòd infinitum modo aliquo primò competat continuo, quia infinitum sequitur materiam, continuum est magis materiatum, quàm discretum, ideò hac ratione infinitum valet ei primò cõ-

Arist. *Primum quod considerat.* *Regula.* *Resol.*

Ff petere,

Alterum consideratum. petere,& Arist.in 3.Phy.cont. 1.considerauit infinitum, vt ex diuisione continui prodit. Considero secundò, de Infinito dici, quòd secundum se sit ignotum vt legitur in 3.Physi.66. Quæ sententia est dubia, Nam Deus re vera est infinitus, Deus autem absolutè est primum cognitum,& Deus Lucidissimè noscit se ipsum. Præterea Infinitum definitur; de eo ostenduntur variæ affectiones; & de eo nititur Arist.in 3.Phy.& in primo de Cęlo scientiam tradere. Confirmatur, quia omne quod est, continetur sub communi obiecto Mentis: Infinitum autem modo aliquo est: quare vt est, ita est aptum nosci. Pro solutione accipio Infinitum posse dupliciter considerari. Primò, vt est natura, & essentia quædam vna, sua conditione prædita, ac ita est aliquid definitum, contradistinctum ab alijs, quod propria definitione explicatur, Menteq; apprehenditur; qua consideratione dixit Arist.in 1.de Cęlo cont. 130. Infinitum esse definitum quoddam,& vnum. Secundò consideratur, vt Infinitum, ad mensuram, & numerũ partium relatum,& quia nulla mensura, nulloq; numero comprehendi potest, ideò hac ratione est ignotum,& repugnat ei comprehensio, vt ei repugnat terminus: sic numerus infinitus, nec numerari, nec par, nec impar dici potest & corpus infinitum vt infinitum est, nulla Mente comprehendi potest, quia comprehensio est intra terminos, qui infinito vt est infinitum repugnant. Hinc Infinitum describitur per negationem,& priuationem, dicendo id carere,& priuatum esse terminis.

Infinitum an ignotũ?

Infinitum dupliciter considerari

Soluuntur Instantiæ. Instantia de Deo infinito, distinctè noscente seipsum, Soluitur dicendo, ei non competere notitiam sui tanquam obiecti distincti à cognoscente, sed noscere se per propriam essentiam. Et cum ita Deus se noscat, lucidè noscit essentiam suam vt naturam vnam, & simplicem; non autem apprehẽdẽdo terminos suæ intensionis, cum huiusmodi termini ei repugnent. Ex his patent etiam solutiones reliquarum obiectionum, quæ hoc solùm ostendunt, quòd infinitum vt est essentia,& natura vna, sua conditione prædita, sub scientiam cadit.

Tertium. *Num Infinito competat ratio.* Considero tertiò sententiam esse Aristo.in 8.Phy.16. nec Infiniti ad Infinitum, nec Finiti ad Infinitum vllam esse rationem. Quæ sententia in dubium vertitur; tum quia duo infinita dicuntur æqualia, cum vnum non sit maius altero, inter æqualia autem est ratio, siue proportio, quæ dicitur æqualitas; tum quia reuolutiones Planetarum ex sententia Aristo. sunt infinitæ, & inter eas est ratio, nam dicimus reuolutionis Solis esse triplo plures reuolutionibus Martis,& eas Lunæ esse duodecuplo plures reuolutionibus Solis. Vt enim pars reuolutionum se habet ad partem, ita vniuersæ ad vniuersas.

Sol. Pro solutione dico primò rationem,& proportionem solùm versari inter quanta finita, & terminata, vt patet ex earum definitionibus traditis, ab Euclide in quinto suorũ Elementorum. Accipio secundò, duo infinita inuicem comparata, nec æqualia, nec inæqualia propriè dici posse, æqualitas enim,& inæqualitas considerantur in terminis quantitatis, qui infinito non competunt. Duo tamen infinita possunt dici æqualia per negationem inæqualitatis, quatenus vnum non excedit alterum, vt in 2.de Cœlo docet Auer. Accipio tertiò, Infinito non propriè competere partes, nisi infinitas, vt dicendo præteritum & futurum esse partes temporis, Nam (vt docet Aristo. in quinto Metaphysicæ) propriè partes illæ dicuntur, quæ aliquoties sumptæ constituunt totum, quod infinito non competit, nisi partes quoq; infinitæ sint. Ex his eliciuntur solutiones aduersarum rationum. Instabatur primò, quia Infinito competit saltem ratio æqualitatis. Soluitur per id, quod dixi, nimirùm infinita propriè nec æqualia, nec inæqualia dici posse. Instabatur insuper, quia inter reuolutiones Planetarum

est

est ratio. Respondeo inter eas esse rationem, dum considerantur vt factæ tempore aliquo finito, at dum considerantur vt infinitæ, nulla sunt ratione connexæ: & ea regula, vt pars ad partem, ita totum ad totum, vera est de illis, quibus propriè competit conditio totius, & partis, quæ, vt dixi, non competit Infinito. *Regula.* Sic horæ præteritæ, non sunt plures quàm dies, dum considerantur ut infinita sunt ambo, nec inter ea est ratio uigecupla quarta, qualis est inter eas, quæ latè dicuntur partes. Considero quartò, in Infinito non seruari conditionem ordinis. *Quartum. Infinitum caret ordine.* Ratio est, quia ordo exposcit relationem ad principium unum, siue finem, ut patet ex quinto Metaph. Infinito autem, nec principium, nec finis competit: At afferri possunt uariæ instantiæ. Nam regula est in ordinatis ex accidenti dari progressum in infinitum: quare ordo, & infinitum non inuicem pugnant. Præterea, cui competit prius & posterius, etiam competit ordo: In Infinito locum habent prius, & posterius: quare & ordo. Nam dicimus reuolutionum Cœli quasdam esse priores, alias posteriores: similiter Annorum, Mensium, Dierum, Horarum, & similium, dicimus quædam esse priora, alia posteriora, quod conspicuè patet de tempore, quod cum ab Arist. iudicetur infinitum, tamen est præditum ordine, præteritum enim est prius præsenti, & præsens futuro. *Solutio.* Respondens dico regulas semper debere intelligi secundum se, nam ex accidenti, regula omnis potest apparere falsa. Sic in Infinito, ut est infinitum, nullus seruatur ordo, cum nec primum, nec ultimum in eo locum habeant. Dum autem in eo uel per relationem ad nos, uel quouis alio modo terminum aliquem consideramus, sic per relationem ad illum terminum, includere potest & ordinem, & prius ac posterius, ut per instantias refulsit. Dicebatur primò in ordinatis ex accidenti dari progressum in infinitum: quare ordo, & infinitum non inuicem pugnant. Respondeo, ordinata ex accidenti esse indiuidua eiusdem speciei, quæ sunt prædita ordine, non ut sunt infinita, ita enim auus non est prior nepote, Nec Pythagoras Aristo. sed per relationem ad nos, & ad terminum aliquem excogitatum. Sic etiam præteritum & futurum per relationem ad terminum præsentem ordinata dicuntur. Eodem fundamento soluitur alia dubi. quæ est, num Infinito possit aliquid addi? *Num Infinito possit aliquid addi?* Id enim fieri posse videtur, quoniam reuolutionibus Cœli præteritis, quæ ab Aristo. iudicantur infinitæ, quotidie nouæ superadduntur, & noui homines quotidie generantur, cùm tamen præteriti ab Aristo. iudicentur infiniti. Nam huiusmodi infinitis continenter aliquid additur, non ut sunt infinita, sed ea ex parte, qua sunt prædita termino. Considero quintò, in dubium uerti, an detur infinitum actu? *Quintum. An detur infinitum actu?* nam infinitum potestate conceditur ab omnibus, infinitum uerò actu à nonnullis conceditur, ut ab Anaximandro, à Democrito, & alijs quibusdam, ab alijs uerò renuitur, & præsertim ab Aristo. in 3. Physicor. & primo de Cœlo. Quòd autem concedi debeat, ostenditur. Nam unicuiq; potentiæ respondet actus, ne sit frustrà; quare cum detur infinitum potestate, debet etiam dari infinitum actu. Confirmatur, quia subiectum necessariò sequuntur eius affectiones: quare cum detur quantum, necessariò dari debent cùm finitum, tùm infinitum, quæ sunt affectiones eius. Insuper ex secundo libr. de Cœlo, si datur unum oppositorum, datur & alterum, alioquin uniuersum non esset uniuersum; sed datur finitum, ergo & Infinitum: datur infinitum potestate, ergo & actu, cum sint opposita. Præterea, Deus est actus purissimus, & infinitus. Demùm grana Arenæ Maris infinita uidentur, cum à nullo numerari queant. Breuibus soluens dico, Infinitum actu uel consi-

Sol. deratur in formis à materia solutis, uel in numero, & magnitudine. Prima consideratione ex uerjore sententia (quicquid putet Arist.) competit Deo, & ei soli, qui immensi est roboris, cuius centrum dicitur ubiq;, & circunferentia nullibi, cum nullo termino sit circunscriptus. In numero autem, & rebus materiatis locum non habet: Natura enim finem quærit, & infinitum renuit, ut dicitur in octauo Physico. 48. Insuper Natura distincta consideratione dicitur ordinata, ordo, & causa ordinis: Infinito autem non competit ordo, ex 8. Physic. 16. Prætereà id quod ex se est, & ex alio non pendet, potest quidem esse infinitum; at ea, quæ sunt ex alio, & pendent ex alio, nequeunt esse infinita, quia eis competit ut sint in finem & actum deducta, absoluta, & terminata, quæ repugnant infinito, & si essent infinita, tunc in eorum constitutione per transiretur infinitum, quod fieri nequit. Instantiæ facilè diluuntur. Dicebatur primò datur infinitum potestate in rebus materiatis; igitur & actu. Consequutio negatur: at ostendebatur primò, quia unicuiq; potentiæ respondet actus, ne sit inanis. Respondeo actum respondentem infinito potestate, non esse infinitum actu, sed esse hunc, ut numquam terminum attingat, ueluti in diuisione, quòd non liceat ad indiuisibile deuenire, nam esse huiusmodi infiniti positum est in successione, & actus eius est, ut successioni terminus competere absolutè non ualeat. Addebatur, cum detur subiectum, debere dari eius affectiones. Respondeo debere dari, ut aptæ sunt ei competere: sic Infinitum competit Quanto, ut eius conditio exposcit, & aptum est ei competere. Instabatur, si datur unum oppositorum, datur & alterum: at datur Finitum, quare & Infinitum. Respondeo, regulam esse ueram de contrarijs conducentibus pro Mūdi perfectione, non de oppositis per habitum & priuationem, ut Finitum & Infinitum, Plenum & Inane. Præterea, si datur unum oppositorum, datur & alterum, ut aptum est dari, & ita datur infinitum ut aptum dari. Grana Arenæ absolutè infinita non sunt sed solùm ex parte nostri, qui non ualemus ea numerare.

Diluuntur instantiæ.

Sextum. An infinitum possit pertrāsiri? Sexto loco considerandum occurrit, num Infinitum possit modo aliquo pertransire, vel pertransiri? Videtur, quòd sic, tum quia continuum diuisibile in infinitum pertransitur, & tempus præteritum infinitum pertransiuit, vt pertransierunt reuolutiones præteritæ Cæli. Soluitur dicendo, Infinitum vt infinitum nec pertransire, nec pertransiri pósse, nam id propriè dicitur pertransire, & pertransiuisse, cui competit initium, & finis sui transitus: continuum, vt diuisibile in infinitum, non potest pertransiri, sed solùm vt finitum & terminatum est: Tempus præteritum non propriè transiuit, sed semper fuit, vt semper fuerunt reuolutiones Cœli; futuræ autem semper erunt, vt futurum tempus erit semper.

Septimū. An infinitum moueri possit. Septimò considero, in dubium verti posse, num Infinito ualeat competere motus, vel ne? Aristo. in 1. Phy. 24. inquit, quòd si id, quod est, esset infinitum, non ob id esset immobile, nam in se moueri posset. Ex aduerso in 3. Physi. & in 1. de Cœlo negat infinitum posse moueri. Non enim potest moueri motu recto, quia uniuersum occuparet, nec locum desereret, in quem tendere posset. Nec in orbem, quia sic terminatum esset. Insuper non posset moueri secundum naturam, nec præter naturam, Nec in tempore, quia nullum posset assignari tempus, in quo moueretur, nec sine tempore, quia non esset motus. Soluitur dicendo Infinitum posse considerari dupliciter, uel secundum totum, uel secundum finitas partes: secundum totum non posset moueri, ut patuit: at secundum partes latè sumptas moueri posset. Hanc distinctionem indicauit Aristo. in 8. Physic. 17. ex qua elicimus Infinitum non posse moueri,

Sol.

ut

vt infinitum, sed vt consideratur per finitas partes, vt partes aquæ in eodem quiescente vase agitantur, & reuoluuntur. Octauò quæri potest, num omne infinitum ex materia prodeat? Cum enim materia ex se omni careat termino, & origo sit potentiæ, etiam infiniti videtur esse origo, cum detur infinitum potestate. Hinc Aristo. in 3. Physico. ait, Infinitum ad materiam attinere, terminum verò ad formam. Respondeo Infinitum esse duplex, vel actu, & hoc ad formam simplicissimam, & primam pertinet, nimirùm ad Deum; vel potestate, quod competit Quanto, & hoc sequitur vel materiam, vel modum eius, nam continuum, & partes sunt materia Mathematica, quam materiam comitatur Infinitum potestate, vt patuit in præcedentibus. Si tamen consideramus Infinitum in mora, & conseruatione; id primò, & præsertim ex actu prodit, vt patet de motu æterno, & alijs. Insuper in dubium verti posset, num Infinitum denotet perfectionem, vel imperfectionem? Præterea quomodo Physicus & Mathematicus de Infinito consentire, & dissentire videantur? Similiter alia plura considerari possent, quæ silentio prætereo, cum in libr. de Communibus Affectionibus sint declarata. *Octauum. Num infinitum omne ex materia prodeat? Sol.*

HABERE.

DIVISIONES.

ARISTO. in quinto Metaph. nec non in Postprædicamentis varias refert significationes ipsius Habere, quas silentio prætereo, cum vnicuiq; liceat eas legere, solùm dico Habere vsurpari dupliciter, vel latè, vel pressiùs, vt constituit vnum decem prædicamentorum. Si vsurpatur latè, extenditur ad omne, quod ad nos pertinet, & modo quouis nobis competere dicitur, sic dicimur habere animam, partes, indumenta, seruos, filios, diuitias, locum, tempus, scientias, & alia innumera. At si pressiùs vsurpatur, ut distinctum prædicamentum constituit, denotat habere aliquid circa corpus, uel partem corporis, ab habente, eiusq; conditione distinctum, ueluti habere Arma, indumenta, annulum, calciamenta, & similia. *Diuisio.*

DEFINITIO.

HABERE est continere, vel contineri totum hominis corpus, vel partem, ab aliquo externo eius conditioni congruente, sine quo tamen subsistere valeat. *Definitio.*

DE RERVM DEFINITIONIBVS

ANNOTATIONES.

Primum considerandum. CONSIDERO primò, quòd cum Habere pro prædicamento debeat esse vniuocum, etiã debet vsurpari propriè, pro quo tria considerantur, primò habens, secundò id quod habemus, *Alterum.* tertiò medium, & hoc dicitur Habere. Considero secundò, quòd dicitur in definitione continere, vel contineri, quia homo continet gladium, ensem, Arcum; continetur autem ab indumento, & lorica, & continetur vel totum corpus, vt à tunica, vel pars, vt à Pi- *Tertium.* leo caput, ab annulo digitus. Considero tertiò, quòd pro continente, vel contento accipitur hominis corpus, quia dum propriè vsurpatur Habere, præsefert imperium quoddam erga id, quod haberi dicitur; Imperium autem est proprium hominis, hinc minus propriè equus dicitur habere frenum, sed rectiùs *Quartum.* dicitur detineri freno, & sella stratus. Considero quartò, quòd in definitione additur ab externo; quia homo non propriè habet animam, sed constituitur per Animam; nec propriè habet partes, sed constat ex partibus; neq; etiam propriè habet scientias, & affectiones, sed est earum habitu, vel dispositione præditus. Aliud enim est habitus, & dispositio: aliud Habere, sumptum pro prædicamento. Addebatur id externum debere congruere conditioni habentis, sic homo non vniuocè diceretur habere iugum, vincula, & similia: & quia homo non propriè dicitur habere tempus, & locum, sed mensurari tempore, & esse in loco, quæ constituunt prædicamenta Quando, & Vbi: ideò additur, quod valeat sine eo reperiri, & subsistere. Ex his etiam constat, quòd dum dicimus Plantas habere folia, flores, & fructus, id non propriè pertinet ad prædicamentum Habere, quia ea, quæ relata sunt, sequuntur intrinsecus conditionem Plantarum, non autem sunt aliquid absolutè distinctum à Planta. Habens autem debet absolutè distingui ab eo, quod dicitur propriè Habere; & debet denotare imperium quoddam, & dominium, vt dixi.

APPE-

APPETITVS DIVISIONES.

TRIA ſunt inuicem connexa, nimirùm Appetens, Appetibile, & Appetitio, quæ inter ea duo mediat, eaq; connectit, nomen Appetitus vſurpatur, & pro facultate Appetente, & pro Appetitione media; at ex. unius explicatione, refulget alterum, ideò modò de media appetitione præſertim erit ſermo. Quinq; ſunt Gradus appetitionum, ut quinq; ſunt principales gradus rerum. Datur enim appetitus Naturalis, competens Phyſicis inanimis; Vitalis competens Plantis; Senſitiuus; Rationalis, & Diuinus. *Appetit' dupliciter vſurpatur* *Quinque gradus appetitionis* *Vitalis.* Diuiditur Appetitus in Naturalem ſequentem naturam, ſine cognitione operantem, & ſequentem cognitionem, qui ſubdiuiditur in ſenſitiuum, rationalem, & collocatum ſupra rationem. *Naturalis* Appetitus ſenſitiuus diuiditur in cupiditatem, & θυμὸν, qui dicitur Ira, ſiue Appetitus iraſcendi: *Senſitiuus* Rationalis verò diuiditur in voluntatem reſpicientem finem; & Proéreſim, ſiue ſelectionem, reſpicientem media ordinata in finem. *Rationalis* Inſuper diuiditur, quia vel ſequitur rationem rectam, vel peruerſam. Altera ex parte Appetitus ſequens naturam, ſine cognitione operantem, triplex eſt; vel enim ſequitur conditionem rei in finem ordinatæ, veluti materia appetit formam; vel ſequitur formam infra animam poſitam, relatã ad ſuum finem, vt grauia & leuia dicuntur appetere ſuum locum; vel ſequitur animam cognitionis expertem, vt dicitur Plantas appetere alimentum, generationẽ ſimilis, & alia eis conſentanea. *Naturalis triplex.* Diuiditur etiam Appetitus ſenſitiuus in Naturalem, & præter naturam, vt fames, & ſitis competunt homini ſano ſecundum naturam, ægroto verò præter naturam. *Appetit' ſenſitiuũ.* Inſuper Voluntas, vel eſt poſſibilium, vel impoſſibilium, uel abſoluta, uel cum conditione, vel antecedens, uel ſubſequens, qua poſtrema diuiſione præſertim diuiditur, Voluntas Dei. Demùm diuiditur Appetitus à Plat. in 2. de Legibus, quia uel eſt rei ſui gratia ſolùm optabilis, ut felicitatis, uel ſolam gratia alterius, ut medicamenti, & inſtrumentorum, uel ſui & alterius ut appetitus cibi dulcis, & ſani.

DEFINITIONES.

INQVIT Ariſt. in tertio de Anima, Appetitum eſſe motum quẽdam, nam eſt commotio appetentis in appetibile: quæ deſcriptio non competit appetitui materiæ, non enim materia appetens formam mouetur, ſed ſolùm parata, & ordinata eſt in formam: & Ariſto. tunc appetitum conſiderabat, qui ſequitur cognitionem. *Appetit' eſt motus.* Appetitus uniuerſè ſumptus dici poteſt affectio prodiens ex priuatione & potentia, ordinata in actum, tanquam in propriam perfectionem. *Appetit' uniuerſè.* Appetitus, qui formam ſequitur, eſt interna commotio appetentis ad bonum, quo caret, ſequens formam in id bonum, ut in perfectionem tendentem. Hæc definitio competit etiam appetitui grauium & leuium, ut ſunt procliuia in ſuum locũ. *Appetit' ſequens formam.* Appetitus, cognitionem ſequens, uniuerſè ſumptus, eſt interna commotio appetentis *Sequens.*

Cognitionem. tentis in appetibile,quo caret,& tanquam bonum est iudicatum.Insuper est interna commotio excitata à fine vel vitando,vel attingendo,vt est , vel iudicatur
Sensitiuus bonum conditione eius,pro quo optatur . Appetitus sensitiuus est interna com-
Cupiditas. motio animalis appetentis in appetibile,quod sensu iudicatum est bonum.Cupi
Irascibilis. ditas est appetitus sensitiuus, excitatus ab appetibile , quod sensui iucunditatem
Voluntas. præbeat . θυμὸς , siue appetitus irascendi,est Appetitus sensitiuus,victoriam quæ
Selectio. rens,& ea bona,quæ ad Animum magis attinere videntur: huiusmodi est appetitus honoris,Gloriæ,vindictæ,& similium,nam huiusmodi appetitus est spiritalior & magis circa ardua,& impedimenta versatur,Voluntas est appetitus Mentis,finem quærens,iudicio Mentis approbatum.Proëresis,siue selectio est Appetitus Mentis,qui circa media versatur,quæ pro assequendo fine iudicantur po-
Voluntas Dei. tiora.Voluntas Dei est prædefinitio finium,qui rebus sint consentanei, sequens ab æterno eminentissimam cognitionem Dei,infallibileq; iudicium eius pro re-
Selectio. rum ex eo pendentium perfectione.Præelectio verò,siue selectio est prædefinitio mediorum,pro finium consequutione congruentium , sequens eminentissimam rationem Dei,cunctorumq; Prouidentiam includens.

ANNOTATIONES.

Primum. Appetitus paratus pro rerum perfectione. CONSIDERANDVM primò,Appetitum non alia ratione fuisse paratum, nisi ut res perfectionem consequerentur . Hinc Appetitus primò dicitur esse finium,qui sunt perfectio rerum,secundariò verò mediorum conducentium pro finium adeptione; & propterea,quia cuncta vel sunt ipsamet perfectio,vt Deus,vel ex perfectione pendent, ac eam quærunt ; ideò quot sunt rerum gradus,tot sunt gradus appetitionum:cuncta enim quærunt bonum.Hęc tamen est differentia inter appetitum Dei,& cęterorum, quia Deus cum sit Ipsum Bonum,non pro se appetit bonum,non enim eo eget,sed pro alijs, quæ ex eo pendent,ita legitur Deum velle omnes homines saluos fieri,& inde refulget eminētissima eius Prouidentia:cętera verò etiam pro se,suiq; perfectione bonum appe
2. tria pro appetitu requisita. tunt. Considero secundò,tria esse,ex quorum conspiratione Appetitus ortum ducit.Ea autem sunt Priuatio, Potentia,& Bonum.Priuatio est tanquam Principium;Potentia medium;Bonum uerò finis. Bonum est tanquam pater excitans appetitum. Priuatio uerò,& Potentia tanquam mater,cum sint conditiones requisitæ pro ortu appetitus:quæ conditiones requiruntur non quidem semper in appetente,non enim locum habent in Deo,sed in eo pro quo appetimus, ueluti Medicus quamuis sit sanus,appetit tamen sanitatem , non pro se,uerùm pro la-
3. An appetamus, quæ possidemus? borante,in quo cùm Priuatio,tùm Potentia refulgent . Considero tertiò, in dubium sæpè uerti, An ualeamus ea optare,quæ possidemus?Aristo.in 1.Phy.81.id negat,nam appetitus est quidam motus,nil autem mouetur,& tendit ad id,quod possidet:hinc dictum est,pro appetitu requiri potentiam,& priuationem.Ex aduerso experientia patet multa expeti,quæ possidentur, ueluti optamus esse pulchri,sani,diuites, & alia multa etiam dum nobis competunt : Similiter Deo tribuitur Voluntas,cui tamen omnia competunt , & nihil deest.Soluitur dubitatio duplici distinctione.Prima elicitur ex Conuiuio Platonis & est,quòd compete-
Sol. re nobis aliquid contingit dupliciter,uel pro præsenti, uel pro futuro : pro præsenti,omne quod est,quando est, non potest non esse, ut dicitur in libro de Interpretatione:pro futuro autem potest uariari,& esse,ac non esse, ideò pro præ-

senti

ſenti,vel pro futuro:pro præſenti,omne quod eſt,quando eſt,non poteſt non eſſe,vt dicitur in libro de Interpretatione:pro futuro autem poteſt variari,& eſſe, ac non eſſe,ideò pro præſenti dicimur poſſidere,pro futuro autẽ. de quo ſumus incerti,poſſumus optare conſeruationem poſſeſſionis.Altera diſtinctio eſt,quòd poſſeſſio ad duo poteſt referri,vel ad optantem,vel ad id,pro quo optamus.Priuatiò requiritur neceſſariò in eo,pro quo optamus, non autem in optante, ut iã dixi,requiritur in appetente,dum appetens appetit pro ſe,non pro alio.Conſidero quartò,pulchram ex dictis prodire difficultatem : nam poteſt aliquid Amare ſe,& cum Amorem ſequatur appetitus,poterit aliquid appetere ſe,& appetit ſe non pro alio,ſed ſui gratia,& cum nil ſit priuatum ſe,poterit ſeruari appetitus ſine vlla priuatione.Ariſt.in 1.Phy.81.ait,nil optare ſe,cum ſe non egeat:at videtur ſecum pugnare,cum in octauo Nicomachiorum concedat poſſe hominem Amare ſe,& eſſe amicum ſibi. Pro ſolutione tria dico. Primum eſt, quòd Amor ſui relatus ad præſens non eſt propriè Amor,ſed Complacentia,Satiſfactio, & Expletio appetitionis,ſic Deus etiam diligit ſe,& Amor ita ſumptus pro præſenti non habet coniunctam appetitionem,ſed expletionem eius.Dico ſecundò, quòd huiuſmodi Amor ſi fuerit rei variabilis,relatus ad futurum tempus,iunctã habet appetitionem conſeruationis:& hinc oritur communis ille Naturæ inſtinctus,de quo dicitur cuncta per naturam optare ſui conſeruationẽ. Addo tertiò; quòd Amorem ſui ſequitur appetitus uitandi aduerſa,& proſequendi ea, qnæ ſibi fuerint conſentanea.Nam amare ſe nil aliud eſt, niſi ſatiſfacere ſibi met,& ob id indulgere appetitionibus ſuis:& quoniam appetitiones uiri Mundani ex carne orti,ſunt carnales,& ſpiritui aduerſæ,ideo iure legitur,quòd qui diligit Animam ſuam in hoc Mundo,in uitam æternam perdit eam: contra uerò qui eam odit in hoc Mundo,hoc eſt,qui carnales appetitiones amputat, coercet, & necat,pro uita æterna eam ſeruat.Conſidero quintò,in dubium uerti poſſe,num appetitus omnis ſequatur,ac præſupponat cognitionem ? id dubium eſt; tum quia nonnunquam appetitus antecedit cognitioni,ut dum appetimus aliquid noſcere,hinc legitur in proœmio Meta.quòd omnis homo optat ſcire; tum inſuper quia ex una parte appetitus Plantarum,& inanimorum cum cognitione non nectitur;ex altera non apparet,quomodo ſine cognitione ualeat appetitus excitari appetibile enim propterea optatur,quia iudicatur bonum,ut dicitur in 12.Met. quare ſine iudicio.non optatur.Pro ſolutione dico,vel loquimur de appetitu ſequente Naturam,vel de eo cognoſcentium,vt cognoſcentia ſunt.Si de primo loquimur,putarunt Empedocles,Democritus,Leucippus, Epicurus,& Stoici,illũ nec proximè,nec è longinquo cognitionem ſequi,& ſupponere,ſed quadam abſoluta neceſſitate ſequi materiam.Quæ ſententia falſa eſt,quia ſic aboleretur recta ratio ordinis vniuerſi, & Prouidentia Dei, qui cum Natura tanquam famula vtatur,cuncta pro iure & æquitate dirigit.Proptereà cum Academicis Peripateticis,& Theologis dicendum eſt,ſequi,& ſupponere cognitionem contingere dupliciter,vel proximè,vel è longinquo. Appetitus rerum per Naturam, naturæq; inſtinctum operantium,non ſequitur cognitionem proximè, hoc eſt competentem appetenti,ſed longè,hoc eſt competentem duci Naturæ & dirigenti, nimirùm Diuinæ Menti cuncta prænoſcenti & ordinãti, vel per Ideas,vt aiunt Theologi,& Academici,uel per eminentiam vt Peripatetici. At ſi loquimur de appetitu cognoſcentium,vt cognoſcentia ſunt,qualis eſt appetitus ſenſitiuus, & Mentis;hic non excitatur niſi præcurrat cognitio,& eadem numero facultas ſola ratione diſtincta ea eſt,quæ prius origine cognoſcit,mox appetit, vt dicitur in 3.de Anima 29.At inſtabatur,quia dicimus hominem appetere ſcientiam, quare

Quartum An aliqs poſſit appetere ſe.

Sol.

Quintum. Num appetitus omnis ſequatur cognitionem.

Sol.

Opinio Veterum.

Euerſio.

re appetitus antecedit Scientiæ, eamq; parit, non autem ab ea paritur. Respondeo primò, illum appetitum modo aliquo esse homini insitum per naturã: hinc dixit Arist. omnem hominem per naturam optare scientiam. Addo secundò, illum appetitum etiam supponere cognitionem, nisi enim scientiam, ut nobis bonam, iudicaremus, eam non optaremus, ueluti infantes, dum primò in lucẽ prodeunt, eam non appetunt. Sexto loco considerandum occurrit, Num felix, ualeat

Sextum. Nũ felix optet?

appetere: nam ex una parte felix non uidetur posse appetere, quia felicitas est adeptio postremi finis, ultra quem nil optare ualemus, & est potio eius aquæ, quã qui bibunt, in æternum non sitiunt, & felix dicitur sibi satis, alio non egens à potentia & priuatione immunis. Ex aduerso si Appetitus (ut apparuit) cõpetit Deo, qui per essentiam est ipsamet felicitas, longè magis competit alijs, quæ sunt felicia per participationem. Insuper Felix amat, nam saltem amat Deum: amans appetit, cum appetitus sit comes Amoris: quare felix appetit. Demùm homo ualet esse felix: homo autem nunquam appetitionibus est nudatus. Pro solutione, duplici utendum est distinctione. Prima est, quòd Felix potest considerari dupliciter, primò secundum se, & cum reduplicatione, secundò ex accidenti, & per connexa. Si consideratur secundum se, profectò non appetit, sed ut felix est, fruitur suo postremo fine, & expletus est appetitus eius. At ex accidenti, & per connexa potest appetere, ueluti Deus appetit salutem hominum, & homo felix sitit & exurit. Altera distinctio est, quòd loquendo de homine, ipse uel est felix in uia & cursu, uel in fine & Gloria. In cursu, quia iunctus est cum attinentibus ad Fortunã, & Naturam & uarijs eget, proculdubio ex accidenti cùm pro se, tùm pro alijs ualet appetere. In Gloria autem, quia tunc supra Fortunam, supra tempus, & supra Naturam est eleuatus, pro se nil vltra appetit, valet tamen appetere pro alio optando bonum aliorum, vt viri Sancti orant pro nobis optãtes salutem nostrã: nam appetere pro alio non indicat diminutionem appetentis, sed eius pro quo est appetitus. Ex his patet sol. rationum vtriusq; partis. Rationes enim ostendentes felicem non appetere, hoc veri patefaciunt, quòd felici uel pro se uel saltem ut felix est, appetitus non competit. Rationes autem aduersæ vim habent pro ostendendo, quòd felix uel ob connexa, uel pro alio appetere ualet. At instare quis

Sol. (margin)

Instantia.

posset, quia felix ut felix amat bonum, quo fruitur; Amans appetit: quare felix appetet etiam ut felix est. Respondeo Amorem, quo felix amat obiectum, quo fruitur, esse complacentiam quandam, & satisfactionem cum postrema expletione desiderij, non autem esse amorem illum, cum priuatione & appetitu iunctum.

Sol.

Septimum.

Considero septimò, quia dictum est Amorem illum, quo felix dicitur necti cum fine, quo fruitur, esse satisfactionem cum expletione appetitionis, quod iure quis

Num omnis appetitus sequatur Amorem.

posset quærere, num appetitus omnis sequatur Amorem, adeò ut sine antecedente Amore oriri nequeat? Rationes extant pro utraque parte. Quòd enim præsuponat Amorem, ostenditur, quia appetitus omnis dirigitur in finem, cuius conditio est, ut sit, uel uideatur bonus; ea autem, quæ nobis utilia, & bona sunt, etiam diliguntur à nobis; & ob id nitimur necti cum illis, ad quam unitionem ducit & dirigitur Amor. Ex aduerso percipimus cuncta, quę in uniuerso reperiuntur prędita esse appetitu, non autem Amore, cum Amor cognitionem exposcat. Soluitur dubitatio, quia cùm Amor, tùm appetitus vsurpatur dupliciter, uel latè, uel pressiùs: dum usurpantur latè, ut omnia dicuntur appetere, ita omnia amant; sic

Sol.

Emp.

Amor omnia nectit, Lis uerò secernit: Hinc Empedocles Litem & Amicitiam statuebat communia Principia rerum, & affirmabat in omnibus sedem habere. At dum Appetitus, & Amor usurpantur pressiùs, & magis propriè, ambo cognitionem exposcunt. Colligamus itaq; cuncta amare, cũctaq; appetere, & quo eminentiora

nentio ra

nentiora fuerint, eo eminentiori Amoris, & Appetitionis gradu esse prædita. Quomodo autem appetitus ad Amorem se habeat, alibi à me declaratum fuit. Considero Octauò quia dictum est cuncta appetere, iure in dubium verti posse, *Octauum.* num omnia sint apta appeti? Et videtur, quòd non, quia Materia prima appetit *Num omnia sint apta appeti* quidem formam, ea autem non est nata appeti, cum sit nuda omni actu, & perfectione excitante Amorem & appetitum. Similiter Mala, vt mala, appetitum non excitant. Ex aduerso, quia omnia, quæ sunt, quatenus sunt, etiam sunt bona: & bonum omne est aptum experti: ideò omnia, quæ sunt, optari queunt. Et materia cum ex se sit bona; ex se apta est appeti; & quemadmodum ea optat formam, ita à forma optatur, cum conducat pro eius esse & conseruatione. Propterea solués *Sol.* dico, cuncta quæ sunt esse apta optari. Sed optari aliquid cõtingit dupliciter, uel tanquam finem, vel tanquam conducens pro fine. Forma optatur vt finis, ideò dicitur finis generationis: Materia autem optatur, non ut finis, sed tanquam conducens pro fine, ut etiam optantur medicamenta, & instrumenta: Mala autem, quatenus mala, non propriè sunt, & ideò ut talia non optantur, ut uerò boni aliquid, vel veri, uel apparentis includunt, ita sunt, & appetitum nonnunquam excitant. Considero nonò, ob ea quæ dicta sunt, iure posse aliquem ambigere, quid nam sit præstantius num appetens, uel potius appetibile? Ex una parte apparet *Nonum.* appetibile omne debere pręstare appetenti, quia appetibile est finis, & perfectio; *Num appetens præstet appetibili.* appetens verò, respicit finem ut perfectionem; perfectio autem, & finis præstat his, quæ in illum tendunt, ab eoq; perficiuntur. Ex aduerso homo appetit cibũ uiliorem se; Mas appetit fęminam viliorem; & Deus est appetens, quo tamen nihil est præstantius. Pro resolutione difficultatis, & rationum solutione triplici distinctione utendum est; Prima est, appetens vel appetit pro se, uel pro alio; Altera *Resol.* est, appetens pro se siue sui gratia, uel appetit finem, uel ordinata in finem; Tertia est appetens finem gratia sui consideratur dupliciter, uel pro suo esse absoluto, uel pro esse relato, & cum reduplicatione, nimirùm ut appetens est. Ex his *Primum quod elicitur.* quatuor elicio. Primum est, Appetibile, quod pro alio optatur, non semper est præstantius Appetente. Ratio est, quia priuatio & potentia, quæ diminutionem pariunt, non insunt appetenti, sed alteri pro quo appetit. Elicio secundo, ut pertinet ad secundam distinctionem, quòd Appetibile, ut medium non necessariò *Secundum* præstat Appetenti. Ratio est, quia id non est finis, sed requisitum pro fine, ut medicamenta & instrumenta, veluti Artifex optans instrumenta: non est uilior eis. Dico tertiò, ut pertinet ad unam partem tertiæ distinctionis, quòd Appetens pro *Tertium.* se aliquid tanquam finem, dum consideratur pro suo esse absoluto, non est vilius, sed frequenter est præstantius Appetibili, ut patet de homine appetente cibum, & potum. Ratio est, quia Appetens est finis cui, rei quæ optatur, qui finis cui magna ex parte præstat fini cuius gratia, qui scopus dicitur. Vt verò pertinet ad alteram partem eiusdem distinctionis dico quartò, Appetibile tanquam finis *Quartum.* præstat Appetenti pro se, considerato ut appetens est. Ratio est, quia Appetens consideratum, ut appetens, constituitur per potentiam, & priuationem finis. Ex his patet resol. difficultatis & sol. rationum inuicem pugnantium. Instantia, quæ sumebatur ex uiro optante fęminam, per duo fundamenta soluitur. Primum est, quia Vir optat fęminam non ut finem, sed ut requisitum pro fine, nimirùm pro generatione similis, & conseruatione speciei, quæ conseruatio per naturam optatur. Alterum fundamentum est, quia Vir non ut Vir, sed ut priuatus fine afferen- *Quintum* te delectationem, dicitur id optare priuatum autem est vilius formato, ut *Num omne appetibilẽ perficiat.* tale est. Decimo loco considerandum occurrit, num omne Appetibile perficiat id, quod appetit? Quòd perficiat ostenditur, quia est finis. Quòd non semper

perfi-

perficiat,etiam ostenditur,quia Peccatores & uiri Vitiosi appetunt patrare scele-
Sol. ra,à quibus non perficiuntur.Insuper Appetibile destruit appetitum,quare non perficit:Appetibili enim præsente euanescit appetitus,ut præsente forma in materia,euanescit Priuatio,ut legitur in primò Physicorum.Soluens dico, Appetibile omne perficere:& si fuerit uerè bonum & sui conditione appetibile, uerè, & absolutè perficit: at si non uerè fuerit bonum, sed solùm videatur appetenti ob deprauationem iudicij eius,solùm ei videtur perfectio, cum tamen absolutè sit peruersio:hinc lucidè inspecta ueritate,sequitur Pœnitentia,& ut cecinit Horatius,infectum uolet esse,dolor, quod suaserit & Mens. Insuper addo, quòd dum dicimus appetibile perficere,non est putandum,quòd perficiat appetitum perficiendo priuationem:sed quòd perficiat appetens remouendo ab eo priuationem aduersam,& inducendo formam:priuatio autem, cum opponatur formæ,non appetit eam,ut legitur in primo Phy.81.Demùm dico,Appetibile, ut finem,perficere tanquam finem,Appetibile uerò ut medium,solùm perficere tanquam medium,conducendo pro fine assequendo. Vndecimò considerandum

11. *Quid mouead ut efficiens in appetitu producendo.* occurrit,cum appetitus sit quidam motus, ut dicitur in 3. de Anima, quidnam est mouens in genere causæ efficientis? Nam motus omnis exposcit proprium motorem.Et si quis dicat id mouens,& excitans esse Appetibile: contra Appetibile est finis,quo præsente definit mobile moueri:hinc Aristo. in primo de Ortu & interitu ait,finem non mouere,nisi per metaphoram.Inquit Auer.in 12.Met. 36 Balneum in anima mouere ut efficiens,extra animam uerò mouere ut finem. Quæ sententia est dubia, quia Appetibile non est finis, nisi vt est in intentione
Sol. agentis,ita enim antecedit,& excitat. Propterea dicamus Appetibile in Anima ad duplicem facultatem posse referri,nimirùm ad cognoscentem, & ita dicitur obiectum,& ad appetentem,& dicitur Finis.Vt refertur ad cognoscentem,excitat,& mouet ut efficiens,quemadmodum Aristo. in libro de Motu animalium manifestat:Quatenus uerò refertur ad facultatem appetentem,dicitur finis. Sic itaq; Appetibile pro esse cognito excitat appetitum,& mouet ut efficiens: relatū verò ad facultatem appetentem,à qua quæritur, mouet ut finis, ut etiam latiùs patefeci in libro de Motu Animalium. Duodecimò considerandum occurrit,

12. *An detur appetitus impossibilium.* An detur appetitus impossibilium?Quòd non detur,ostenditur. quia in uniuerso nil est frustrà.Quòd autem detur,experientia patet, nam cupit homo seruari numero æternus;& Aristo.in 3.Nicomachiorum secernens selectionem à voluntate,ait uoluntatem,etiam esse eorum,quę fieri nequeunt.Pro solutione dico
Appetit' Dei. primò si loquimur de appetitu Dei,ille non est impossibilium, tum quia eminentissima ratione dirigitur,tum insuper quia Deo nil est impossibile.Loquendo de
Appetit' Naturæ. Natura,ea quoq; solùm illa appetit,quæ assequi valet.Ratio est, quia Prouidentiæ Dei subijcitur,ab eáque ducitur,& dirigitur. Si tertiò loquimur de appetitu
Appetit' Iumentorum. iumentorum,& ferarum,hæ quoq; instinctu Naturæ ducuntur & propterea ea
Appetit' Hominis. sola appetunt,quæ assequi nata sunt, quamuis ob varia impedimenta nonnunquam finem non attingant. De solo hominis appetitu dubitatio est, de quo loquens, dico, Appetitum hominis esse duplicem,unum Mentis, alterum sensuum.Appetitus Mentis est duplex,Voluntas,& Selectio.Ait Aristo.in 3. Nicomachiorum. Selectionem solùm esse eorum,quæ fieri queunt & in nostra facultate sunt posita;ea enim est proximum Principium humanarum actionum; Vo-
Voluntas est impossibilium. luntatem uerò etiam esse impossibilium.Ratio est,quia Voluntas sequitur cognitionem Mentis,quæ cum nonnunquam noscens impossibilia, ea iudicet nobis bona,ueluti nos seruari numero æternos,& posse uolare,ideò parit in nobis uoluntatem eorum,quæ Voluntas sequitur rationem,non quidem rectam, sed de-

prauatam. Et anima luertendum, quòd dum Voluntas eorum est, quæ fieri nequeunt: tunc non absolutè dicimus volo hoc, sed cum conditione, uellem uolare, vellem posse numero seruari semper, & sic de cęteris. Descendendo autē ad appetitum sensuum, ille consideratur tripliciter, uel seorsùm ab usu rationis, vel cum usu rectæ rationis, uel cū vsu rationis peruersæ. Dum consideratur seorsùm ab usu rationis, ut in infante; de eo perinde se habet, ac de appetitu iumentorū. Dum secundò consideratur, ut sequitur rationem rectam, similiter nō est impossibilium, non enim ratio recta dirigit in finem, quem assequi non valemus, at dum sequitur rationem peruersam, etiā est eorū, quæ fieri nequeunt, adeò ut absolutè colligere valeamus, appetitū eorū, quæ fieri nequeunt, ex deprauatione rationis & iudicij ortum ducere. Decimo tertiò pulchra se nobis offert consideratio, quid nam in uniuerso magis & plura appetere dicatur? Tria sunt quæ sibi maximè appetitū optare uidentur, nimirùm Materia prima, Deus, & Homo. Nā Materia prima, plura, & maximè uidetur appetere: plura quidē, quia appetit formā omnē decem prædicamentorū: Maximè aūt, quia maximè propria eius sunt potentia, & priuatio, quæ appetitū pariūt: hinc ēt seorsùm à forma indefinitè sūpta seruari nequit. Secundò Deus maximè uidetur appetere, quia vult ea omnia, quę sunt, & perfectionē eorū; voluntas aūt est appetitus. Homo deinùm maximè uidetur appetere triplici ratione. Primò, quia præditus est omni gradu appetitionis, nimirùm Naturali, Vitali, Sensitiuo, & Rationali. Secūdò, quia appetit nedū ea, quæ assequi valet, verùm ēt illa, quæ nō ualet; Voluntas. n. eius ēt impossibiliū est ut inquit Arist. in 3. Nicomachiorū. Tertiò, quia appetitiones eius recta ratione non formatæ, ubi desināt nō habēt, & in infinitū crescūt, ac ēt inuicē pugnāt. Pro solutione, dico maximè appetere tribus modis cōtingere posse; uel secundū eminētiā, sic maximè & eminentissimè appetit Deus; uel secūdū propriā formā variarū appetitionū, sic maximè appetit homo; uel secūdū absolutam rei appetibilis indigētiā, quòd cōpetit Materiæ primæ. Deus maximè appetit pro alijs. Materia prima pro se & sua existētia. Homo & pro se, & pro alijs. Decimo quartò cōsiderādū occurrit, cū dentur uarij gradus appetitionū, nūquid Deo cōpetant omnes? Nā cū Deus sit Mēs eminentissima, & simplicissima, solùm ille appetitus vr posse ei cōpetere, qui ad Mētē pertinet. Insuper cū ei nō cōpetāt sensus, nō ui dentur ei posse cōpetere appetitiones, ad sensum attinētes, qualis est Ira & Cupiditas. Pro solutione tria dico. Primū est, Deo nullā cōpetere appetitionē eo modo, quo cōpetūt mortalib. sed solùm per eminentiā, similitudinē, & Metaphorā lōgè à quauis imperfectione. Dico secūdò cōpetere Deo similitudine quadā, & eminentia, ut appetitiones, ita sensus, & pręsertim uisum, & Auditū: hinc dr̄ uidere oīa & audire. Addo tertiò cōpetere Deo modo iā dicto gradus oēs appetitionū, præsertim tamē appetitiones Mentis. Quod ostendo, nā Deo cōpetit eminētissima similitudo appetitionis Naturæ, quatenus dicimus cōditionē boni esse fœcunditatem, & eum ut bonum appetere productionem, perfectionem, & conseruationem rerum, quamuis deinde id non exequatur sine præfinitione, & eminentissima libertate. Secundo similitudine quadam tribuitur Deo cupiditas, dum dicimus delectari operibus suis, & sibi complacere tribuitur Ira, dum dicimus esse iratum contra peccatores, & indignari, ac placari. Demùm magis propriè competunt Deo voluntas respiciens fines, & selectio relata ad media, per rationem eminentissimam, seorsùm à quauis nota imperfectionis. Decimo quinto pulchra se offert dubitatio, num detur Appetitio appetitionis? Quod detur, patet experientia, frequenter enim ægroti, carentes appetitu cibi, cupiunt illum habere: mitto exempla alia. Ex aduerso non videtur posse dari, quia

Appetitus sensitiuus hominis.

13. *Quid magis appetat.*

Tria quæ maximè uidētur appetere. Deus. Homo.

Sol.

14. *Num Deo competant omnes gradus appetitionis?*

Sol.

15. *An detur appetitio appetitionis?* fic daretur progreſſus in infinitum. Inſuper cum appetitus ſit motus; docet Philoſophus in quinto Phy. ad motum non eſſe motum; quare neq; ad appetitum eſt appetitus. *Sol.* Pro ſolutione dico, dari Appetitionem appetitionis contingere dupliciter, uel ita ut vna appetitio tanquã motus ſit per ſe terminus alterius; uel ita ut tanquam vtile & bonum aliquid optetur: primo modo id non contingit, ſed ſolùm ſecundo modo, nam motus vnus non eſt per ſe terminus alterius; poteſt tamen ſequi alterum, ueluti nonnunquam ambulamus, ut reddamur calidi: ea calefactio non eſt terminus ſecundum ſe deambulationis, ſed ſequitur eam, & ob id dicuntur ordinari ex accidenti. Et frequenter dum appetimus appetitum, illæ diſtinctæ appetitiones ſunt diſtinctarum facultatum, veluti appetitu rationis appetunt ægroti appetitum cibi, qui pertinet ad ſenſum tactus. Rationes aduerſę facilè diluuntur, dicebatur primò, quòd daretur progreſſus in infinitum. *Diluuntur rationes aduerſæ.* Reſpondeo in ordinatis ex accidenti id non eſſe abſurdum. Addo ſecundò id non ſequi, quoniam dum datur appetitio appetitionis illis exoptata appetitio non eſt alterius appetitionis, ſed ſui finis, ut æger optat appetitum cibi, qui appetitus cibi nõ eſt appetitio appetitionis, ſed ſui finis, nimirùm cibi: Solùm dicimus appetitiones hominum ratione non directas in infinitum creſcere, quatenus nũquam explentur, & termino careãt, ut competit Auaro in optando auro, de quo cecinit Horatius,

Creſcit indulgens ſibi, dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa Morbi
Fugerit uenis, & aquoſus albo
Corpore languor.

Addebatur deinde ad motum non dari motum. Reſpondeo non dari ſecũdũ ſe, dari tamen ex euentu, ut in quinto Phy. fatetur Ariſt. Conſidero decimoſextò
16. *Num nis appetẽs cognoſcat.* in dubium frequenter verti, num facultas appetens cognoſcat? Multi id affirmãt, cum enim appetitio prodeat ex cognitione, uidetur neceſſarium, quòd facultas appetens cognoſcat. Inſuper cum tendat in finem, non debet eſſe cęca, ſed oculata, ut finem noſcat, quem quærit. Ex aduerſo multi id negant & iure, nam, ſi cognoſceret, non diceretur ſequi cognitionem, nã ſequẽs diſtinguitur ab eo, quod ſequitur. Inſuper ea, quæ ſunt, non debent iudicari multa, niſi neceſſitas urgeat, natura enim ſecundum ſe nil efficit redũdans; at ſat eſt, vt dirigens cognoſcat, veluti ſagitta quamuis non cognoſcat, ſat eſt ut ſagittarius, à quo dirigitur, ſcopum
Plato. noſcat. Putauit Plato facultatem appetentem ne dum non cognoſcere; uerùm inſuper diſtingui loco à cognoſcente, ideò facultatem cognoſcendi tribuebat Capiti, concupiſcendi Epati, iraſcendi uerò Cordi. Quę ſententia reijcitur ab Ariſt. unica enim eſt ſedes Animæ, eaq; eſt cor. Inſuper nimiùm tardè excitaretur appetitus, ſi pars una iudicaret, altera appeteret. Prætereà loquendo de appetitionibus ad ſenſum attinentibus, Plato eas loco ſecernebat, tribuens Epati cupiditatẽ, Cordi uerò facultatem iraſcendi, quas loco ſecerni oſtendebat, quia frequenter inuicem pugnant, & facultas iraſcendi frequenter pro ratione pugnat aduerſus cupiditatem, ut in Viro continente, ideò ſedem mediam expoſcere uidetur inter eam rationis, quæ ſtatuebatur ab eo caput, & eam cupiditatis. Quæ ſententia reijcitur ab Ariſto. in tertio de Anima. Et iure profectò, cum enim ſedes facultatis ſentiendi ſtatui debet unica, etiam facultatum appetentium attinentium ad ſenſum una & eadem iudicari debet ſedes. Proptereà dicamus cum
Reſol. Ariſtotele in tertio de Anima 39. facultatem appetentem pro abſoluto, & funda-

fundamento non distingui à sentiente: distingui tamen ratione & relatione, vt enim ad obiectum iudicando refertur, dicitur sentiens; vt verò id tanquam finem vitare, vel assequi nititur, dicitur appetens, adeò vt appetens, quatenus appetens, non iudicet, sed sequatur iudicium suimet ratione distincti, à seipso, quatenus iudicat, & cognoscit: nam vt sentiens iudicat obiectum, & dirigit; vt verò appetens exequitur, & tendit in obiectum ut in finem, ac proximè mouet. Hæc itaq; enunciatio est vera secundum se. Facultas appetens non cognoscit. Hinc appetitus dicitur motus, cui non competit cognitio, ex accidenti autem vera est hæc enunciatio, facultas appetens cognoscit, quatenus pro fundamento à cognoscente non secernitur. Ratio, qua Plato ostendebat eas facultates loco secerni, facilè soluitur: non enim quia inuicem nonunquam pugnant, ideò sede seiunguntur, nam etiam cupiditas frequenter pugnat cum cupiditate, & ratio cum ratione, cum tamen loco non secernantur. Potest tamen Plato à calumnia vindicari, vt id fit à Plotino, dicendo Platonem considerasse non sedem primam absolutè, sed membra, in quibus uiget, & refulgent præsertim instrumenta, facultatibus inseruientia: nam instrumenta sen suum iudicantium refulgent in capite, spiritus tenues famulantes iræ in corde, uenæ inseruientes cupiditati alimenti, in Epate. Considero decimo septimò in ter appetitiones uarias uersari pugnas, & oppositiones, quæ omnes in homine locum habent, adeò vt homo dici possit campus, in quo omnium generum appetitiones inuicem pugnant. Nam appetitus naturalis pugnat cum naturali, ut propensio carnis grauis, cum ea spirituum leuium. Insuper appetitus naturalis pugnat cum eo, qui cognitionem sequitur, ut dum cupimus ascendere supra montem. Tertiò appetitus concupiscibilis pugnat cum concupiscibili, vt dum exurienti & appetenti coitum simul offertur cibus & formosa puella. Quartò appetitus concupiscibilis pugnat cum irascibili, ut dum iuueni offertur formosa Puella, à qua læsus fuerit, tunc enim appetitu concupiscibili eam appetit, irascibili uerò ut læsus reijcit. Quintò irascibilis pugnat cum irascibilis, ut dum à distinctis inimicis simul irritamur. Sextò cupiditas pugnat cum ratione ut in uiro continente, & incontinente. Septimò appetitus irascibilis pugnat cum ratione, ut dum læsi irascimur, & ratione monemur, ne irascamur. Octauò appetitus Mentis pugnat cum appetitu Mentis, ut dum rationibus aduersis & pugnantibus ducimur ad aliquid, & ab eodem abducimur. Hæ octo pugnæ internæ sunt homini, adeò ut mirum non sit, si dum in dubium uitam hanc uiuit, nunquam tranquilla pace frui ualeat; Decimo octauò in dubium uerti potest, An dari possit appetitus impossibilium? Nam quòd datur patet experientia, & approbatur ab Aristo. de Voluntate. Ex aduerso, quòd dari nequeat, ostenditur, tum quia in uniuerso nil debet reperiri frustrà; tùm insuper quia appetitus oritur ex potentia, & priuatione: impossibilium autem neque potentia, neque priuatio est: nam priuatio est ab sentia formæ in subiecto apto eam recipere. Pro solutione dico, homini ac ei soli ex mortalibus competere appetitionem impossibilium. Ratio est, quia homo est aptus cuncta noscere, & apprehendere: potest impossibilia, ut ei bona, ueluti uolare, ideò ea ualet appetere. Iumenta, & feræ impossibilia uel non apprehendunt, uel ea non apprehendunt, ut eis bona, quia præsertim sequuntur instinctũ Naturæ, per quẽ ad ea sola diriguntur, quæ assequi nata sunt. Lucifer tenebrarũ Angelus optauit se esse æqualẽ Deo, quia ipse quoq; cognoscebat modo aliquo eminẽtiã Dei, eaq; iudicabat sibi bonã, ueluti homo (ut dixi, uaria intelligit & iudicat sibi Bona. Rationes aduersæ facilè diluũtur. Dicebat 1. in uniuerso nil esse

Diluitur ratio Platonis.

17. *Pugnæ variæ inter appetitiones.*

18. *An detur appetitus impossibilium.*

Sol.

frustrà. Respondeo id esse verum de operibus Naturæ, non hominis: insuper esse verum de his quæ fiunt secundum se, & in specie, at in particularibus, & in his, quæ fiunt ex euentu, multa sunt frustrà. Addebatur, Appetitum exposcere potentiam, & priuationem. Respondeo in fatuis appetitionibus sat esse negationem: ea enim fungitur officio priuationis, & de his aptè dicitur, nisi possis, quod velis, id velis quod pòssis. Addo secundò, in huiusmodi fatuis appetitionibus includi Potentiam, & priuationem ex parte generis, Vt talpa dicitur cęca, & priuata ex parte generis, quatenus ei, vt animal est, non repugnat videre.
19. Decimo nonò pulchra se offert ambiguitas, cum detur appetitus sequens naturam rerum, competens inanimis, & detur appetitus sequens cognitionem, dubium est, quænam harum appetitionum potentior, & vehementior sit? Rationes vrgent pro vtrâque parte. Quòd appetitus naturæ sit vehementior, ostenditur, quia excitatur & dirigitur per potentiam, & Prouidentiam Dei, cui famulatur Natura. Confirmatur, quia conditio agentis per Naturam est, ut operetur totis uiribus, quando, & quomodo potest. Ex aduerso appetitus sequens cognitionem, videtur vehementior, quia cognitio est tanquam calcar appetitionis, & appetens percipit incommoda priuationis, per quæ vehementius appetit formam: Idq; conspicuo exemplo confirmatur, cum enim Plantæ per naturam esuriant, & sitiant; sitis & fames, quæ alimenti sunt appetitiones, vehementiores refulgent in animalibus, quàm in Plantis.

Sol. Pro solutione, accipio appetitum nonnunquam sequi solam Naturam, ueluti in grauibus & leuibus tendentibus in proprium locum: Nonnunquam solam cognitionem vt in uiro appetente Alas: Nonnumquam vtrumq;, vt in Viro optante cibum, & Venerem. His præassumptis, tres statuo Theses.

Prima conclusio. Prima est, Appetitus sequens vtrumq; est uehementior cęteris. Ratio est, quia vehementior producitur motus à duobus vnà conspirantibus, quàm ab uno eorum tantùm.

Secunda. Altera est, Appetitus sequens solam Naturam est vehementior sequente solam cognitionem: similiter est constantior, & certior. Ratio est ea, quæ iam est relata, & firmior ac certior est, quia per uarietatem cognitionis non uariatur, sed ut natura est vna, & eadem, ita vnus & semper idem seruatur appetitus.

Tertia. Tertia est, Appetitus sequens cognitionem est acutior & nonnunquam sublimior: acutior est, quia acutiores ei famulantur spiritus cordis, & percipitur læsio priuationis; Aliquando etiam est sublimior, ut patet de appetitu Mentis dũ ratio pugnat contra instinctum Naturæ, ut se habet de casta Puella, & Religioso continente, in quo appetitus rationis superat appetitum carnis, & sensuum: Similiter in Eremita ieiunante appetitus rationis superat appetitum Naturæ, & sensuum. Adeò ut dicere valeamus, in Viro supero spiritu ducto, & rectè affecto appetitum Rationis eminentiorem & potentiorem esse omni alia appetitione: Et per hoc in parte contrahenda est secunda conclusio. Rationes aduersæ facilè diluuntur. Ostendebatur primò appetitum Naturæ esse vehementiorem. Quod conceditur, nisi supero spiritu eleuemur supra Natutam, & ad superiora vehamur. Ostendebatur ex aduerso appetitum sequentem cognitionem esse vehementiorem. Respondeo, id esse uerum, dum cognitio & Natura unà conspirant ut in Animali exuriente: dum uerò non conspirant, sed pugnant, si ille appetitus est contra Naturam, & fatuus, est debilis, cum nullo firmo fulciatur fundamento, vt se habet de Appetitu Alarum: at si fuerit supra Naturam, & foueatur spiritu supero, est potentissimus omnium, nam uires proximiùs recipit à Deo.
20. Vigesimò, accuratè considerandum occurrit,

num

num appetitus omnis debeat iudicari bonus? & præsertim dubitatio est de appetitu Naturæ. Appetitum omnem debere dici bonum, ostenditur. Nam conditio finis est, ut sit vltimum aliquid, & optimum: appetitus tendit in finem, & à fine conditionem recipit: quare appetitus omnis est bonus. Idq; efficaciùs ostenditur de appetitu Naturæ, qui cum dirigatur à Deo, non potest nisi in bonum dirigi: & cum dirigens non ualeat decipi, non valet finis eius apparere tantùm, non autem re uera esse bonus. Ex aduerso experientia noscimus innumeras appetitiones esse cùm inanes tùm prauas, veluti viri facinorosi, & scelesti appetunt patrare scelera uaria, ut furari, interficere, violare Virgines, & similia. De appetitu Naturæ etiam ostenditur, nam frequenter mouemur eum corrigere, eisq; obsistere, ut ieiunantes, & continentes commendantur, cùm tamen aduersentur appetitui Naturæ, quod non contingeret, si appetitus omnis Naturæ bonus esset. *Num appetit' omnis sit bon'*

Pro solutione tria dico. Primum est, Appetitum omnem vel esse, vel videri bonum, non tamen semper reuera esse bonum. Hoc ostendebatur per primam rationem, nam conditio finis, non est, ut reuera bonus sit, sed velut sit, uel ut uideatur, quemadmodum in secundo Phy. docet Arist. Addo secundò, Appetitum prodeuntem ex humana cognitione, cùm bonum, tùm malum esse posse. Ratio est, quia nonnunquam homo decipitur, & ob prauam animi constitutionem, id quod re vera est malum, iudicat sibi bonum, ut alienam pecuniam, & alienam Vxorem. Dico tertiò, Appetitum omnem Naturæ ex se, ac ut dirigitur à duce Naturæ, bonum esse; ex accidenti autem nonnunquam esse prauum. Veritas primæ partis est, quia dirigitur à summo bono, à quo longè abest deceptio omnis, ideò secundum se non potest nisi bonus esse; Ex accidenti autem aliquando est prauus: quia Natura corpus constituit, & de bono corporis est solicita: at euenire potest, vt bonum corporis, pugnet cum eminentiore bonò Animi ueluti se habet in Abstinentia, & Castitate, ideò tunc ex accidenti appetitus Naturæ dicitur prauus: sic nonnunquam ius Naturæ corrigendum est per Ius Diuinum. Quod locum habet in solo homine vt in solo homine ex accidenti appetitus Naturæ potest esse prauus: non autem in iumentis & feris, quia in eis non pugnat cum bono rationis, & Mentis, quod eminentius est, ut in homine. *Sol. 1. concl.* *Secunda.* *Tertia.*

Hinc dum dicitur Naturam reddere nos pronos ad malum, id ex se falsum est, nam ex se ad bonũ tendit: uerum autem est ex accidenti. Ratio ostendens appetitum omnem esse bonum, quia tendit ad finem, cuius conditio est bonum. Respondeo conditionem finis esse, ut uel sit vel appareat bonus. At addebatur appetitum, Naturæ debere semper esse bonum, quia dirigens non errat. Respondeo semper esse bonum secundum se, solùm ex accidenti posse reddi prauum, ut patefeci: & eius emendatio pendet ex eminentiore Lege Dei, directa ad bonum Animi. *An Natura nos reddat pronos ad malum*

21. Vigesimo primò in dubium uerti potest, num Appetitus in tota aliqua specie possit esse frustrà? Apparet id non posse euenire, quia ut dicitur in primo de Cęlo 31. Deus & Natura nil faciunt frustrà, id autem intelligi debet in tota specie, nam in particularibus, plurima frequenter sunt frustrà, quod euenit ex accidenti, & ob prauum usum. Ex aduerso Muli frustrà sunt prædici instrumentis generationis, & frustrà appetunt coitum, cuius finis est generatio cum non sint apti generare. Respondeo primò Mulos, & genita ex coitu animalium distinctæ speciei non primò expeti à Natura; per naturam enim simile optat generare simile: dum autem ex praua connexione prodit aliquid non simile, id est recessus quidam à primo instituto Naturæ, quæ mox faciens de his, quæ fieri possunt, id quod melius est, euadit principium generationis *Num appetitus in tota specie sit frustra.* *Sol.*

 alte-

alterius minus similis,ac ita recedit à suo primo instituto: Et propterea non est absurdum,si mox appetitus coitus muli frustretur suo principali fine: nec ob id penitùs dicitur esse frustrà,quia quamuis non consequatur id quod est principale,consequitur tamen id quod dirigitur ad illud,& aliquid proximum,nam consequitur uoluptatem,& emissionem redundantis,& genitalia conducunt pro ornamento,& perfectione corporis, ut pro facultate reddantur similes genitoribus. His accedit,quòd Arist.ait in Syria Mulos generare. Colligamus itaq; quòd iure vt degenerant à primo instituto Naturę,ita recedunt à principali fine & seruant id,quod seruare valent.An facultas appetens pręster cognoscenti,uel viceuersa? Explicatum à me fuit in Ciuili scientia Vigesimosecundò. Considerandum occurrit;An aliquid possit iudicari bonum,& non appeti:Nam id videtur absurdum,cùm ex parte boni,quod definitur,vt sit id,quod omnia appetunt

11. tùm ex parte appetitus,cuius conditio est ut in bonum tendat. Ex aduerso sæpè multa iudicamus bona,quæ non appetimus,veluti senex formosam iudicat puellam,quam nõappetit,& bonum iudicamus Leoni habere quatuor pedes, quos tamen non appetimus:Similiter Vir temperatus iudicat Puellam posse ei præbere voluptatem,nec propterea eam appetit. Pro solutione tria dico. Primum est pro excitando appetitu,cognitionem sequente, requiri primum, ut finis sit, vel indicetur bonus;omnis enim appetitus dicitur esse ipsius boni, cum sit ipsius finis;Dico secundò,id non sat esse,sed requiri,ut appareat bonus appetenti, uel ei pro quo appetitur.Dico tertiò,Non omnem cognitionem finis ut nobis boni sequi motum ad illum,sed tunc solùm,dum iudicatur bonus, & non adsit appetitus melioris, qui ei aduersetur, & potentior sit: nam semper ille appetitus est principium motus,qui potentior est.Ex his elicio hanc conclusionem. Dum iudicamus aliquid esse bonum ei pro quo appetimus,& non adsit appetitus oppositus potentior,mouemur ad illud assequendum, uel vitandum. Ex his patet, quid veri includant rationes utriusq; partis.Ostendebatur primò, semper ex iudicio boni debere excitari appetitum. Soluitur, quia id non est satis;sed requiritur, ut iudicetur bonum uel nobis, uel alteri nobis iuncti, pro quo optamus. Ex aduerso ostendebatur, non semper ex iudicio boni prodire appetitum, exemplo Senis iudicantis puellam pulchram, nec eam optantis. Respondeo huiusmodi senem iudicare quidem Puellam esse formosam, at non re vera sibi bonam: similiter iudicamus Leoni bonum habere quatuor pedes, at non nobis. De Viro temperato iudicante Puellam posse ei afferre uoluptatem, dico Temperatum differre à Continente, nam in viro temperato contractus est habitus Virtutis, nimirùm Temperantiæ, & propterea appetitus sensuum non excitatur aduersus rationem, sed rationem sequitur; & quia Venerea uoluptas recta ratione uiri temperati, non iudicatur verè bonum, & congruens voluptas; ideò appetitus sensitiuus ad eam non excitatur, sed sequens rationem rectam tendit ad id, quod uerius, & sincerius bonum iudicatur. In uiro autem continente non est contractus habitus virtutis, nec appetitus sensuum est sopitus, ideò excitatur per obiectum iucundum: at quia in eo dominatur ratio, ideò non tendit ad id, nisi ratione fuerit approbatum: in uiro enim continente Ratio dominatur sensui, ut in incontinente sensus, & eius appetitus, dominatur rationi, ideò cum Medea inquit,

An aliquid possit iudicari bonum & nõ appeti.
Sol.
Prima conclusio.
Secunda.
Tertia.
Diluunt rationes.
Temperati & continentis diff.

Video meliora,proboq; Deteriora sequor.

Consi-

Considero Vigesimotertiò, quòd cum Voluntas, & Selectio sint appetitiones Mentis, inter eas quinque præsertim constituuntur differentiæ. Prima est, quia Voluntas tendit in finem; Selectio verò in media, ordinata in finem. Altera est, quia Selectio antecedentem exposcit ratiocinationem; Voluntas autem sine ea seruari potest: sat enim est, vt Mente iudicemus obiectum cum hac subnotione, tanquam nobis Bonum. Tertia est, quia Voluntas liberior, & sublimior est; Selectio autem magis iuncta est cum Phantasia, & appetitu sensuum, sine quo vel conspirante, vel dominante nil agimus. Quarta est, quia Voluntas etiam eorum esse potest, quæ ad alios pertinent, vt vellemus Regem Gallorum superare Principem Turcarum; Selectio autem solùm est eorum, quæ ad nos pertinent. Quinta est, quia Voluntas etiam eorum est, quæ fieri nequeunt; Selectio autem solùm est eorum, quæ in nostra facultate sunt posita, vt legitur in 3. Nicomach. 23. *Quinque differentiæ voluntatis à selectione.*

Demùm considero, controuersiam refulgere in verbis Philosophi. Nam in 3. Nicomac. inquit, Selectionem etiam esse eorum, quæ fieri nequeunt, ac ita concedit, etiam impossibilium posse nobis cōpetere appetitum. Ex aduerso in 2. Rhetoricorum loquēs de Ira inquit, Nemo illa concupiscit, quæ nullo modo se cōsequi posse arbitratur. 24. *Controuersia in Ari.*

Soluitur cōtrouersia dicendo, quòd nemo sanæ Mentis, Nemo appetitu efficaci, & demùm nemo appetitu absoluto, & subsequente, appetit ea, quæ non putat se posse assequi. At homo deprauatæ Mentis, appetitu leui & inani, & appetitu cum conditione, & antecedente etiam ea valet appetere, quæ non est aptus assequi. Dico appetitu cum conditione, & antecedente: cum conditionem quidem, quia non absolutè dicimus volo seruari numero æternus, sed vellem, si possem: antecedente uerò, quia iudicantes primò seruari numero æternum esse bonum, id optamus; at mox iudicantes id non posse nobis competere, desinimus id optare. *Sol.*

RESI-

RESISTENTIA.

DISTINCTIONES.

Resistẽtia attinens ad Animum.

RESISTENTIA est duplex; vna attinens ad animum, & pertinentia ad eum; altera ad corpus, & materiata. Resistẽtia, ad Animum pertinens, est triplex, vel enim refertur ad supera, vel ad infera, vel ad æqualia. Ad supera refertur, dum dicimus, male constitutos animos resistere diuinis inspirationibus; & appetitum sensuum resistere appetitui rationis, & cum eo pugnare. Ad infera verò, dum in viro continente dicimus appetitum Mentis resistere appetitui sensuum. Ad æqualia autem, vt dum ratio cum ratione pugnat. Ex aduerso Resistentia pertinens ad corpus, duplex est, vna interna, altera externa. Resistentia interna est pugnæ ex parte naturæ, & conditionis rei, veluti quòd lapis momento deferatur per aliquod interuallum, ita enim partes duæ extremæ illius, simul essent in eadem parte interualli; & partes omnes eius, simul reperirentur in indiuisibili quolibet eius interualli; & corpus totum simul esset in locis distinctis, & distantibus.

Resistẽtia pertinens ad corpus.

Resistẽtia externa duplex.

Resistentia externa est duplex; Vna actionis spiritalis qua dicimus opacuum resistere radijs Solis, eosq; repercutere; Altera materiata, & hæc est duplex; vel positiua, qua frigus resistit calori, retundendo vires eius, vel priuatiua, qua patiens minuit actionem agentis, veluti ferrum resistit secanti, sic miles aduerso militi resistit, vel ense, vel lorica. Modò sermo præsertim est de Resistentia corporum, materiata.

De qua resistẽtia sermo est?

Resistẽtia triplex.

Demùm quia Resistentia mediat inter agens & patiens, ideò Resistentia omnis triplex est; vel maioris inæqualitatis, vt dum potentius agit in debilius; vel minoris inæqualitatis, vt dum debilius agit in potentius; vel æqualitatis, vt cum ambo æqualium virium fuerint.

DEFINITIONES.

COMPONATIVS resistentiam definiens inquit, Resistere est impedire, vel penitùs, uel in parte actionem agentis. Ego in libr. de Actione & passione, Resistentiam ita definiui, Resistentia est pugna patientis cum agente, ex oppositione prodiens, ut patiens agentis actionem repellat pro suæ constitutionis conseruatione. Alij inquiunt Resistentiam esse impotentiam ad patiendum, pertinentem ad tertiam speciem qualitatis.

Pomponatius. *Propria definitio.* *Alij.*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò de Resistentia quæri, num sit actio uel passio? Qua de re quatuor sunt opiniones. Vna, quòd sit passio, quia pertinet ad patiens, & opponitur actioni. Altera, quòd sit actio, quia semper ex actu aliquo prodit. Tertia, quòd nec actio sit, nec passio, sed impedimentum actionis, ut censuit Pomponatius. Quarta, quòd sit qualitas tertiæ speciei, nimirùm impotentia ad patiendum. Hæc quarta opinio ad rem non facit, quia dub. non est de actu primo, hoc est de forma, per quam fit resistentia, sed de actu secundo: resistentia enim est quædam opinio. Similiter dicere, quòd sit impediri, nòn autem agere, uel pati, negligendum uidetur, quia adhuc quæro, quid sit impedire? nam cum sit uerbum, necessariò denotat uel agere, uel pati; nomina enim denotant formas, & naturas rerum; uerba uerò actionem, uel passionem: & omnis actus secundus, uel actio, uel passio est. Neque tertiò putandum est esse passionem, cum sit propugnatio, & immunitas pro facultate passionis. Confirmatur, quia si esset passio, unumquodq; ut maximè est aptum pati, maximè esset aptum resistere: quod est absurdum, nam prima materia maximè est apta pati, & non resistit. Quare colligamus Resistentiam esse actionem, denotatam per uerbum actiuum. Ratio est, quia id quod prodit ex actu, actio est: omnis resistentia ex actu aliquo prodit, nam carens actu, non resistit; quare omnis resistentia est actio quædam. Confirmatur, quia minuere, uel abijcere, & repellere aliud, est agere: resistere est minuere, repellere, & abijcere; quare est agere: ea namque omnia actionem denotant. Considero secundò, ut lucidior reddatur resol. difficultatis, actionem (ut instituto inseruit) esse duplicem, unam priuantem, quam priuatiuam appellant, alteram contrarietate pugnantem, quam dicunt positiuam. Per primam resistens minuit actionem agentis, non autem permutat ipsum agens: hac actione miles lorica munitus, repellit uel minuit actionem, & ictus sui andigonistæ, siue aduersi militis, & eâdem Cælum dicitur suo motori resistere, minuendo uelocitatem motus. Altera actione, quæ positiua dicebatur, manus calida resistit pomo frigido, repellendo suo calore frigus, & calefaciendo pomum; eâdem quoq; miles ense resistit aduerso militi. Ex hac distinctione elicio resistentiam omnem esse actionem, nisi positiuam saltem priuatiuam. De positiua uerificatur regula, quòd omne agens agendo repatitur, nam per resistentiam patientis dicitur repati. De priuatiua autem non uniuersè est uera, ut patet de motoribus Cœlorum, qui cum sint à materia soluti, non

Primum quod consideratur. *Num resistentia sit actio vel passio.* *Euersio trium opinionum.* *Resistētia est actio.* *Ratio.* 2. *Actio priuatiua & positiua.* *Omnem resistentiā esse actionem.*

repa-

Resistētia est communior reactione. repatiuntur. Ex quo patet Resistentiam esse communiorem reactione positiua. Considero tertiò, quòd cum Resistentia omnis sit quædam actio; resistentia illa, & actio sunt idem pro absoluto, distinguuntur ratione, nam quatenus per illam actionem patiens minuit, vel repellit actionem, dicitur resistere; vt verò resistendo permutat oppositum agens, vel minuit actionem eius, dicitur agere. Et pro exactiore notitia considero quartò, rebus naturâ constantibus duo esse insita; primum, vt pro viribus seruent se, & tueantur; alterum, ut pro assequenda æternitate nitantur se propagare, & generare simile: per primum instituitum dicuntur resistere læsionibus: per alterum dicuntur agere, adeò ut quamuis omnis resistentia sit actio, semper tamen resistentia est ratione distincta ab actione; & ratio actionis est potior, & secundum institutum uniuersæ naturæ est prior quàm ratio resistentiæ: naturæ enim maximè consentaneum est procreare simile, ut dicitur in 2. de Anima. Ratio tamen resistentiæ est prior secundùm institutum naturæ propriæ, per quod unumquodq; nititur pro uiribus se incolumem ab interitu seruare. Considero quintò, ex dictis elici solutionem eius difficultatis, qua solet quæri, num unumquodq; quantum agit, tantum resistat? Nam soluitur dicendo, unumquodq; quantum agit pro sui conseruatione, tantum resistere; & uice uersa quantum resistit, tantum agere pro sui conseruatione: non autem absolutè, nam motores Cœlorum dicuntur agere, non autem resistere, non enim egent ut seruentur. Sic seruari potest; quasdam qualitates magis agere, quàm resistere, ut patet de calore; alias contra magis absolutè resistere, ut dicitur de sicco, nam calor pro similis productione maximè agit, minus tamen disponit subiectum pro sui conseruatione: hinc magis agit positiuè, minus uerò priuatiuè, cum subiectum suum reddat rarum, facile aptum pati, ut contra siccum, iunctum frigori, densum est, ineptū ut patiatur. & permutetur. Considero sextò Zimaram, & alios nonnullos, niti ostēdere, quòd resistere non sit agere, au&ctoritate Arist. qui in 8. Phy. 32. ait, Pilā nō moueri à pariete resistēte, & repercutiēte sed à primo proijciēte. Cōfirmatur quia id quod aduersatur actioni, eamque repellit, non est actio: Resistentia aduersatur actioni: non itaq; actio est, sed potiùs passio, quæ actioni est aduersa. Verùm hæ, ac aliæ huius generis instantiæ facilè diluuntur. Ac ut pertinet ad Aristo. in 8. Physic. 32. dico, ex eo contextu rectè considerato oppositum elici: tunc enim Aristo. loquitur de motore ex accidenti grauium & leuium, & ait remouens impedimentum mouere ex accidenti, & utens exemplo parietis repercutientis Pilam, indicat illum non primò, & secundum se mouere, sed ex accidenti, adeò vt impediens, & resistens, non primò, & secundum se moueat, sed ex accidenti. Et quia dicitur mouens corporeum non mouere, nisi moueatur: paries autem non mouetur. Respondeo, regulam illam solùm esse veram de mouente secundum se, non ex accidenti: Sic dicimus proijcientem pilam, per parietem resistentem, mouere eam ad seipsum. Addebatur resistentiam aduersari actioni. Respondeo, actioni sumptæ vniuersè, & in genere aduersari passionem vniuersè sumptam: actioni autem vnius oppositi aduersari actionem alterius, vt calefactioni refrigeratio, & propulsio aduersæ actionis, quæ propulsio actione efficitur. Considero septimò, in dubium verti, An concedi debeat in motu grauium & leuium, resistentia interna, quæ vt dixi, est pugna ex parte conditionum rei, & aduersatur ei, quæ dicitur potentia obiectiua? Multi hanc renuunt, quia Aristo. cùm in 4. Physi. loquens de motu grauium & leuium, tùm alibi solùm considerauit resistentiam externam, & per eam solam assignauit proportiones motuum grauium, & leuium. Ego hac de re in libr. de Elementis

[Marginal notes: Resistētia est communior reactione. — Tertium. Resistētia distinguitur ratione ab actione. — 4. Duo rebus per naturā insita. Nū ratio actionis præstet rationi resistentiæ. — 5. Num unūquodque quantum agit, tantū resistat. — 6. Aduersus Zimaram. — 7. An concedi debeat resistentia interna.]

uerba

verba feci: nunc autem breuibus dico, eam proculdubio concedendam esse; tùm quia ea, quæ intrinsecùs pugnant, & controuersiam includunt, sub nullam potentiam cadunt; tum insuper quia si solùm externam resistentiam considerамus, quæ ad medium pertinet, falsæ apparent regulæ omnes ab Aristo. traditæ de motu grauium & leuium, veluti quòd ea ratione motus sit velocior, qua mobile est grauius, nam id experientiæ aduersatur: ideò si Aristotelem tueri volumus, cogimur dicere eum supposuisse definitam velocitatem, prodeuntem ex interna resistentia, communem cunctis, & solùm considerasse id in quo posita est varietas, prodiens ex varia constitutione medij, in densitate, & raritate: Et confirmatur conspicua auctoritate Aristo. in 2. de Cęlo cont. 39. dicentis. Amplius si quis accipiat esse aliquod tempus minimum, quo non contingit in minori moueri Cœlum (vt enim neq; ambulare, neque cytherizare in quouis tempore possibile est, sed est vniuscuiusq; actionis determinatum minimum tempus in non excedendo, sic neq; moueri Cœlum in quouis tempore possibile est: & etiam conspicuè Arist. affirmat ex propria conditione rerum prodire definitam mensuram actionis earum, secundum maximum, & minimum, quæ in motu grauium, & leuium, ex alio non prodit, nisi ex mensura Virtutis agentis, & ex interna resistentia, ex qua oritur actio priuatiua maioris velocitatis motus.

Considero octauò, ea quæ dicuntur resistere esse duplicia, quædam sunt apta permutari, veluti aqua suo frigore calori resistit, à quo tamen est apta permutari, & calefieri, & hæc propriè dicitur resistentia. Alia non sunt apta permutari, quæ minus propriè dicuntur resistere, rectiùs enim dicuntur non apta permutari, ueluti corpus opacum repercutiens radios, dicitur eis resistere, at non propriè, rectiùs enim dicitur non aptum illuminari, & non esse lumini peruium, & repercutiens radios, eos ex accidenti in oppositum retorquere dicitur, ut paries pilam. 8. *Duplicia resistentia.*

GRA-

GRAVITAS ET LEVITAS.

DIVISIONES.

Graue & Leue per Metaphoram. *Sumpta propriè tripliciter.* *Grauitas pro qualitate duplex.* *Grauitas absoluta & per comparatione.*

GRAVE & Grauitas, similiter Leue & Leuitas, vsurpantur dupliciter, per Metaphoram, & propriè. Dum vsurpantur per metaphoram, transferuntur ad conditiones rerũ, ad ingenia, & mores hominum: sic maximè lędentia dicũtur grauia, quia maximè animum premunt & mores, ac ingenia dicuntur grauia, tanquam firma, & constantia: cõtra verò quæ pauci sunt momenti, & facilè mobilia, & inconstantia, dicuntur leuia, ut leues sæpè dicuntur pueri, & fœminæ. Dum uerò usurpantur propriè, tunc dicuntur de tribus. Primò de formis grauium, & leuium, tanquam de primis principijs motus. Secundò de qualitatibus, & affectionibus, tanquam de instrumentis motus. Tertiò, de propensionibus ad motum, qui sunt actus secundi formarum. Modò autem sermo est de grauitate & leuitate secundi gradus: Quæ adhuc est duplex; vel enim est simplicium corporum, & originalis dici potest, vel est mixtorum, quæ ex originali prodit. Demùm Grauitas & Leuitas duplex est; vel enim est absoluta, vt ignis absolutè leuis, Terra absolutè grauis dicitur; vel est talis per comparationem, vt Elementa media comparata cum varijs & grauia, & leuia dicuntur.

DEFINITIONES.

Alcinous. *Democritus.* *Plato.* *Vetustiores.* *Arist.* *Graue.* *Leue.*

ALCINOUS in lib. de Doctrina Platonis inquit Graue id dicendum est, quod difficilè in locum extra naturam suam trahitur. Leue verò, quod facilè Insuper Graue est, quod ex plurimis, Leue autem quod ex paucissimis partibus est compositum, Democritus, Leucippus, & Epicurus, Grauius id esse dicunt, quod ex Atomis constat, inter quas parum vacui insertum sit; Leuius contra, quod ex atomis constat, inter quas plurimum vacui sit insertũ. Plato in Timæo Grauius id affirmat, quod ex pluribus triangulis conflatum est; Leuius verò, quod ex paucioribus. Insuper alij vetustiores dixerunt id esse grauius, quod plus materiæ includeret, leuius verò, quod minus: nam graue & densum, in idem redigebant, vt etiam leue & rarum. Arist. per motum relatum ad medium vniuersi ea circumscribit inquiens cùm in 1. tùm in 4. de Cęlo, Graue esse id, quod sui natura ad medium vniuersi fertur. Leue autem quod fertur à medio. Neutrum, vt Cęlum, quod sui natura fertur circa medium. Grauissimum esse id, quod inter lata deorsùm subsidet sui naturâ cunctis. Leuissimum contra, quod inter lata sursùm maximè supereminet. Si volumus definire vtrunq; per omne genus causæ dicere valemus; Graue & Leue siue Grauitatẽ & Leuitatem, esse qualitates passibiles, ad tactum pertinentes, sequentes connexionem,

Neutrum Grauissimum. Leuissimũ Descriptio per omne Genus causæ.

xionem primarum, primò Elementis, mox per ea mixtis competentes, vt in suum locum essent procliuia pro seruando ordine Vniuersi.

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primo non putasse Veteres reperiri absolutè grauia, & leuia, sed solùm dicto per comparationem: absolutè autem omnia corpora putârunt aliquid grauitatis includere, cum includant portionem materiæ. Hinc Straton, Democritus, & Epicurus dicebant, atomos, & corpora cuncta descendere, ea autem vehementiùs descendere, quæ plus materiæ, & Atomorum includerent, quæ verò minus tanquam debiliora ab eis excludi & ob id videri leuia, cum solùm dici debeant minus grauia. Arist. autem cùm absolutè graue, tùm absolutè leue dari existimauit, nam cum detur vnum oppositorum, debet dari & alterum, pro contemperamento eorum, & perfectione vniuersi. Quod vt distinctius pateat considero secundò, negasse Veteres in vniuerso definita esse sursùm, & deorsùm: Sed Democritus, Leucippus, & Epicurus dicebant dari immensum vacuum, in quo Atomi sine vllo termino semper descenderent, & intra mundum solùm dari putabant sursùm, & deorsùm ex parte nostri. Plato negans immensum vacuum, & solùm considerans Mundi constitutionem, dicebat in eo inueniri medium, & circunferentiam, quę propria sunt Sphæræ, & figuræ rotundæ; sursùm autem, & deorsùm mundo non conuenire secundum propriam eius conditionem, sed solùm per relationem ad nos; & inde euenire dicebat, quod nos antipodes dicimus esse deorsùm, & infra nostros pedes; illi contra se sursùm, & nos deorsùm collocatos existimãt: quod non contingeret, si sursùm & deorsùm ex rei natura in vniuerso distinguerentur. Arist. autem considerans non figuram Mundi, sed motum rectum Elementorum, ac etiam propinquitatem & distantiam à Cœlo, tanquam à primo inter corpora, Sursùm, & Deorsùm ex rei natura in vniuerso distingui affirmauit, vt etiam Graue & Leue. Possunt Peripatetici cum Academicis conciliari, dicendo Academicos inspexisse figuram orbiculatam vniuersi: Peripateticos uerò motum rectum Elementorum. Quo concilio non omni ex parte eorum lites componuntur, quia etiam dissentiunt de motu Elementorum secũdum naturam. Nam Plato, & cum eo Ptolemæus, & Zenarchus, existimârunt Elementa secundum propriam naturam vel moueri in orbem, uel in suo loco requiescere, quod competit Terræ: motum autem rectum nuncupârunt non naturalem, sed reditum in propriam naturam, quem tamen Aristo. absolutè secundum propriam eorum naturam iudicauit: motum autem in orbem existimauit esse secundum naturam totius vniuersi, supra naturam propriam, & raptum diuinum. Cum itaq; de his dissentiant, iure dissentiunt etiam de Graui & Leui, & de differentijs Locorum. Considero tertiò Loquendo de origine grauitatis & leuitatis, putasse veteres grauitatẽ comitari materiam, & id quod plus materiæ includeret dixêre grauius, veluti ex sententia Thaletis Milesij, putantis aquam esse materiam rerum, id quod plus aquæ includeret, dicebatur grauius: Ex sententia Diogenis, quod plus aëris; & ex sententia Heracliti ac Stoicorum quod plus ignis; & quia ea, quæ sunt huiusmodi, etiam sunt densio-

Primum. Veteres negarunt absolute Leue.

Arist.

Secundum Sententia Democrit. et Epicur.

Plato.

Antipodes

Arist.

Concilium.

Tertium. Thales Milesi.

Diogenes.

Heraclit.

Plato. ra, ideò grauius, & densius idem fundamento esse putârunt. Plato, hos in parte sequutus, quia Physica declarabat per Geometrica, & in figuras resoluebat, ideò grauius id esse dicebat, quod ex pluribus triangulis constaret, triangulus enim est prima figurarum rectilinearum, præseferens conditionem materiæ: hinc vt materia, ita Triangulus binario denotatur, nimirùm duorum rectorum angulorum, constat enim ex tribus angulis æqualibus duobus rectis, ac ita ex parte originis grauitatem declarabat, quam etiam explicabat; per motum inquiens id esse grauius, quod vehementiùs in suum locum redit, & difficiliùs in alienum trahitur: quem sequutus Alcinous, duplici relata definitione vtrumq; explicauit. *Sententia Arist.* At Aristo. concedens in vniuerso sursùm & deorsùm per naturam distincta, & ostendens in quarto de Cęlo dari Graue absolutè, ac etiam absolutè Leue, grauitatem & leuitatem censuit affectiones corporis Physici mortalis, quæ sequerentur qualitates primas ad tactum attinentes: propinquitas Cęlo & distantia dicuntur causæ grauitatis, & leuitatis remotæ, communes, & conseruantes, vt etiam dicitur ab Auerroe.

4\. *Per quæ Aris. graue & leue definiuit.* Considero quartò, Aristo. definiuisse Graue & Leue, similiter grauitatem & leuitatem per tria, nimirùm per motũ, per quietem, & per medium, vt apparuit. Veluti leuissimum id esse dixit, quod inter lata sursùm omnibus supereminet. Iure id fecit per motum, & quietem, cum sint instrumenta Naturæ, quæ per motum & quietem definitur, ac etiam quia per ea cognoscuntur, definiuit autem potiùs per medium, quàm per extremum, & circunferentiam, quæ nobilior est; tum quia medium est nobis proximius & notius; tum quia vnum est, & indiuisibile, quæ est conditio mensuræ; tum tertiò vt clariùs appareret connexio trium naturalium motuum, qui fiunt à medio, ad medium, & circa medium. Per medium autem (si de loco loquimur) intelligere debemus locum Terræ, absolutè autem id medium, quod est indiuisibile, & mensura, est centrum vniuersi.

5\. *An sint formæ Elementorũ.* Considero quintò, frequenter in dubium verti, num Grauitas, & Leuitas sint formæ Elementorum? *Auer.* Auerr & alij multi id affirmant, quia sunt principia motus, & quietis naturalis, quæ est definitio Naturæ, quæ forma est & substantia. *Alij.* Alij id negant, cum sequantur qualitates primas, & ab Aristo. in 2. de Ortu & interitu inter qualitates, ad tactum pertinentes, numerentur: *Resol.* Hac de re disserui in libr. de Elementis, nunc breuibus & lucidè dico, Grauitatem & Leuitatem vario modo sumptam, esse formas Elementorum, esse qualitates, siue affectiones Elementorum, & tertiò nec formas esse, nec affectiones, sed actiones earum. Cum enim vt distinguens dixi, vsurpentur tripliciter. *Quomodo sint formę.* Dum vsurpantur originaliter, & pro primo principio motus recti, sunt Natura, & propria forma Elementorum, qua consideratione vera est sententia Auerr. *Quomodo sint qualitates.* Dum verò secundò vsurpantur pro instrumento formarum, & proximo principio motus, rectè ab Aristo. numerantur inter accidentia, & qualitates, ex primis pendentes, quæ tamen, vt nobis notiores congruenter circumscribunt veras formas Elementorum, vt fit in lib. de Cęlo. *Quomodo sint actiones.* At dum tertiò vsurpantur pro illis propensionibus, & inclinationibus ad motũ, sic sunt actiones formarũ per medias qualitates, & sunt actus secũdi, quib. propria nomina non sunt imposita, vt dicitur ab Aristo. sub initio quarti lib. de Cœlo.

6\. *Num sint qualitates primæ.* Considero sextò, cum Grauitas & Leuitas secunda consideratione sint affectiones, & qualitates elementorum, in dubium verti posse, num iudicari debeant qualitates primæ, vel secundæ? Non videntur primæ, quia primæ statuuntur caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, vt ostenditur ab Aristo. in 2. de Ortu, & interitu: ex eis autem mox pendeat grauitas, & leuitas: neq; etiam videntur

tur

tur secundæ, quia qualitates secundæ prodeunt ex temperamento, & mixtis competunt: hæ autem primò competunt simplicibus corporibus. Pro solutione dico, qualitates posse dici secundas duplici consideratione. Primò quia prodeunt ex temperamento primarum, & propterea solis mixtis competunt, & hæ præsertim, & propriè dicuntur secundæ veluti colores, sapores, & odores, in qua significatione grauitas, & leuitas Secundæ non sunt. Altero modo latiùs qualitates secundæ nuncupantur omnes, quæ modo aliquo pendent ex primis, easq; supponunt, cuius generis sunt etiam grauitas, & leuitas, nam in igne, connexionem caloris cum siccitate sequitur leuitas, & de cæteris. Et magis propriè Grauitas, & Leuitas, competentes mixtis, nuncupari merentur secūdæ, quàm competentes simplicibus corporibus. Nec ob id ita propriè sunt secundæ, vt colores, & sapores. Ratio est, quia colores, & sapores corpori simplici, vt simplex est, non competunt, sed ex solo temperamento prodeunt: huiusmodi autem non sunt grauitas, & leuitas; hæ namque primò competunt simplicibus corporibus, Mixto autem per participationem eorum: hinc mixta magis Terrea grauiora sunt: quæ verò magis sunt ignea, sunt leuiora. Considero septimò, ex eo quod nuper dictum est, non leuem oriri difficultatem, nam si mixta sunt grauia per participationem Elementorum grauium, non posset dari mixtum grauius Terra, Id enim quod per propriam conditionem, & secundum se est tale, magis est tale eo, quod tale est per participationem: at nos inspicimus Aurum, & Plumbum grauiora esse Terra. De hac difficultate tres sunt opiniones. Nonnulli concedunt dari mixta grauiora Terra: & aiunt id eis competere per propriam mixti formam, quam sequatur ea maior grauitas. Quæ opinio non est approbanda, quia tunc centrum mundi non esset Locus per naturam competens Terræ, sed mixtis illis grauioribus, quæ etiam nisi in centro reperirentur, non essent in loco eis per naturam competente. His accedit, quòd grauitas non formam mixti sequitur, sed qualitates primas, & in mixto imperium Elementorum, & cum primo competat Terræ, & aquæ, cæteris solùm competit per horum participationem. Propterea alij inquiunt reperiri Terram propè centrum grauiorem quo vis metallo: At qui hoc dicunt, ad tenebras confugiunt, vt eis resolutionem inuoluant, nam si huiusmodi Terra inueniretur, aliquando inspecta fuisset, & aliquando qui Terram fodiunt inuenissent; at ea nunquam inspecta, & inuenta est. Propterea est Tertia opinio Galeni & verior, quod Elementa sincera & pura inueniri nequeant; ideò ait, si daretur Terra pura, ea densior esset Adamāte; cum itaq; Terra absolutè pura non inueniatur, vt latiùs in lib. de Elementis patefeci, Terra, quę apud nos reperitur, plurimum aëris habet permixtum, metalla loco aëris includunt aquam, & eam non liquidam, sed congelatam, & cōdensatam, & propterea sunt grauiora, non quidem Terra pura, quia non datur, sed ea quæ inuenitur, & reperitur. Considero octauò, quòd iure quispiam dubitare posset, nam si Grauitas, & Leuitas sunt qualitates sequentes primas, Aristoteles in earum explicatione ordinem conspicuè peruertisset, cum enim ordo explicationis respondere debeat ordini naturæ, debuisset primò agere de quatuor primis qualitatibus, mox uerò de grauitate & leuitate; cuius oppositum fecit, nam primò in libris de Cœlo, nimirùm in quarto, uerba fecit de grauitate & leuitate, mox in libris de Ortu & interitu, quatuor primas qualitates explicauit. Pro solutione (obuoluens silentio ea, quæ dicuntur ab alijs) dico Elementa considerari cùm in libris de Cęlo, tùm in

Resol.

7. *An detur mixtū grauius Terra?*

Opiniones tres.

1.

2.

3.

8. *Dub.*

Sol.

2. de Ortu & interitu: In libris de Cęlo, considerantur, quatenus suo ordine Mundum constituunt: In libris verò de Ortu & interitu, quatenus inuicem permutantur, & mixtum constituunt. Et quia ordinem Vniuersi seruant per grauitatem & leuitatem, inuicem verò permutantur per primas qualitates, & constitutio Vniuersi antecedit mutuæ permutationi Elementorum, ideò hac consideratione grauitas, & leuitas antecedere dicuntur, & primò considerari debent. Adeò vt grauitas & leuitas dupliciter considerentur, Primò cum relatione ad vniuersi ordinem, Secundò vt pendent ex primis. Prima consideratione explicantur in 4. de Cęlo: Altera verò in 2. de Ortu & interitu. Ex his elicio formas Elementorum in 4. de Cœlo rectè circumscribi per grauitatem & leuitatem; in 2. autem de Ortu & interitu per qualitates primas. Nonò considerandum occurrit, quòd Aristo. in 2. de Ortu & interitu reijciens Grauitatem & Leuitatem ex ordine, & gradu primarum ait, eas non esse qualitates agentes, quales esse debent primæ. At hoc dubitatione non caret: conspicuè enim agere uidentur, cum per eas Elementa moueantur, & tendant in suum locum, ac etiam conspicuè agant in sensum tactus, & passionem in eum inferant. Dubitatio ortum ducit ex æquiuocatione nominis actionis, & ex eiusdem distinctione elicitur Sol. Actio enim (ut instituto inseruit) usurpatur dupliciter, uel pressiùs ut opponitur passioni, quæ alteratio est, uel latiùs pro quouis actu mouentis, & cuiusuis agentis. In prima significatione graue & leue non agunt, non enim graue tangens leue, illud alterat & permutat, ut calidum alterat & permutat frigidum, in qua significatione Aristo. id negauit in 2. de Ortu & interitu. In altera autem significatione frequenter id concedit, ideò sub initio quarti de Cœlo inquit, actionibus grauitatis & leuitatis non esse imposita nomina. His addo, quòd ea actio similior est passioni, quàm actioni, ut ait Aristo. in 8. Physic. 32. inquiens, Elementa prædita esse principio motus non actiuo, sed passiuo. Decimò ex dictis alia emergit dubitatio, nam dictum est grauitatem & leuitatem percipi sensu tactus, at dubium est, quomodo in sensum tactus agant, ab eoq; percipiantur? Nam digito tangentes aërem, uel terram, nec grauitatem, nec leuitatem eorum iudicamus, ut percipimus calorem, uel frigus. Auerr. in 2. de Anima 138. inquit grauitatem, & leuitatem esse substantias, & non dici qualitates, nisi æquiuocè, & non percipi nisi per motum. Hæc sententia apprimè dubia est, & prætermittens id, quod ab Auerr. dicitur eas esse substantias, quod non est uerum, nisi pro prima origine motus, dubium est quomodo percipiantur per motum? nam sensibile proprium non sentitur per commune, sed contra, commune per proprium; motus est sensibile commune: grauitas, & leuitas sunt sensibilia propria: quare non debent solo motu percipi. Soluens difficultatem dico experiẽtia cõstare sola propẽsione, & motu sursùm, & deorsùm percipi grauitatem, & leuitatem. Hinc Aristo. sub initio quarti de Cęlo dixit, hanc propensionem, & motum esse actionem grauitatis, & leuitatis: qualitates autem omnes sub sensum cadentes, solùm per suam actionem percipiuntur. At instabatur, quia sensibile proprium non percipitur per commune, sed vice versa. Respondeo, motum considerari dupliciter, vel vniuersè vt motus est, ac ita non est actio grauitatis, & leuitatis, nam etiam Cęlum mouetur, quod nec graue, nec leue est. Secundò consideratur vt est à centro, uel ad centrum, siue ut est propensio corporis per naturam à medio, uel ad medium: & sic grauitatem, & leuitatem patefacit, & nos ea utimur pro mensura grauitatis. Sic etiam ne dum homo, uerùm iumenta quoq; & feræ, ea propension e,

Marginalia: 9. (beside "leuitatem; in 2. autem…"); *Num Grauitas, & Leuitas agant?* (beside "quales esse debent primæ…"); *Sol.* (beside "Dubitatio ortum ducit…"); 10. (beside "uo, sed passiuo. Decimò…"); *Auerr.* (beside "stantias, & non dici…"); *Dub.* (beside "est quomodo percipiantur…"); *Sol.* (beside "munc: grauitas…"); *Arist.* (beside "quarti de Cęlo dixit…"); *Sol. rõnis.* (beside "ra grauitatis. Sic etiam…")

pensione,& pressione grauitatem percipiunt. Instantia autem, quòd sensibile proprium non percipiatur per commune,soluitur per duo fundamenta. Primum est id esse uerum,nisi id commune sit actio propria alicuius sensibilis pro prij. Alterum est,quòd ille motus etiam percipitur per aliquod sensibile proprium, nimirùm per Durum & Molle,Densum & Rarum, nisi enim lapis sua duritie & densitate,manui uel humeris densis & duris resisteret, non iudicaretur grauis.His accedit,quòd sensus tactus,ut maximè est materiatus, ita minimè est vnus,sed multiformior cæteris:propterea mirum non est,si modo vario sua sensibilia iudicat, vt etiam affirmauit Auer.in 2.de Anima.108. Vndecimò 11.
dignum consideratione est,num corpus per motum reddatur grauius, vel ne? *An motus producat grauitatē?* Nam quòd grauius reddi non debeat, ostenditur quia non motus producit grauitatem,sed contra grauitas motum. Confirmatur,quia per lationem non variatur forma,& temperamentum,sed solùm locus. Ex aduerso cum uelocitas, & grauitas sibi mutuò respondeat, non videtur posse augeri unum, quin crescat & alterum. Confirmatur auctoritate Aristo. qui in 1. de Cęlo ostendens dari terminum motus deorsùm, & grauia non descendere in infinitum, ait si in infinitum descenderent,in infinitum cresceret uelocitas, & grauitas: id ipsum affirmat in libr. Mechanicarum quæst.inquiens corpus graue plus grauitatis assumere,dum mouetur,quàm dum quiescit. Experientia quoq; id ostenditur,nam lapis quo magis mouetur,eo uehementiùs percutit, quod non efficeret, nisi plus grauitatis per motum reciperet. Pro solutione dico grauitatem *Sol.* & leuitatem esse duplicem, unam internam & essentialem,alteram externam, *Duplex grauitas.* & aduentitiam. Prima per motum non uariatur,nisi uarietur temperamentum uel densitas. Altera uariatur, & crescit per motum, quia corpus, quod per medium mouetur,quo diutiùs mouetur,eo magis agitatur corpus medium per quod mouetur,& ob id magis à tergo impellitur: & hæc potiùs est impulsio, & actio grauitatis,quàm propriè grauitas: hanc grauitatem non reciperet corpus,si moueretur per inane,quia per medium à tergo non impelleretur. Ex his patet resolu. difficultatis, & solu. rationum pro utrâque parte relatarum. Duodecimò ex eo, quod dictum est, Elementa per motum recipere maiorem grauitatem,uel leuitatem,in dubium uerti potest, num quiescentia in suo loco grauitent uel leuitent? Themistius, Philoponus, & Simplicius, id negant & iure profectò, nam grauitare,& leuitare sunt actiones grauitatis & leuitatis,per quas propriam sedē quærunt: quare dū in sua sede requiescunt,nec grauitare nec leuitare dicuntur. *Num residentia in suo loco grauitent.* Ex aduerso cum Grauitas & Leuitas noscantur per sua officia;& officium Naturæ Elementorum per grauitatem & leuitatem,ne dum sit motus,verùm etiam quies:ideò etiam dum quiescunt grauitare, & leuitare dicentur. *Sol.* Propterea dico primò,aliud est esse graue,& grauitare:nā grauitas est qualitas absoluta,& actus primus: grauitare est actio eius,& actus secundus.Primum habent grauia,& leuia vbicunque reperiantur:dubitatio est de secundo.De quo loquens dico grauitare, & leuitare contingere dupliciter, vel per motum,vel per quietem.Grauia,& leuia in sua sede per motū nec grauitant,nec leuitant,non enim alium locum appetunt,& quærunt: Grauitant tamen,& leuitant per quietem, quatenus resistunt distrahenti à proprio loco & seruant propensionem ad illum:hinc Arist.in 2.Phy.causam efficientem definit ne dum per motum,verùm etiam per quietem,& in 2.de Cęlo, loquens de *Arist.* quiete Terræ, ait ei competere per propriam Naturam, cuius grauitas est instrumentum.Hinc Alcinous sequens Platonem graue circumscripsit per distra *Alcinous.*

13. hi cum difficultate à sua sede. Quæ sententia de Terra, medium possidente, ve-
Nũ lapis ra est, & hunc modum grauitandi per quietem, percipimus sensu tactus, dum
ꝓpinquior nitimur graues lapides eleuare. Decimotertiò pulchra occurrit dubitatio, num
centro sit corpus graue, grauius sit dum proximius est centro, vel dum longius distat, ve-
grauior? luti num idem lapis grauior sit in infima sphæra aëris, vel potiùs in suprema?
Quòd grauior sit in suprema ostenditur, quoniam aër ibi est rarior, & minus re
sistit descensui. Quòd grauior sit in infima, etiam ostenditur, quia propinquior
est medio, & suæ sedi, in qua perficitur: tendere enim in suum locum, est tende-
re ad formam, vt dicitur ab Arist. in 4. de Cęlo. Et confirmatur, quia inquit Ari.
Sol. in 1. de Cęlo. 88. graue quo fuerit medio propinquius, eo ferri velocius, & red-
1. concl. di grauius. Demùm quòd cum in infima tùm in suprema regione æquè sit gra-
2. uis, ostenditur, quia eadem seruatur forma, temperamentum, & densitas: res i-
taq; est apprimè dubia. Pro Solutione breuibus tres profero conclusiones. Pri
ma est, si loquimur de grauitate accidentali, considerata ex parte medij, lapis in
3. suprema aëris regione est grauior. Ratio iam est relata. Secunda conclusio, lo-
quendo de grauitate accidentali ex parte motus, quia quo diutiùs mouetur, eo
est proximior centro; lapis in infima regione est grauior. Ratio patet ex di-
ctis. Si loquimur de grauitate essentiali, tertia profertur conclusio, quòd nisi
varietur forma, temperamentum, & densitas, lapis seruatur æquè grauis. Ex his
14. patet resolutio difficultatis, concilium variarum opinionum, & quid ueri inclu
An gra- dant rationes pro singulis partibus relatæ. Decimoquartò considerandum est,
uitas & le quòd Arist. in 3. de Cęlo cont. 10. inquit, Graue quidem densum, leue autem
uitas sequā rarum est, inquit eo loci Auer. id non semper esse verum, quia lapis perspicuus
tur densita grauis est, cum tamen sit rarus: Nubes verò densæ sunt & leues. Hæ instantiæ
tem, & le- inanes esse vident; Primò, quia quamuis lapis sit perspicuus, non ob id est ra-
uitatem.
Sententia rus, nõ enim perspicuitas raritatem sequitur, sed expurgationem potiùs à fece
Auerr. in Terrea crassa; Secũdò, quia nubes non est densior lapide, sed aëre puriore, quo
dubiũ uer etiam est grauior. Pro solutione tria dico. Primum est, non omnem densitatem,
titur. & raritatem sequi grauitatem, & leuitatem. Hoc patet, quia stella est densior or
Sol. be, cum tamen non sit grauior; Cęlum enim nec graue, nec leue est. Dico secun
1. concl. dò, loquendo de prædictis grauitate, vnumquodq; vt est densius ita est grauius,
2. quod patet experientia. Addo Tertiò, comparationem posse fieri, cùm inter
3.
Instantia. corpora distinctæ Naturæ, vt inter Terram, & aquam, tùm inter ea, quæ sint e-
iusdem Naturæ: & semper densius est grauius, vt Terra densior est aqua, & gra
uior: similiter portio aquæ densior, grauior est portione rariore. Instantia est
de Glacie, quæ densior est aqua liquida: & tamen in ea supernatat. Sol-
uitur dicendo, id euenire ob permixtionem cum spiritibus Meteorologicis,
qui sunt tenues, & leues: sic etiam lignum, quamuis sit Terreum, tamen in
aqua non mergitur, ob copiam inclusi aëris. Decimo quintò dignum,
15. consideratione occurrit, quid dicendum sit de igne, num ignis densior, debeat
Nũ ignis censeri grauior, & minus leuis, quàm rarior? Veteres existimantes grauitatem
densior sit sequi materiam; & maiorem copiam sequi maiorem grauitatem, etiam dicerent
grauior. ignem densiorem esse grauiorem: Nam ipsi putabant corpus omne esse præditũ
Veteres.
Arist. grauitate. Quæ sententia reiecta est. Quid autem sit dicendum ex sententia A-
rist. dubium est. Nam in 3. de Cęlo cont. 10. ait Graue esse densum, Leue autem
rarum: quare ignis densior erit grauior. Ex aduerso uidetur leuior, ut enim graue
dum condensatur, redditur grauius, ita leue condensatum plus leuitatis includit,
nam ex sententia Arist. ne dum datur leue per comparationem, verùm etiam ab

solutè;

folutè;quare id quod abfolutè eft leue,dum condenfatur, plus fuæ conditionis, nimirùm leuitatis includit. Pro folutione dico ex fententia Arift. nos duplici- *Sol.*
ter imaginari poffe corpus abfolutè leue condenfari, nimirùm uel fine permixtione cum alieno corpore,uel cum permixtione.Si imaginamur,id fieri fine permixtione;proculdubio cum fit denfius,plus fuæ conditionis includet, nimirùm leuitatis, & cum ita fit denfius & leuius, vehementius tendet furfùm, vt Terra denfior deorsùm. At fi imaginamur condenfari per mixtionem cum alieno corpore, quod grauitatis fit particeps, tunc comparando hoc denfum impurum, cum puro & non permixto,non dicemus hoc denfius effe grauius puro, cum purum grauitatis fit expers:fed dicemus hoc grauitatis aliquid includere: comparando autem denfius permixtum,cum minus denfo minusq; permixto,dicemus denfius,magisq; cum alieno permixtum effe grauius.Decimo fextò confideran- 16.
dum occurrit,quòd Arift. in 4.de Cęlo cont. 30.inquit, in propria regione Elementa omnia grauitate funt prædita præter ignem, An aër ? fignum autem eft quòd plus trahit inflatus vter,quàm vacuus.Hęc fententia dubia eft.Primò,quia (vt dictum eft)Elementa in propria regione nec grauitant,nec leuitant.Secũdò, quia follis & vter inflati,dum libra menfurantur,non videntur grauiores,quàm vacui,immo videntur leuiores,quia fua latitudine magis in aëre fupernatant, & percuffi faciliùs impelluntur furfum & per aërem mouentur. Pro folutione tria dico.Primum eft,quod vter inflatus in aqua eft leuior, quàm vacuus: quod patet,quia inflatus non mergitur,vacuus mergitur. Similem fententiam protulit Arift in 4.de Cęlo cont. 29. inquiens, In aëre grauius eft centum librarum Lignum plumbo vnius libræ,in aqua autem leuius. Dico fecundò,vtrem plenum aëre in aere plus grauitatis includere,quàm vacuum:hoc oftenditur,quia aër aliquid grauitatis includit. Addo tertiò,vtrem & follem aëre plenum in aëre fecũdum fe ponderofiorem effe, & magis trahere; ex accidenti autem poffe fecùs fe habere. *Num uter inflatus sit grauior sẽtentia Arist.in dubium uertitur. Sol. 1.concl. 2. 3.*

Fundamentum huius tertiæ conclufionis eft id, quod dicitur ab Arifto. in quarto de Cęlo, nimirùm quòd aër fua grauitate conducit motui deorsùm aliorum corporum,fua autem leuitate motui furfùm,hinc conducit motui proiectorum,& ob id etiam uter inflatus,proiectus in Terram repercutitur,& refilire infpicitur.Dum itaq; Arift.dixit vtrem inflatum plus trahere, confiderauit id quod eft fecundum fe;ex accidenti autem poteft fecùs euenire, quatenus ob latitudinem difficiliùs diuidit aërem medium,& magis fupernatat. Decimo feptimò confideratione dignum eft; quæ qualitates dignitate præftent, num primæ quatuor,quæ alterantes dicuntur,uel potiùs,grauitas,& Leuitas, quæ mouent fecundum locum ? Ex vna parte alterantes præftare uidentur, quia funt initia cæterarum, & facultate quadam videntur ceteras includere.Ex aduerfo grauitas & leuitas præferendæ videntur. Primò, quia pofterius origine eft dignitate prius. grauitas autem & leuitas funt origine pofteriores.Secundò,quia grauitas,& leuitas inferuiunt motui fecundum locum,& ordini Vniuerfi, quæ duo funt officia præftantiora officijs primarum,cum inferuiant pro alteratione,& mutua permutatione:motus enim fecundum locum præftat alijs,vt patet ex octauo Phyficorum. Poffet profectò vtraq; pars probabiliter defendi. nam pro præftantia qualitatum alterantium conducit id,quod dicitur in 2.de Anima, nimirùm generare fimile effe opus naturaliffimum Et non femper origine pofterius. eft prius dignitate,veluti rifibilitas, & affectiones propriæ funt pofteriores origine ea forma,ex qua prodeunt,non tamen funt priores dignitate.nam ea regula folùm vera eft,dum id pofterius origine eft finis,in quem priora dirigũtur:finis enim præftat ordinatis in illum.Puto tamen probabilius principatum debere tribui grauitati, *17. De præstãtia qualitatum. Non sẽper posteri' origine, est pri' dignitate.*

Sententia probabilior. tati,& leuitati. Ratio est,quia ne dum præsupponunt qualitates primas,easq; modo aliquo includunt,verùm insuper,quia proximiùs inseruiunt Naturæ vniuersali,pro constituendo,& seruando ordine vniuersi,& pro motu,& quiete Naturæ propriæ Elementorum:& dum dicitur,quod generare simile est opus naturalissimum. Resonpeo,id enunciatum fuisse ab Arist facta comparatione inter tria opera animæ nutrientis,non autem absolutè: nam absolutè præfertur motus secundum locum,vt patet ex octauo Physicorum. Insuper aliud est esse opus præstantissimum,& esse naturalissimum:nam intelligere,& velle sunt opera præstantissima,non autem naturalissima. Addebatur,qualitates primas facultate includere grauitatem,& leuitatem. Respondeo,eas includere facultate,at grauitas,& leuitas includunt qualitates primas actu,quod est præstantius. Insuper qualitates primæ includunt grauitatem,& leuitatem,non tanquam causæ integræ, sed tanquam partes causæ veluti etiam facultate includunt colores, qui tamẽ dignitate

18. *An æquè graue & leue moueatur.* prçstãt qualitatib. primis,vt dr̃ in 2. de Ortu,& interitu,con. 7. Decimooctauò occurrit considerandum,Si detur corpus,quod æquè grauitatis,& leuitatis sit particeps,num valeat moueri,& quiescere secundum naturam? Ex vna parte videtur,quòd non,quia inquit Ari. in primo de Cçlo,mixta secundum naturam moueri,& quiescere per Elementum dominans: At in æquali non reperitur dominans;quare nec principium,per quod moueatur, & quiescat. Ex altera parte id videtur absurdum;tum quia omnia corpora per naturam sunt prædita interno aliquo principio motus secundum locum,vt legitur in 1. de Cçlo cont. 5 tum insuper quia experientia patet,mixta,quæ plus leuitatis habent, quàm grauitatis,

Auer. cum sint grauiora igne,& aëre,per ignem & aërem descendere:quare longè magis descenderent, si æquè portionem vtriusq; includerent. Auer. in 1. de Cçlo

Euertitur sententia Auer. cont. 7. hac ratione nititur ostendere,non dari mixtum æquale, quia vel non moueretur,vel moueretur in superis & inferis elementis, & requiesceret in medio eorum,quod corpus non reperitur. Verùm hæc ratio exigui est roboris, quia dicerem ego id requiescere in medio. Et dum Auer. inquit id non reperiri, hoc du-

Resol. bium est, nam oleum & alia nonnulla mixta descendunt in aëre & igne, ascendunt in aqua,& natant super eam. Propterea, missum faciens num dentur mixta exactè æqualia,qua de re sum loquus in lib. de Mixtione,soluens propositam difficultatem dico,si daretur huiusmodi corpus,æquè particeps grauitatis, & leui-

Duplex dominans. tatis,id per naturam in medio Elementorum requiesceret, & alijs in locis moueretur,quærens medium. At instabatur,quia mixta mouentur per dominans. Re-

19. *Quò grauitas & leuitas sint affectiones quanti.* spondeo dominans esse duplex, uel absolutè,uel per comparationem: mixtum æquale includit dominans per comparationẽ,quia in igne & aëre,dominatũ grauitas,cum sit grauius eis;in terra autem,& Aqua leuitas,quia est leuius illis. Cõsidero decimo nonò quòd Aue. in 5. Met. con. 18. inquit Grauitatem, & Leuitatẽ numerari inter accidentia quantitatis secunda intentione,& esse quantitates naturales. Ratio est,quia diuiduntur diuisione quantitatis. Ex aduerso in 2. de Anima cont. 108. negat esse quantitates,& ait attinere ad substantiam, & dici qualitates æquiuocè,nam putat eas esse formas Elementa cònstituentes. Arist. in quin-

Arist. to Met. cont. 18. inquit,grauitatem,& leuitatem esse affectiones, & habitus eius quod est quantum secundum se,ut etiam Longum, Breue, Multum, Paucum,& similia. Quæ sententia etiam est dubia, nam affectio debet competere omni; at grauitas vel leuitas non competunt omni quanto; Cçlum enim est quantum,

Resol. quod tamen nec graue,nec leue est,similiter corpus Mathematicum. Res itaq;

Concl. 1. est satis perplexa. Pro cuius solutione tres profero conclusiones. Prima est,gra-

2. uitas,& leuitas non sunt quantitates. Secunda est,non sunt affectiones secundũ

se

se ipsius Quanti,ut quantum est. Tertia est, grauitas & leuitas sunt affectiones 3.
quanti Physici,& materiati.Prima conclusio est nota,cum enim sint qualitates, Decl. prima.
ad sensum tactus pertinentes,& vnum prædicamẽtum per se; & primò negetur secunda.
de altero,ex primo Posteriorum,conspicuum est eas non esse quantitates.Secun
da conclusio,nimirùm quòd non sint affectiones Quanti, ut quantum est, etiam
patet,quia reduplicatio vertitur in vniuersale,& reciprocatur, quod non serua-
tur in grauitate & leuitate,relatis ad quantitatem,non enim omne quantum est Decl. ter-
graue aut leue,vt patet de Cęlo,& de corpore Mathematico. Tertia conclusio tiæ.
erat, quòd sint affectiones Quanti Physici,& materiati,dico Physici pro exclu-
dendo quanto Mathematico;addo materiati, pro excludendo Cœlo, quod est
immune à materia mortalium. At perpendamus,cur dicantur affectiones eius? Cur dican-
Auer.pro causa affert diuisionem,diuiditur enim grauitas, & leuitas per diuisio- tur affe-
nem corporis grauis.Putarem ego non neglecta ratione ab Auerr.prolata,qua- ctiones
tuor posse rationes afferri.Prima sumitur ex mensura,Id enim quod mẽsuratur, quanti.
includit conditionem quanti;graue autem libra,& Lance mensuratur.Altera su Ratio. 1.
mitur ex conditione materię,cuius comes est moles,id autem quod plus talis ma 2.
teriæ includit, cęteris paribus plus etiam includit grauitatis, adeò vt Terra quæ
intra æquales terminos plus materiæ includit cęteris Elementis,etiam sit grauior 3.
illis. Tertia ratio elicitur ex connexione earum cum motu,cuius sunt proxima
principia & cum motus ad quantitatem pertineat,proxima quoq; eius principia
cum quantitate nectuntur. Ratio quarta est ea,quæ ex sententia Auer.relata est. 4.
At instabit quispiam aduersus eam,quia etiam colores,sapores,& qualitates pri Inst.
mæ diuiduntur diuisione sui subiecti quanti, cum tamen non sint eius affectio-
nes.Respondeo,has qualitates diuidi secundum extensionem solam, at non se- Sol.
cundum intensionem,non enim intensior est albedo totius cygni, quàm sit albe
do medietatis eius:at grauitas in corpore maiore intensior est,& maioris virtutis.
Ex his patet resol.difficultatis,& quomodo uera sit sententia Arist. nec Auer.se-
cum pugnet.Vigesimò considerandum occurrit, quomodo inuicem opponan- 20. De opposi
tur graue, & leue, & quid eorum seruet conditionem continentis, & formæ, tione gra-
quid autem Materiæ,& contenti? Pro resolutione dico, Veteres putasse opponi uitatis &
per intensius,& remissius,& modo aliquo per formam & priuationem: cuncta leuitatis.
enim corpora putârunt prædita esse grauitate, & differre per magis & minus. Sententia
At ex sententia Peripateticorum,statuentium corpora absolutè leuia,dicendum Veterum.
est,opponi oppositione contrarietatis:hinc sunt principia motuum contrariorũ. Peripateti
Et dum quæritur,quod nam eorum seruet conditionem formæ, & continentis? ci.
Ex sententia ueterum,putantium materiam esse vniuersam essentiam, præstan-
tia tribuenda esset grauitati, plus materiæ includenti: leuitati autem competeret
conditio priuationis.At cum Ari.oppositum est enunciandum,leuitas enim ma-
gis seruat conditionem formæ,& continentis,& propria est Elementorum præ-
stantiorem, & continentium:hinc legitur in calce quarti Meteorum, quòd cui
minus materiæ competit,ei plus competit formæ.

DE

DE VEHICVLIS ANIMORVM.

DISTINCTIONES.

Vehiculũ proprie. Per Metaphoram.

VEHICVLI nomen vſurpatur dupliciter, nimirùm propriè & per Metaphoram. Dum vſurpatur propriè, dicitur de vehiculis corporum vt de curru, naui & ſimilibus, ad quæ pertinet ſpecies illa motus violenti, qui dicitur Vectio. Per metaphoram autem transfertur ad deferentia Animam. De quo vehiculorum genere apud Academicos frequens eſt ſermo, & præſertim apud Plotinum, Proclum, & Iamblichum: & de hoc agendum proponitur. Nam primum ex ſe conſpicuum eſt, & potiùs ad Artifices pertinet, quàm ad Philoſophos. Inſuper hoc genus Vehiculorum Animi adhuc eſt duplex; Vel enim eſt incorporeum, ut Anima Mentis particeps dicitur Vehiculum Mentis; Vel eſt corporeum, & hoc poteſt eſſe quincuplex, Nimirum Igneum, Aethereum, Aëreum, Aqueum, & Terreum. Inſuper diuidunt Academici Vehiculum animi in æternum & mortale. Præterea in proprium, & aduentitium. Inſuper in purum, & impurum. Demùm in proximum & remotum, quale eſt corpus ex membris conflatum. Plotinus, & Proclus corporarorum vehiculorum genera in tria redigunt; in Aethereum, ad quod redigitur igneum; Aëreum, ſiue ſpiritale; & Craſſum, ſiue terreum: quorum duo ſunt extrema, & vnum medium.

Vehiculũ Animi incorporeum Corporeũ quĩcuplex

Genera Vehiculorum in tria rediguntur.

DEFINITIONES.

Vehiculũ Animi vniuersè Aethereũ

VEHICVLVM animi vniuersè ſumptum eſt corpus, cui Animus hæret, & cum quo ex loco in locum transfertur, eiq; vitam irrationalem tribuit. Vehiculum Aethereum eſt corpus nitidũ, rotundum, & immortale, quod animus ſibi per propriam conditionem expoſcit, & cum quo per omnia ſecula conſeruatur. Vehiculum Aëreum ac ſpiritale eſt corpus ex imperio aeris conflatum, cum quo Animus immortalem orbem unà cum Aethereo vehiculo deſcẽdens nectitur, & cum eo ſeruatur, donec per mortalem orbem peregrinus vagatur, eoq; intermedio proximè cum craſſo corpore nectitur. Vehiculum craſſum, & Terreum, quod Oſtreaceum appellant, eſt corpus hominis ſui membris munitum, quo anima pro variorum munerum functionibus vtitur. Vehiculum incorporeum eſt triplex. Vel enim eſt anima rationalis; quatenus eſt particeps Mẽtis: ac ita Mentis vehiculum nuncupatur. Vel eſt Anima tota, quæ currus à Platone in Phædro dicitur, cuius auriga eſt Mens, equus dexter eſt recta ratio, ſiniſter vero appetitus ſenſitiuus, & dicitur currus relatus ad curſum humanæ vitæ Tertiò inquit Simpl. in exp. 12. cont. prooemij de Anima, Vegetatiuum, & Senſitiuum eſſe diuinum animæ noſtræ vehiculum.

Aëreum.

Terreum.

Vehiculũ incorporeũ triplex.

ANNO-

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, quòd cum vetustiores Philosophi perperàm putassent Animam esse corpus, qui eis successerunt, nouerunt quidem eam non esse corpus, at putarunt eam numquam sine corpore esse, de quibus loquens Arist. in 2. de Anima cõt. 26. inquit rectè opinatos fuisse eos, qui Animã nec corpus esse, nec esse sine corpore existimárunt. Hinc primò Magi, mox Plato, & qui eam sunt sequuti, in opinionem hanc venerunt, quòd semper anima alicui corpori hæreret, quòd fungeretur officio Vehiculi. Et quia Anima ex cęlo descedit & ab interitu est immunis: hinc primò sibi optare putârunt corpus aliquod æthereum, & immortale, quod vehiculum æthereum appellârunt, per quod deinde cum alijs mortalibus corporibus necteretur: & dum absolutè de animæ vehiculo mentionem faciunt, hoc æthereum denotant, nam etiam Aristo. in primo de Cęlo ait, æternum æterno aptari, nec secùs se habere posse. Considero secũdò, loquendo de conditionibus huius ætherei vehiculi sententiam fuisse Iamblichi, Aether diuinum & præsertim circulum Lacteum, fœcundissimum esse pro vehiculorum constitutione, quæ cum seruent conditiones ætheris, sunt æterna, perspicua, stellæ, & radiorum forma prædita, vt ait Proclus: dum tamen in humano corpore recipiuntur, inquiunt eorum recipere formam, & per ea Animãs mouere cętera corpora. Insuper aiunt esse prædita sensibus magis spiritalibus, nimirùm visu, & auditu, ita tamen vt per partem omnem uideant, & audiant. Ea Plato in Phædro nuncupat currus, cùm Animarum, tùm Deorum, nam huiusmodi vehiculis purissimis vtuntur Animæ sphærarum; minus puris, Dæmones; & adhuc impurioribus animæ hominum, quæ hoc nixæ vehiculo, per Cancrum descendunt ad formanda corpora, & mox eidem inhærentes, per Capricornum reuertuntur, & seruant in motu figuram helicis, ut pro facultate seruent motum orbicularem. Adhoc genus Vehiculorum etiam redigitur stella, quæ à Platone in Timæo Vehiculum animæ nuncupatur, de quo loquens Termaximus Merc. dixit, Est idolo quoq; locus in regione perspicua. De eodem Zoroaster dixit. Ne fœdes Spiritum, neq; in profundum exaugeas, quod est planum, hoc est purum & splendidum. Insuper inquiunt Magi, & approbant Illustriores Academici, quod dum in uiro sapiente per purgatrices Virtutes Animus contrahitur in hoc æthereum vehiculum, audit per illud harmoniã cęli, & ea uidet, quæ longissimè distant: ac insuper ualet inspicere Dæmones, quod cùm Pythagoræ, tùm Termax. Mercurio contigisse affirmant. Refert quoq; Olympiodorus Platonicus Apollonium Tyaneum eodem modo ex Vrbe Roma sæpè ea inspexisse, quæ fierent in Aegypto. Considero tertiò, Galenum in 7. de Placitis Hippocratis & Platonis, cap. 7. de hoc Vehiculo hæc enunciasse, Veruntamen si de Animæ substantia est sententia proferenda, duórum alterum enunciare necesse est, vel ipsam esse fulgidum hoc ac quasi ætherenm corpus, ad quod asserendum velint, nolint, consequutione eos cogente, descendent & Stoici, & Aristo. uel ipsam incorpoream quidem esse substantiam, uti tamen hoc corpore, tanquam principali vehiculo, quo utiq; medio aliorum corporum postea commercium habeat, & c. hæc cum proferat Gal. rectè profectò Stoicis tribuit, quod putârint animas esse portiones ætherei, tenuis, & lucidi corporis. At de opinione Aristo. longè recedit à vero, cum in 2. de Anima, ex instituto ostendat, animam non esse

Primũ qđ consideratur.
Vetustiores putarunt Animam esse corpus.
Alij nõ esse sine corpore.
Magi.
Academici.
Vehiculũ Aethereũ.
Alterũ qđ consideratur.
Cõditiones Vehiculi Aetherei.
Plato.
Mercurius termaximus.
Zoroaster.
Magi.
Olympiodorus.
3.
Galeni sententia.

4. *De opinione Arist.* se corpus. Confidero quartò, posse quempiam suspicari Aristotelem quoq; Ethe rea Vehicula animæ approbasse, nam in primo de Cęlo cont. 22. ait, æternum æterno debere aptari, nec posse aliter se habere: at anima est immortalis ex eius opinione: quare proximè immortali alicui corpori aptari debet, quod non valet esse aliud præter vehiculum æthereum. Prætereà lucidiùs id colligitur ex 2. de Gen. Animalium cap. 3. quo loci inquit Philosophus, quòd omnis animę Virtus corpus aliud participare videtur, idq; magis diuinum, quàm ea quæ Elementa appellantur: & post pauca, inest enim in semine omnium, quod facit ut fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur, idq; non ignis, nec talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine, spumosoq; corpore continetur & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens Elemento stellarum & c. id autem corpus diuinius elementis, proportione respondens Elemento stellarum, aliud non videtur posse esse præter æthereum vehiculum. Et confirmatur; quia in eodem capite Mens dicitur extrinsecùs accedere: at in sexto Physicorum ostenditur, sola corpora moueri posse: quare Mens vnà cum corpore aliquo extrinsecùs accedit, id autem corpus est vehiculum eius. Præterea extremum non nectitur cum alio extremo nisi per congruentia media: at anima expers corporis, & ab interitu immunis, est vnum extremum: corpus autem mortale est aliud extremum; inter quæ mediat corpus ęthereum; quare etiam ex sententia Arist. hoc æthereum Vehiculum approbari debet. Mitto rationes alias, quæ à Marf. in sua Platonica Theologica, & ab alijs Academicis afferuntur: & absolutè dico, æthe-

Reijcitur Vehiculū Aethereū reum id Vehiculum esse inane commentum rationi, absolutæ ueritati, & Principijs Peripateticorum aduersum. Nullum enim apud nos reperitur corpus quod passioni, & interitui non sit obnoxium, & quod sub sensum non cadat: huiusmodi autem vehiculum ab his conditionibus statuitur immune. Præterea omne corpus locum occupat, nec datur penetratio corporum: quare cum anima ex sententia Academicorum sit tota in toto, & tota in quauis parte corporis; uel vehiculum erit vbiq; & dabitur penetratio corporum; uel seruabitur anima sine æthereo vehiculo. Insuper id Vehiculum, uel est eiusdem essentiæ cum cęlo, uel distinctæ: si distinctæ non erit immortale, cum inter corpora solùm Cœlum sit ab interitu immune. Insuper vel erit ignis, uel aër, vel aqua, vel Terra; quæ omnia mutationi & interitui sunt obnoxia. Si fuerit eius essentiæ, cuius est cęlum, tunc Cælum poterit diuidi, densari, rarefieri, minui, augeri, & ex sua sede per partes distrahi, cuius oppositum ostenditur ab Aristo. in 1. de cœlo: nec erit æternum, cum diuisibilia sint mortalia. Longè etiam abest à vero, quòd per omnem partē uideat, & audiat. nam ut ait Arist. in secundo de Gen. Anim. cap. 3. non datur facultas sine suo instrumento. Mitto varia, quæ aduersus hanc sententiam afferri possent.

Philop. cōtra Procliū Hinc iure Philoponus in septima disp. contra Proclum varijs rationibus eandē de Vehiculis æthereis sententiam euertit, inanemq; esse ostendit. Ne

Diluuntur rationes aduersæ. que est difficile rationes aduersas diluere. Nam dum Aristo. in primo de cœlo ait æternum æterno aptari. Id debet intelligi de eo, quod cùm secundum essentiam, tùm secundum operationem æternum est, qualis non est anima, cum eius actiones mortales sint. Insuper id debet intelligi de sede principali & propria rei, ut æterna est; de qua dicimus Patriam animæ esse Cælum, Addebatur ratio

Explicatur locus. Secundi de Gen. Animalium. collecta ex secundo de Gen. Animalium cap. tertio, quo loci legitur animæ competere corpus diuinius Elementis proportione respondens Elemento stellarum, id autem aliud esse non potest præter vehiculum æthereum. Respondeo, spiritum, per quem fœcunda sunt semina, dici diuiniorem Elementis, qui mixtus est, & constat ex puritate Elementorum, & est præditus facultate seminaria, à pa

rente

rente ei insita, quam facultatem non includunt Elementa, nec ab eis huiusmodi facultatem recipit, ob quam dicitur diuinior Elementis. Et dum addit Aristo. quod proportione respondet Elemento stellarum, de hoc tria dico. Primò reflecto autoritatem, nam si proportione respondet Elemento stellarum, non est tale Elementum, id enim quod proportione respondet alteri, differt ab eo. Dico secũdò, Auerroèm satis probabiliter per Elementum putasse denotari motorem cęli, qui cęlo dat vitam, & stichion dici potest, nam Arist. id enunciauit non de spiritu geniturę, sed de natura & facultate, quæ in eo spiritu est, & hæc recta ratione respondet animæ Cęli, cuius facultate, tanquam communi causa, contenta sub cęlo vitæ portionem recipiunt. Addo tertiò ex propria sententia quod Aristo. tunc id denotauit, quod in secundo Phy. 26. enunciauit inquiens, Solem hoc est Cęlum, & hominem generare hominem, nam Virtus Cęli est causa communis, cui recta ratione respondet uirtus seminaria, quæ tamquam causa proxima, & propria format fœtum, adeò ut Aristo. minimè æthereum vehiculum denotare valuerit. Et præsertim quia Ari. spiritum, per quem fœcunda sunt semina, vult formato fœtu dissolui, & euanescere. Vehiculum autem Aethereum Academici aiunt æternum, semperq; iunctum Animæ. Dicebat ex sententia Aristo. Mentem extrinsecùs accedere, quod non fit sine corpore. Respondeo ex sententia multorum Theologorum etiam incorporea possunt spiritali quodam motu moueri, vt patet de Angelis ex eorum opinione, qui eos à corpore solutos existimant. Ex sententia autem Arist. cum incorporea non sint apta moueri, sunt alicubi, & non sunt sine motu, & transmutatione, vt patet de Lumine, quod dicitur ingredi per fenestras, propriè autem extrinsecùs accedit genitura Viri, prædita virtute prolifica, per quam formatur fœtus aptus ad recipiendam Mentem, quæ Mens includitur facultate in spiritu prolifico, quatenus ille spiritus parat requisita pro receptione Mentis; ac ita homo dicitur hominem generare. Insuper dicebatur ex sententia Arist. in 2. de Anima. 26. animam non esse sine corpore. Reflecto auctoritatem, & dico ex eo cont. colligi euersionem vehiculi Aetherei, non approbationem. Nam Arist. increpat veteres non decernentes quale debeat esse corpus, sine quo anima esse non potest; ipse autem ait, id debere esse organicum: at Vehicula ætherea organis carent, quæ etiam proprio animorum motui inferre non valent, quia inquit Arist. in 2. de cęlo, quòd si stellæ proprio motu deberent moueri, debuissent esse præditæ instrumentis, quibus corpus orbiculatum omninò caret. Negligamus itaq; vehiculum æthereum, quod supra fuit explicatum. At urgebat Ficinus, extremũ non posse necti cum extremo, nisi per cõgruẽtia media. Respondeo, Cœlum conspirare pro rerum ortu, at non esse medium congruens per quod Anima nectatur cum crasso corpore, quia tale medium debet fungi officio materiæ, & permisceri cum corpore crasso mortali, quæ conditiones, ut competunt vitalibus spiritibus, ita pugnant cum conditionibus Cęli, vt apparuit. Quinto loco considerandum occurrit, quòd cum Plato quinq; statuat animantiũ genera, nimirùm Ignea, Aetherea, Aerea, Aquea, Terrea; quinq; etiam indicat Vehiculorum varietates, quas tamen (vt dixi) in tria capita eius asseclæ redigunt, quæ sunt Aetherea, Aërea, & Terrea, Duo sunt extrema, vnum medium; In Aethereo Vehiculo aiunt animam reperiri semper; in Aëreo per multa secula; In Terreo per pauca. In Terreo non reperiuntur siue Aëreo, & Aethereo; neq; in Aëreo sine Aethereo; At in Aethereo seruari posse inquiunt sine ceteris, & in Aëreo, sine Terreo. Loquuti sumus de Aethereo, sequitur ut aliquid de Aëreo dicamus. Vehicula Aërea sunt spiritus, uel crassiores, ad Aquam vergentes, uel puriores, & magis tenues. De his inquiunt Academici, quòd Ani-

Marf. Ficinus.

5. *Quinq; animantiũ genera.*

Tria genera Vehiculorum.

Vehiculũ Aereum.

mæ in hanc mortalem orbem descendenti Dij secundi, hoc est cęlestia corpora, & Elementa, suo Lumine, motu & facultate, ei parant & applicant vehiculum aëreum, tanquam medium inter Aethereum, & crassum corpus, quod vt anima recipit, in mortalem orbem descendens; ita illud deserit, in cœlum rediens. Cum hoc Aëreo vehiculo aiunt Animas vagari per aërem, circa sepulchra & loca alia, & per idem nonnunquam videri, dum incrassatur; strepitum & vocem emittere; pœnasq; apud inferos dare, de hoc varia dicuntur à Platone in Phædone, à Philopono in præfatione librorum de Anima, & ab alijs. Hinc Porphyrius præcipiebat, ut à carnium esu abstineremus, ne hoc vehiculum nimium crassesceret, & prauos spiritus ad se traheret: Id ipsum confirmatur exemplo, nã experientia patet ligatis neruis, & arterijs non posse animam ex membro principali in alia effundi; quod non accideret, nisi huic aëreo vehiculo iuncta esset. Hinc Arist. in 5. de Gen. Animalium cap. vltimo inquit, In naturã constantibus spiritus varios præbere vsus, & in 2. lib. cap. 3. inquit, omnia quodam modo esse plena Anima, quia huiusmodi spiritus per omnia effunduntur, & alibi varia pro eorundem approbatione enunciauit. Circumscripsit Virg. in sexto Aeneid. hoc duplex vehiculorum genus his carminibus,

Porphyrius.

Arist.

Ann. Magnus Animorum.

Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumq; reliquit
Aethereum sensum, atq; auræ simplicis ignem.
Insuper alibi,
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem.

Nam Mens est vtens, spiritus est vehiculum vita præditum. Declarata Academicorum sententia de Vehiculo medio, sine aëreo, occurrit sexto loco considerandum, quid de eo sit dicendum ex sententia Peripateticorum? Et pro resolutione duas profero conclusiones; Prima est, in viuente corpore reperiri spiritus, eosq; varios præbere vsus, Altera est, de huiusmodi aëreis Vehiculis Peripateticos ab Academicis plurimùm dissentire. Prima concl. tùm experientia, tum ratione, tum Auctoritate conspicua est, Medici frequenter de illis loquuntur. Arist. sæpè de illis mentionem facit, variosq; eis tribuit vsus, & cor statuit eorum communem sedem, ut etiam Animæ, adeò vt superuacaneũ sit, in eorum approbatione immorari. Vt pertinet ad secundam conclusionem, profectò de hoc secundo vehiculo, summoperè Peripatetici ab Academicis dissentiunt; Nam Peripatetici, spiritus, quos approbant, aiunt gigni in corde ex tenui parte Sanguinis. Academici, & præsertim Proclus, aiunt Animam extrinsecùs eos recipere. Insuper Peripatetici aiunt in solo viuente corpore seruari, in eoq; solo esse præditos vitali facultate, recepta in corde. Academici etiã seorsùm seruari affirmant. Prætereà Academici ea rectiùs nuncupare ualent Vehicula animorum, quàm Peripatetici. Ratio est, quia vehiculum est aliquod totum, in quo ualeat uehi id, cuius est uehiculum, quod spiritibus tribuunt Academici, non autem Peripatetici: hi enim inficiãtur animã in solo corpore seruari posse, quod instrumentis careat, & propterea spiritus appellant commune instrumentum animę, non autẽ uehiculũ, solùm per metaphoram dicerent à corde per spiritus deferri facultate animæ per uniuersum corpus. Et profectò si Anima ex hominis corpore deberet prodire iuncta huic aëreo Vehiculo, possemus Platoni obijcere id, quod ipse in Phædone illis obijcit, qui Animam corpus aliquod esse existima-

6. Opinio. Arist. 1. concl. 2.

De Vehiculo Aëreo Peripatetici ab Academicis dissentiunt.

ſtimârunt, nam inquit ſi id eſſet, ſummoperè cauendum eſſet, dum moritur, ne ſpirent venti, alioquin ab eis diſſoluerentur animæ: at longè faciliùs diſſolui poſſent aërea Vehicula, ſine quibus infra Cęlum putant Academici non reperiri Animas. Inſuper cum dicant Vehicula recipere vitam irrationalem ab anima in hoc labuntur abſurdum, quòd ſub Luna reperiantur viuentia, quæ ſeruentur ſine alimento. Inſuper in aliud, quòd reperiantur facultates organicę ſine ſuis organis; & quòd oculi non ſint neceſſarij, vt videamus; nec aures, vt audiamus. Fūdamēta, quibus vtuntur pro eis approbandis, facilè euertuntur. Nam quòd in uiuentium corpore inueniantur ſpiritus, conceſſum eſt; illi tamen non uehiculum, ſed commune inſtrumentum animorum dici debent. Quòd autē anima ex craſſo corpore exeat unà cum eo, ac ei iuncta uagetur per aërem, illiſq; fungatur officijs, quæ relata ſunt, longè abeſt à uero.

Fundamēta aduerſa euertūtur.

Ariſt. animam ſeorsùm à craſſo, & organico corpore reperiri poſſe non exiſtimauit: & ea, quæ dicuntur de uocibus, & apparitionibus, putauit imaginationes inanes, ex timore, & bile atra prodeuntes.

Ariſt.

Noſtri quoq; Theologi, quamuis rectè putent Animam exire ex craſſo corpore; & ſeorsùm ab eo ſeruari, non propterea ei competere exiſtimant huiuſmodi aëreum uehiculum, cum quo infra Cęlum ſemper ſit iuncta. Ego autem ueritati ab eis explicatæ conſtanter adhæreo.

Theologi.

Philop. autem ſuo more frequenter Academica, & Peripatetica decreta cum Theologicis permiſcet, & modò hos, modò illos ſequitur.

Philop.

Decurſo Vehiculo medio, ſeptimo loco conſiderandum occurrit, quid de extremo, nimirùm de craſſo Vehiculo ſit dicendum? Enunciatum legitur à Platone in Phędro, nos huic corpori ad inſtar oſtrearum eſſe alligatos: hinc Academici hoc tertium nūcupant Vehiculum Oſtreaceum, & craſſum. 7.

Vehiculū Oſtreaceū.

De quo loquens duas profero concluſiones; Prima eſt, animam humano corpori craſſo reperiri iunctum, tanquam ſenſu notum, in dubium non eſt vertendum; *1. concl.* Altera eſt hoc corpus rectiùs per principia Academica, nomine Vehiculi denotari meretur, quàm per Principia Peripatetica. 2.

Pro cuius notitia cōſiderādum eſt, quòd conditio Vehiculi, & eius quod vehitur, eſt; ut ſint duo diſtincta, adeò vt ex eis vnum non conſurgat: alioquin idem veheret ſe.

Conditio Vehiculi.

Inſuper eſt animaduertendum, quòd Ariſt. Animam conſiderauit, ut actum corporis organici, ex quibus conſurgit corpus viuens, & propterea corpus hac conſideratione non eſt vehiculum animæ. Plato uerò per Animam denotauit eam ſolam, quæ eſt rationis particeps, ex qua tanquam idola, Vmbræ, & veſtigia, prodirent in corpora uitæ irrationales, adeò ut ea tanquam domina, & Artifex, corpore vteretur tanquam inſtrumento: hinc hominem definiebat, quòd ſit Anima corpore vtens, ac ita rectiùs dicere valuit corpus eſſe vehiculum Animæ, ut Nauem Nautæ. Hinc oritur, quòd apud Academicos frequenter fit mentio de Vehiculis Animæ, non autem apud Peripateticos.

HABITVS, ET DISPOSITIO.

DIVISIONES.

Habitus triplex.

HABITVS vſurpatur tripliciter; Vel maximè propriè, & pertinet ad animum, quales ſunt habitus virtutum rationis, moralium, & Vitiorum; Vel minus propriè, & pertinet ad corpus, ita tamen ut ei ſit internus, Veluti ſanitas, & ægritudo; Vel apprimè latè, & hic pertinet non ad animum, ſed ad corpus, non intrinſecùs ſed extrinſecùs, ut indumenta nũcupantur habitus, quæ magis propriè dicimur habere. Inſuper habitus ad Animum pertinens, uel attinet ad facultatem appetentem, uel cognoſcentem. Si ad appetentem, uel ſeruat medium Prudentia circumſcriptum, & dicitur Virtus Moralis, uel recedit à medio, & eſt Vitium. Si attinet ad facultatem noſcentem, ea facultas uel eſt ſenſus, uel Mens: ſi fuerit ſenſus dicitur confirmata & conſtans memoria, quæ eſt fundamentum & Penu habituum Mentis: inſuper etiam dicitur opinio ſenſitiua. Si uerò fuerit Mens, uel habitus, talis eſt ut in eius ratione ſit rectitudo uel ne: ſi non, dicitur propriè ſumpta opinio ad Mentem pertinens, ſiue opinio rationalis, quæ & uera, & falſa eſſe poteſt. Si autem rectum ſit in eius ratione, uel eſt habitus inſtrumentarius, uel principalis: ſi inſtrumentarius, talis eſt Grammatica, Logica, Rhetorica, & Poetica: Si Principalis, uel dirigitur ad Agendum, qualis eſt Prudentia, uel ad efficiendum, & dicitur Ars, uel ad contemplandum, & eſt Intelligentia, Sapientia, & Scientia. Inſuper diſpoſitio uſurpatur dupliciter, uel ut contradiſtinguitur ab habitu, ac ita dicitur facile mobilis, uel latè, ut etiam de habitu dicitur: nam prædita habitu, etiam dicuntur diſpoſita: Hæc tamen inter eas eſt differentia, quia Diſpoſitio contradiſtincta ab habitu diſponit pro habitu: at extenſa ad habitum dicitur diſponere ſubiectum, ac illud modo aliquo afficere. Diuidi etiam poteſt Habitus, in probum & improbum; formoſum, & deformem; ſalubrem & inſalubrem; vtilem & pernicioſum; acquiſitum vel naturâ, vel ratione, vel aſſuetudine, & alijs ſimilibus diuiſionibus. Demùm Habitus vſurpat dupliciter, nimirùm uel pro qualitate ſiue fundamento, vel pro ſua formalitate, quæ relatio eſt.

Habitus animi.

Diſp. duplex.

Aliæ diuiſiones habitus.

DEFINITIONES.

HABITVS, sumptus pro absoluto, est constans & firma affectio, per quam subiectum ea præditum denominatur, & promptè ac constanter operatur. Insuper est qualitas, quæ difficilè à suo subiecto remouetur, cui inest vel naturâ, vel studio, vel assuetudine, principiumq; in eo est, per quod constanter, & facilè operatur, Præterea Habitus formaliter consideratus, & quatenus ad aliud refertur, est relatio, qua forma & constans affectio ad subiectum habitu præditũ refertur. Dispositio latè sumpta & pro absoluto, est qualitas, qua subiectum eius modo aliquo afficitur & denominatur: Sumpta verò pressiùs, ut contradistinguitur ab Habitu, est qualitas facilè à subiecto mobilis, qua subiectum modo aliquo afficitur, denominatur & ad vlteriorem perfectionem paratur: Considerata autem pro relato, & secundum formam, est relatio, qua affectio facilè mobilis ad subiectum ea dispositum refertur.

Habitus pro absoluto. *Habitus pro relato.* *Dispositio*

ANNOTATIONES.

CONSIDERO primò, ex sententia veterum putantium materiam esse vniuersam substantiam rerum, formas omnes denotari nomine Habitus, & Dispositionis; ut Arist. affirmat in 2. Phy. cõt. 7. & 8. Nam cum materia sit essentia tota, reliqua dicuntur passiones, dispositiones, & habitus, ut eo loci affirmat Philosophus. Cõsideratur autem hic ordo. Passio est principium; Dispositio medium; Habitus autem finis. Passio dicitur de motu, & transmutatione, ex qua prodit dispositio, quæ est uia ad habitum. Ex sententia autem Aristo. cum forma sit principalis essentia, non rectè dicitur dispositio, & habitus materiæ, sed ex ea & materia substantia composita, & integra constituitur: id autem, cuius cætera sint dispositiones, debet esse totum quoddam, & completum in specie. Considero secundò, In attinentibus ad habitum, & dispositionem considerari hunc ordinem, In habitibus ratione, & more comparatis, antecedit Potentia, quæ nobis per naturam competit, veluti per Naturam sumus capaces scientiæ: Hanc sequitur Inclinatio & facilitas, siue Ineptitudo: Tertiò, studio, vel assuetudine acquiritur dispositio: Quartò sequitur habitus: Quintò habitum sequitur Promptitudo, & Constantia ad operandum. Considero tertiò, Habitum posse nobis competere vel naturâ ut sanitas, & ægritudo; uel assuetudine, ut Virtutes Morales, & uitia opposita: uel studio, & ratione, ut Virtutes ad rationem pertinentes: ideò de his tribus facta est mentio in definitione: principales tamen habitus, more & ratione acquiruntur, qui in solo homine propriè locum habent. Quartò considero, quòd Mos, Consuetudo & Habitus dicuntur altera natura, quod non est verum secundum essentiam, sed solùm secundum similitudinem, & analogiam: & quamuis vulgò dicatur, quòd Consuetudo est altera Natura, id tamen non est uerum de consuetudine, sed de habitu, qui More, & consuetudine formatus est: qui habitus cum sit accidens, non potest dici Natura, quæ est substantia, sed eis similis: vt enim Natura se habet ad corpus Physicum, ita habitus ad id, cuius est habitus: ambo enim sunt formæ quædam internæ, & interna Principia, per

Primum considerandum. *Sententia Veterum.* *Sententia Arist.* *Alterũ cõsiderandũ.* *Quinque subordinata.* 3. *Modis tribus produci habitus* 4. *Habitus est altera Natura.*

5. *Habitus nõ est principiũ operandi absolutè primũ*

quæ facilè, promptè, constanter, & sine interna pugna operantur, & transmutantur. Insuper quinto loco considero, quòd quamuis Habitus, & Natura ambo dicantur interna Principia operandi; secernuntur tamen, quia Natura est principium internum primum absolutè, Habitus verò non absolutè est primum; præsupponit enim Naturam, qua non conspirante, habitus euanesceret, & operari non posset. At quamuis non sit principium internum absolutè primum, est tamẽ primum in suo genere, nimirùm quatenus opus est Artificiosum, vel Prudentia factum, veluti Ars saltandi non est Principium absolutè primum; per quod homo moueatur, est tamen primum, per quod artificiosè moueatur, adeò ut sit principium non motus absolutè, sed ordinis, & formæ eius. Sextò loco considero,

6. *Quib. competit habitus.*

quod Habitus non competit Elementis, neç corporibus inanimis, vt metallis, & fossilibus, sed solis viuentibus, & illis quidem non omnibus, non enim competit Plantis, nec stirpanimalibus, nisi minus propriè, & obscutè; Materia rerum, & expertia Animæ, dicuntur quidem parari, & disponi pro recipienda forma; at hæc non est ea dispositio, quæ contradistinguitur ab habitu, sed est forma vna, ordinata in formam alteram. Habitus autem propriè competit Animalibus absolutioribus, & præsertim homini, Ratio est, quia habitus exposcit subiectum absolutum & perfectum: hinc propriè de eo dicitur, qui more, & ratione acquiritur, & quamuis dentur habitus cùm animi, tùm corporis; omnes tamen sunt ipsius compositi, & non sunt corporis sine anima, ut sanitas, & ægritudo; nec Animæ sine corpore, vt Virtutes morales, & rationis: dicuntur tamen esse vel Animi vel corporis, ratione proprietatis, originis, & conditionis, quatenus vel vni, uel alteri præsertim, & magis propriè competunt, veluti etiam soli homini videntur competere externi habitus corporis. Considerò septimò, In dubium verti, ad quod prædicamentum pertineant & redigantur Habitus, & Dispositio? Quæ

7. *Ad quod prędicamẽtum redigantur. Controuersia ĩ Aris.*

de re Arist. secum pugnare videtur, nam in prædicamentorum libro, Habitum & Dispositionem numerat pro prima specie Qualitatis, veluti etiam in primò de Cęlo cont. 21. quo loci ostendens Cœlum non alterari inquit, est enim alteratio motus secundum qualitatem, qualitatis autem habitus & dispositio non sine mutationibus passionum sunt, ut sanitas, & morbus. Ex aduerso in quinto Metaphysicæ diuidens qualitatem, & numerans species eius, habitum & dispositionem prætermittit: & in 7. Physicorum habitum & dispositionem à serie qualitatum reijcit, affirmans pertinere ad prædicamentum Relationis, nam alterius esse

Sol.

dicuntur, non autem qualitatis. Pro solutione dico Habitum & Dispositionem vsurpari dupliciter, nimirùm pro absoluto, quod fundamentum dici potest, & pro relatione superaddita fundamento. In prima significatione est qualitas, non distincta à cęteris speciebus Qualitatis, sed ad aliquam earum pertinens, & præsertim ad passionem, & passibilem qualitatem. In altera uerò, est ad aliquid, vt etiam ex prædicamento Relationis elicitur. Hæc solutio elicitur ex primo de Cœlo. 21. quo loci inquit Arist. Qualitatis autem habitus & dispositio, non sine mutationibus passionum sunt indicans passiones esse fundamentum eius relatio

Dub.

nis, quæ per habitum denotatur. At oritur dubitatio, quia veriores, & potiores habitus ad animum pertinent, in quo tamen qualitates passibiles locum non habent. Insuper Virtutes morales, & rationales sunt qualitates, per quas homo denominatur qualis, & nuncupantur habitus, quæ tamen cum passionibus, & passibilib. qualitatib. nullã habent cõnexionẽ. Prætereà adhuc dubitatio non est

Sol.

soluta, quia Ari. in Prædicamento Qualitatis habitũ & dispositionem numerat

1. fundamentum so

pro specie qualitatis, distincta ab alijs. Pro solutione tria dico. Primũ est, ex sententia Arist. in Mente tanquam in subiecto nihil recipi, cum enim ex materia non pen-

pendeat, etiam est Immunis à conditionibus eius. Alterum est, quòd cum in- *lutionis.*
terni sensus sint materiati & organici, eisq; maximè famulentur spiritus, qui 2.
sunt commune instrumentum Animæ, ualent alterari permutari, & aliquid re
cipere; recipiens autem non est sola Anima, nec solum corpus, sed congrega-
tum; hinc Aristo. in 7. Phy. dixit, alterationem posse attingere sensum, non au-
tem Mentem, Et in lib. de Motu Animalium affirmauit notionem animi inclu
dere facultatem obiecti, cuius est notio, & ob id mouere, alterare, calefaciendo,
refrigerando, ac simul extendendo, & contrahēdo, spiritus, & neruos, adeò ut
habitus non fiant sine alteratione, ex quo patet eos non in sola anima fieri, sed
in congregato ex anima & corpore. Addo tertiò Aristotelem in libro prædi- 3.
camentorum de rebus loqui populariter, non autem subtiliter, & exactè: Ha-
bitus & Dispositio sunt species qualitatis non quidem uerè, & propriè ab alijs
distinctæ, sed apparenter, quatenus per superadditam relationem modo uario
denominatur subiectum; non enim ob superadditam considerationem con-
stantiæ, uel mobilitatis uariatur species qualitatis, neque etiam ob superad-
ditam relationem. Ex his patet resolutio difficultatis, remotio controuer-
siæ, & solu. aduersarum rationum. Considero octauò, de Habitibus Ani-
mi, & Dispositionibus duas esse opiniones. Nonnulli putant habitum scien- 8.
tiæ, sapiētiæ, & similes, esse qualitatem distinctam à Phantasmatibus, in memo- *De habitu 2. opinio*
ria seruatis, inclinantem, & dirigentem ad contemplandum, vel agendum, id, 1.
cuius nobis competunt Phantasmata. Alij longè probabiliùs affirmant, habi- 2.
tum & dispositionem nil aliud esse, nisi seruata Phantasmata, nam ea sunt, quæ
ad agendum & contemplandum dirigunt, nec qualitatem aliam producere va-
lent, & præsertim quia nisi cogamur, non debemus ea, quæ sunt multiplicare.
Habitus itaq; nil aliud sunt, nisi Phantasmata distinctè ordinatè, & constanter
seruata, veluti etiam sanitas, & habitus corporis non sunt aliquid distinctum à
qualitate firma, & constante. Ex his colligo non dari habitum & dispositio-
nem sumptam pro specie qualitatis distincta ab ea, cuius dicitur nobis compe-
tere habitus, vt habitus externus corporis est ipsummet indumentum. His *Spiritalia*
accedit, quòd spiritalia cum sint imitationes Principalium, non propriè sunt *nō propriè in prædica*
in prædicamento, nisi per reductionem ad id, cuius sunt imitationes. Nonò *mento.*
considerandum occurrit, quòd cum habitus morales, ex consimilibus actioni- 9.
bus prodeant, iure nos monet Aristo. in 2. Nicomachiorum cap. 1. non parùm
sed plurimùm, immò potiùs totum referre, sic, an secùs homines ab adolescen-
tia assuescere. Hinc præcipiebat Plato iuuenes ab ineunte ætate in eis luden-
do versari, quæ mox adulti seriò tenerentur exequi: quanti autem momenti
sit varietas cultus animi, & generis vitæ, patefecit Lycurgus Lacedæmonibus e- *Lycurgus.*
xemplo duorum catulorum, qui cum ex eodem partu in lucem prodijssent, va
rioq; modo deinde fuissent educati, longè varij euaserunt; quod magis in homi
ne uim habet, cum magis per usum, & disciplinam sit natus uario modo forma
ri. Decimò ex nuper dictis emergit dubitatio, num operatio præcurrat, uel
potiùs sequatur habitum? Quòd præcurrat, patet, quia per eam producitur 10.
habitus. Quòd autem sequatur, ostenditur, quia habitus est principium ope- *Dub.*
randi. Mouit hanc difficultatem Aristo. 9. Met. cap. octauo, quam ego breui- *Nū pcur-*
bus soluens dico actionem, & habitum dupliciter posse considerari, uel absolu- *rat opera-*
tè, uel in eodem: dum considerantur absolutè, habitus dicitur prior; ut in 3. de *tio uel ha-*
Anima 27. inquit Aristo. Scientiam actu esse eandem cum re, cuius est scientia: *bitus?*
& quamuis in eodem potentia antecedat actui, absolutè tamen non antecedit,
quia ex actu pendet productio rerum, ut etiam ostenditur in 9. Metaph. At

dum

dum operatio & habitus considerantur in eodem; tunc utendum est distinctione operationis, ea enim est duplex; Vna imperfecta, quæ parat, & purgat, & hęc pręcurrit; Altera perfecta, quæ est animi purgati, firmi, & constantis quæ sequitur habitum. Prima operatio iunctum habet laborem, pugnam, & inconstantiam. Altera uerò lętitiam, consensionem, & constantiam. Hinc iure Aristo. in secundo Nicomachiorum cap. 3. ait, signum habituum esse uoluptatem comitantem actionem, de qua etiam dicitur, quòd perficit opus. operatio præcurrens habitum uirtutis est iusta, at non iustè acta, quæ uerò sequitur, nedum iusta est; uerùm insuper dicitur iustè facta. Ex quo etiam elicitur solu. alterius difficultatis; quæri enim solet, num operatio, quæ antecedit, sit eiusdem conditionis cum ea, quæ sequitur, uel distinctæ? Patet enim quòd est eiusdem conditionis communis, at non propriæ, ut operatio est, at non ut talis operatio & dici potest eadem secundum materiam, at non secundum formam. De attinentibus ad numerum habituum animi, nec non ad eorum distinctionem, multa dixi in scientia Ciuili, quæ modò missa facio.

An actio antecedēs, & sequēs eiusdem sint

11. Verùm occurrit vndecimò non prætereunda dub. Nam definitio Naturæ videtur etiam habitibus Animi competere, Natura definitur, quòd sit internum principium & causa motus, quod etiam est uerum de habitu: est enim habitus internum Principium contemplandi agendi, & efficiendi. Respondeo habitum longè distare à natura, nec ei definitionem naturæ competere multiplici ratione. Prima est, quia Natura est principium internum primum absolutè; habitus autem non est principium internum primum absolutè sed in suo genere, vt dictum est.

An definitio Naturæ cōpetat Habitibus Animi. Sol. 1. differentia.

2. Secunda, quia Natura est internum principium motus Naturalis; Habitus non est primum principium motus naturalis, sed uel Artificiosi vel Prudentis & similium.
3. Tertia ratio est, quia Natura est principium motus, eius in quo est; Habitus autem frequenter est Principium, per quod transmutatur, non id in quo est, sed aliud.
4. Quarta ratio, quia Natura absolutè dicitur Principium motus; Habitus uerò non absolutè est principium motus, sed potiùs qualitatis, ordinis, & dispositionis eius.
5. Quinta, quia dum definitur Natura, subintelligitur, quòd sit essentia rei, ac ita sit principium; Habitus autem accidens est.
6. Sexta, quia Natura ne dum efficit motum, sed etiam eius finis est, vt dicitur in primo de Partibus Animalium; Habitus verò solùm efficit, non autem est eius finis, veluti Ars ædificandi efficit quidem domum, non autem est eius finis.
7. Septima, quia Natura est principium internum mobile secundum se; Habitus autem solùm esse valet principium internum mobile ex accidenti, ueluti dum Medicus curat se, ut docet Philosophus in 2. Physi. cont. 3.

DIVI-

DIVITIÆ, ET PAVPERTAS.

DIVISIONES.

CONSIDERANTVR Diuitiæ, Opes, Pecunia, Moneta, Paupertas, & Indigentia. Diuitiarum nomen vsurpatur & per Metaphoram, & propriè. Diuitiæ per metaphoram transferuntur ad animum: propriè autem competunt corpori, prædito tamen Animo. Dum diuitiæ referuntur ad Animum, vel referuntur ad facultatem cognoscentem, vel ad appetentem: Si ad cognoscentem, Sic habitus rationis dicuntur Diuitiæ Animi, vt Scientia, Sapientia, Prudentia, Intelligentia, & Ars: Si verò referuntur ad Facultatem appetentem, Sic Charitas, dicitur Aurum ignitum, & negligentes bona Fortunæ, eaq; non appetentes, dicuntur Pauperes spiritu, cum tamen simul sint diuites animo. Hæ sunt illæ diuitię, quæ dicuntur Thesauri cęlestes, & non sunt in manibus Fortunæ, sed supra Fortunam collocantur: & nos reddunt Fortunæ dominos. Ex aduerso Diuitiæ, & Opes ad animatum corpus relatæ, vel sunt naturales, vel Artificiosæ, vel mixtæ. Naturales sunt, quæ à natura pro vsu nobis tributæ sunt, vt Plantæ, fructus Terræ, Pisces, Pecudes, & similia, quæ Natura fecit communia cunctis, vsus uerò diuisit. Artificiosæ sunt duplices; Vel enim Arte conficiuntur, & pro usu conducunt, & sunt ipsius Artificis; Vel Lege constat, ut Numus, siue Pecunia, quæ profectò uerè diuitiæ non sunt, ut aliæ: nã hæ, dempta lege, à qua nomen sumunt, inanes remanent. Numus enim à νόμος, dicitur, Lege autem paratus est pro facili commutatione diuitiarum. Mixtæ autem dicuntur, quę ex Natura, & Arte pendent, ut se habet de Caseo, Gypso, & similibus. Insuper diuiduntur in Diuitias, & Opes. Diuitiæ ad usum; Opes uerò ad auxilium & opem referuntur; ideò Cicero in libro de Amicitia dixit diuitias ad necessaria, opes uerò ad Magnificentiam conferre. Diuitię ab Aristo. nuncupantur absolutè bonę, & utiles, quę tamen nobis esse possunt & bonę, & malę, & utiles, & inutiles. Ex diuisionibus Diuitiarum refulgent diuisiones Paupertatis. Insuper diuitiarum nomen usurpatur dupliciter, uel latiùs, ut extenditur etiam ad opes; uel pressiùs, ut contra distinguitur ab opibus. Ego pręsertim agam de diuitijs propriè sumptis, extensis etiam ad opes. Demùm diuitiæ uel sunt sui conditione tales, uel Legę paratæ, ut numi.

Diuitiæ per Metaphoram.

Diuitiæ ad hominẽ relatæ.

Diuitiæ Opes.

Diuitiæ Natura & Lege.

DEFI-

DEFINITIONES.

Epicurus, Arist.

AB Epicuro (referente,& approbante Seneca)definiuntur Diuitiæ,quòd sint in Lege Naturę composita Paupertas.Hęc namq; Auaritiam extinguit,& necat. Arist.in 1.de Rep.cap.5.inquit, Diuitiæ propriè sumptę constant ex his,quæ necessaria sunt,vel utilia,ad vitæ societatem, aut Domus. Insuper eodem in loco ait,Diuitię sunt multitudo instrumentorum rei familiaris & rei Publicæ. Diuitiæ dici possunt munera Fortunæ, quæ cum simplicter sint bona,nobis & bona,& mala esse possunt ob varietatem vsus. Insuper diuitiæ sunt bona,uel necessaria,uel utilia à Natura,siue ab Arte parata,ratione ministranda,pro humanę uitę utilitate,siue necessitate. *Numus.* Numus siue numisma, est metallum Arte excusum,ac figuratum,Lege paratum,ut sit mensura pretij diuitiarū. *Pecunia.* Pecunia est numus uel pecudis figura formatus,uel à ueteribus ita dictus, quia pręsertim ex fructu pecudum eliciebatur, fructumq; pecudum mensurabat. *Paupertas.* Paupertas est diuitiarum inopia,homini competens,quę uel est diminutio, uel absoluta priuatio. *Moneta* Moneta est numus nos monens sua figura uel de pretio,uel de Principe,cuius Lege formatus est.

ANNOTATIONES.

Primum quod consideratur. Diuitiæ et Mensura earum. Arist.

CONSIDERO primò,aliud esse diuitias, aliud mensuras diuitiarum,nam quamuis homo per utraq; denominetur diues; re uera tamen illę sunt diuitię, quę proximè inseruiunt necessitati,utilitati,& usui hominum; & id habent ex sui conditione, non ex Lege. Numis autem & pecunię id non competit, sed sola Lege,& consuetudine id faciunt, solumq; inseruiunt pro mensura diuitiarum,vt commodius fiant commutationes earum. Ideò legitur apud Arist.in 1.de Rep.cap.6.Diuitias plerięq; putant esse multitudinem pecuniæ,circa quam versantur pecuniaria & quæstuaria cura: contra verò interdum videtur futile quiddam Numus, & Lex,nec quicquam secundum Naturam,quoniam mutata Lege nullius pretij,aut vtilitatis inspicitur: absurdum autem est,eas putare esse diuitias,quarum abundans quis fame perire possit,vt de Mida in Fabulis traditur. Considero secundò, Diuitias, & Paupertatem soli
2. homini competere,non enim Armenta, Iumenta, Aues, uel Pisces diuites, uel pauperes denominantur. *Solus homo diues, & solus Pauper.* Ratio est, quia Diuitiæ dicuntur propriè alicuius, quæ proprietas soli homini per usum competit: Iumentis autem & feris omnia sunt communia, nil proprium alicuius. Præterea diuitiæ debent ratione distribui,& dirigi,rationis autem Solus homo est particeps. Similiter sunt instrumenta uirtutis,& actionum;actio autem,cuius principium est selectio, soli homini competit. Demùm homo pluribus eget,quàm ullum aliud animal, eget enim alimentis,indumentis, & alijs pluribus, ob quam maiorem indigentiam,modò diues,modò pauper esse dicitur. Prima tamen ratio potissima est,
3. hinc homines ante rerum diuisionem,nec diuites erant,nec pauperes. *Diuitiæ ad compositū referuntur* Considero tertiò,quòd cum Diuitię referantur ad hominem, illæ non soli corpori, nec soli animo competunt, non enim cadauer, uel animus à corpore solutus pau-

pauper est, uel diues; sed referuntur ad compositum, nam Indigentia oritur ex corpore: distributio uerò, possessio, & usus, ex animo prodit, ueluti etiam appetitus diuitiarum, & moderatio appetitionis. Considero quartò, mensuram diuitiarum nuncupari numum, pecuniam, & monetam, & ex metallo constare: dicitur numus à Lege, pecunia à Pecude, ut dixi in diuisionibus. Moneta autē nuncupatur, quia nos signi impressione uel Auctoris, uel pretij moneat: ex metallo autem constituitur, quia solidum, & permanens est, facileq; funditur, & imprimitur, præsertim autem ex auro, & argento, ob raritatem, puritatem, & pulchritudinem. Natura nostris pedibus subiecit Metalla, nos autem cum natura pugnantes, ea suspicimus, & sublimia reddimus. Considero quintò cum Platone in Cratylo, quòd Pluto fingitur Deus diuitiarum, cum enim Pluto dicatur imperare his, quæ sunt sub Terra: Diuitiæ omnes è visceribus Terræ educuntur, Hinc Ouidius 1. Metamorph.

Quartum. Cur mensura diuitiarum dicatur Numus Pecunia, & moneta

5. Pluto Deus diuitiarū.

Itum est in viscera Terræ
Quasque recondiderat, Stygijs vsque admouerat vndis
Effodiuntur opes, irritamenta malorum,
Iamque nocens Ferrum, ferroq; nocentius Aurum,
Prodierat, prodit bellum, quod pugnat vtroq;

Pluto autem Deus diuitiarum, & cęcus, & Claudus pingitur. Dicitur primò Deus diuitiarum, quia Pluto denotat Animam terræ, & Deum subterraneum: diuitiæ autem ex terra prodeunt. Insuper quia diuitiæ ad infera nos vertunt, & trahunt. Præthereà dicitur cæcus. Primò, quia viscera Terræ tenebricosa, obscura, & cæca sunt. Secundò, quia diuitiæ perperàm & cęco modo videntur distributæ, frequenter enim minus digni magis eis abundant. Tertiò, quia dicuntur bona Fortunę, quæ cæca pingitur. Quartò ab effectu, quia diuitię frequenter cęcos, & temerarios eos reddunt, quibus competunt, ideò dixit Seneca, Fortuna quem fouet, stultum reddit, & oculo Mentis captum. Demùm Pluto dicitur Claudus. Ratio prima est, quia diuitię nisi Prudentia regantur, Claudę sunt, & reddunt nos propensos ad infera, egeat itaq; Prudentię baculo, vt substineantur, ne ruant, & nos pręcipites reddant. Secundò, quia diuitię frequenter cum iniustitia & inęqualitę sunt iunctę, quod per claudi conditionem denotatur, nam vel iniustè parantur, vel iniustè distribuuntur. Tertiò, quia Pluto dicitur pręesse subterraneo igni, ignis autem dicitur Claudus, quia continenter eget alimento, & propterea tanquam Claudus semper inclinat ad alimentum, eoq; tanquam baculo eget. Considero sextò, diuitias dici bona externa, & Fortunę: nam bona vel sunt Animi, vel corporis, quę etiam dicuntur bona naturę, vel externa, quę dicuntur bona Fortunę. Iure autem diuitię nuncupantur bona Fortunę; cum sint inconstantes, multis varietatibus obnoxię, ac sępe ex accidenti nobis competant. Septimò considerandum occurrit, num detur terminus diuitiarum; vel ne? & si datur, quis sit huiusmodi terminus? Opinio fuit quorundam nullum dari terminum diuitiarum, hinc Auarus nunquam explet appetitum auri, & hydropi similis dicitur, de quo cecinit Horatius,

Pluto cęcus et claudus.

Cur cęcus. Seneca.

Cur claud

6.

Diuitiæ sunt bona externa & Fortunæ.

7. An detur termin' diuitiarum. Opinio negantium.

Crescit indulgens sibi dirus Hydrops
Nec sitim pellit, nisi causa morbi,
Fugerit uenis, &c.

Simi-

Similiter Solon (referente Aristo. in 1. de R. P. cap. 5. Dixit. Diuitiarum nullus hominibus constitutus est finis. Confirmatur, quia (vt enunciauit Seneca) Desideria humana, vbi desinant, non habent. Ex aduerso Arist. loco nuper relato eam sententiam arguit, inquiens, Omne instrumentum sui conditione finitum est; nullum autem infinitum neq; magnitudine, neque multitudine: Diuitię sunt multitudo instrumentorum rei familiaris, & Publicę: non itaq; certo aliquo termino carent. Pręterea Natura nil facit frustrà, & nil ad id efficiendùm aggreditur, quod assequi non valeat: cum itaq; homines diuitias quęrāt, & infinitum transiri nequeat; non est putandum eas carere termino. Pro solutione, & conciliatione opinionum, dicendum est, Diuitias ad duo posse referri, vel ad appetitum, naturę consentaneum, rectáque ratione directum, vel ad appetitum naturę aduersum, ex deprauata sensuum & animi constitutione prodeūtem. Prima consideratione diuitię sunt termino prćditæ. Altera verò, vbi desinant, non habent. Prima consideratione vera est sententia Aristo. Altera verò aduersa. Et quoniam vnumquodq; ad id debet referri, quod rectum est, id enim dicitur mensura absolutæ, & propriæ conditionis rerum; Ideò absolutè loquendo rectior censenda est sententia Aristo. quàm aduersa. At considerandum superest, qui sint termini diuitiarum, & vnde sumantur? Cui difficultati respondens dico, terminos ex duobus recipi, vel ex materia, vel ex fine: si materiam consideramus, hoc est res, quæ nomine diuitiarum denotantur, sic ab solutè finitæ sunt ex conditione earum, quatenus in Mundo corpus infinitum mole, vel infinita corpora numero reperiri nequeunt: & de hoc non est dubitatio. Si verò termini recipiantur ex fine appetitionis diuitiarum, dico diuitias esse tanquam medelas hominis vel singularis, vel domestici, vel publici; & terminus diuitiarum recta ratione circumscriptus, est terminus indigentiæ rectæ dispositionis illius, cuius sunt diuitiæ, adeò vt latior vel angustior censeri debeat, quatenus indigentia vel latior est, vel angustior: non enim terminus est idem absolutè & ęqualis omnibus, sed est idem, & consimilis proportione Geometrica, vt etiam se habet de Iustitia distributiua. Hinc Seneca Ep. 2. enunciauit, Qui sit diuitiarum modus quæris, primus habere quod necesse est, Maximus verò quod sat est; non enim qui parum habet, sed qui plus optat, pauper est. Et Epist. 16. ait, si ad naturam uixeris, nunquam eris pauper; si ad opinionem, nunquam eris diues: exigua enim Natura desiderat, opinio uerò immensum. Considerandum octauò in dubium uerti, num diuitiæ censeri debeant bonæ, uel malæ, uel neutræ? Stoici negant esse bonas, sed commodas appellant. Boëtius in lib. de Consolatione, & Seneca Stoicos sequuntur, & quod bonæ non sint, ostendunt. Primò, quia hominem, cui competunt, bonum non reddunt. Secundò, quia etiam uiris improbis competunt. Tertiò, quia frequenter ui, & iniustè parantur. Quartò, quia sunt instrumenta multorum uitiorum. Demùm id quod probis prodest, improbis obest, ex se neutrum censeri debet. Ex aduerso Arist. diuitias nuncupat Bona absolutè, & simpliciter, & bona quidem utilia, cum sint tanquam instrumenta, & medelæ. Ratio est, quia unumquodq; tale absolutè iudicari debet, quale est uiro Prudenti, & probo, nam id, quod est rectū, censeri debet mensura, non autem id quod est obliquum; & unumquodq; per usum rectum debet iudicari, non per deprauatum. Dixit Heraclitus hominem esse mensuram rerum, & unumquodq; esse tale, quale uidetur homini. Arist. in 9. Metaphysicæ corrigit eius sententiā inquiens, unumquodq; non tale esse, quale uidetur homini, sed quale uidetur uiro sapienti, nam uir sapiens cum Natura rerum conformatur; & in sexto Topicorū ait,

Marginalia: Solon. — Opinio aduersa. — Resol. — Qui sint termini diuitiarum. — Terminus ex materia. — Ex fine. — Seneca. — 8. Num diuitiæ sint bonæ. — Stoici id negant. — Opinio aduersa. — Heraclit. — Arist.

rit,ea esse priora,& notiora viro sapienti,quæ etiam sunt priora,& notiora natu rá. Similiter ea absolutè debent censeri bona,quæ viro probo, & Prudenti bona sunt:diuitiæ autem sunt huiusmodi. Confirmatur, quia ea quæ in bonum finem absolutè parata sunt,absolutè bona censeri debent:diuitiæ in bonum finẽ sunt directæ,si autem peruertantur;id oritur ex vitio,non autem ex earum absoluta conditione. Pro solutione difficultatis,& compositione controuersiæ,duo dico,Primum est,quod lis potiùs est de verbis,quàm de sententia, Alterum est, quod ex varietate constitutionis summi boni,ortum ducit varietas modi loquendi. Quòd lis sit de verbis,ex eo patet,quia Arist. bona statuit triplicia,nimirùm honesta,vtilia,& delectabilia.Stoici verò solùm honesta aiunt esse bona;alia verò inquiunt esse commoda, vtilia, non autem bona. nam bona ea dicunt esse quæ hominem reddunt bonum:hoc autem soli honesto competit;sic itaq; varietas est in voce,quatenus illa quæ à Stoicis dicuntur commoda,& conducentia, ab Arist. nuncupantur bona vtilia. Hinc Seneca in lib. de Vita Beata ait,Diuitias nego esse bonum,nam si essent bonum,bonos facerent, ceterùm. Et habendas esse,& esse vtiles,& magna commoda vitæ conferentes, fateor. Quòd autem ex varia constitutione finis prodeat varietas modi loquendo,ostendo. Nam Stoici summum bonum in sola virtute constituunt,in qua non includuntur diuitiæ. Aristo. uerò in actione ex virtute prodeunte id collocatum affirmat, quæ actio frequenter eget muneribus Fortunæ,ideò diuitiæ magis iudicantur iunctæ cum summo bono, & ob id cum conducant pro summo bono, recta ratione bona vtilia dici possunt Rationes à Seneca & Boëtio formatæ facilè diluuntur. Inquiunt id esse bonum quod hominem reddit bonum. Respondeo,nomen boni esse ab vno,& primò dici de bono honesto,mox de alijs ut conducunt pro illo,& quemadmodum alimenta,& medicamenta dicuntur sana,quia conducũt pro sanitate,ita diuitiæ quia sunt paratæ pro bono,quamuis non primò, saltem secundariò dicuntur bonæ. Et dum dicitur id esse bonum,quod hominem reddit bonum:debemus addere, vel paratum est pro illo & ordinatum in illud. Et dum additur,quòd etiam competunt viris prauis: dicendum est debere considerari vsum rectum,non deprauatum,& accumulationem diuitiarum iustam,non iniustam,quia rectum est mensura rerum,non obliquum. Addebatur,id quod bonis est bonum,improbis autem est malum,ex se esse neutrum. Respondeo esse neutrum, dum sui conditione non est paratum pro bono. Sunt itaq; diuitiæ cum Peripateticis bonum vtile,& bonum simpliciter,hoc est sui conditione paratæ pro bono honesto:ex sententia autem Stoicorum non sunt bonæ,quia non sunt bonum principale,& honestum, sed sunt commodæ, & vtiles, & hoc est quod ab Arist. sola uoce dissentiente dicitur bonum vtile. Considero nonò,Diuitias propriè non in conseruatione,& accumulatione esse positas, sed in vsu, nam inane est instrumentum, nisi eo vtamur, ideò Plato in Eutidemo enunciauit,Diuitias absq; vsu nullas esse,etiam si omnia in aurum uertantur. Et Arist. in primo Rhetor. dixit,omnino diuitem esse magis in vsu,quàm in possessione posi tum est,nam huiusmodi rerum actus atq; usus,ipsæ diuitiæ sunt. Ideò Boëtius de Consol. Philosophica affirmauit, diuitias non reddere hominem diuitem, quia non extinguunt Auaritiam. Et Horatius.

Resol.

Bona tri-plicia ex Arist.

Ex sententia Stoicorum bonum unicum.

Seneca.

Diluuntur rationes aductæ.

9. Diuitiæ in usu positæ.

Boetius.

Horatius

Nullus argento color est Auaris.
Abdito terris,nisi temperato Splendeat usu.

Sic diuitiæ effusione magis,quàm accumulatione fulgent, ideò dixit Seneca

Fortuna dum fulget, frangitur. Vt autem ad hominem pertinet tunc dicitur esse
Epicurus diues, dum non plura his, quæ possidet, optat. Ideò dixit Epicurus, si uis Pytho-
Seneca. cleum diuitem facere, non pecuniæ adijciendum, sed cupiditati detrahendum
est. Et Seneca Epist. 63. affirmauit breuissimam ad diuitias, per contemptum diuitiarum
viam esse, qui itaque diues esse caput diuitias contemnat, & qui optat
10. uerè esse diues sint pauper appetitione. Considero decimò, ex notitia diuitis, &
Paupertas. diuitiarum refulgere conditionem paupertatis: nam Paupertas est priuatio diuitiarum, priuatio autem ei soli competit, cui aptus est competere habitus: hinc solus homo ualet dici pauper. Et quemadmodum diuitiæ considerari possunt cùm ex parte rerum, tùm ex parte appetitionis, ita etiam paupertas. Hinc idem distincta consideratione potest dici & pauper, & diues, ut qui nil possidet, & nil appetit, ut nil appetens est diues, ut nil possidens pauper, similiter qui multa possidet, & plura appetit ex parte rerum est diues, ex parte appetitionis pauper; cum Paupertas sit priuatio, est terminus à quo amoris, & appetitionis diuitiarum. Hinc Plato in Conuiuio dixit, Peniam, hoc est paupertatem, & Indigentiam esse matrem Amoris. Et Arist. in primo Physicorum priuationē statuit Principium generationis, non quia sit propriè causa, sed quia est occasio & terminus a quo appetitionis & generationis, & est aliquid necessariò requisitum pro appetitione, & pro eo, pro quo appetimus.

SENTENTIA.

DISTINCTIONES.

SENTENTIAE nomen usurpatur dupliciter, primò latè, secundò pressiùs & magis propriè. Sententia latè sumpta dicitur de cuiuslibet rei opinione, in qua significatione dicimus ex sententia Arist. non dari Ideas: dari autem ex sententia Platonis, nam deducitur nomen à uerbo sentio. Quæ sententia latè sumpta diuiditur secundum diuisionem scientiarum & Artium, ita enim datur sententia Physica, Mathematica, Metaphysica, Medica, & sic de cęteris, quatenus est de attinentibus ad huiusmodi disciplinas. Sententia autem pressiùs, & magis propriè sumpta est de rebus ad actionem, & mores attinentibus, ut docet Aristo. propè calcem secundi Rhetoricorum, cuius quatuor ait esse species. Sententia enim uel est obscura, uel conspicua: si fuerit obscura debet proferri cum ratione adnexa, quod fit dupliciter; uel cum ratione antecedente, ut quia sumus mortales, tenemur mortalia sapere, ut enunciauit Simonides; uel cum ratione subsequente, ueluti si dixero, despicienda est mors, quia soli corpori obest. Ex aduerso si sententia fuerit conspicua non eget ratione sibi iuncta: & potest esse conspicua dupliciter; Vel quia priùs nota fuerit consensione aut omnium, aut multorum; Vel quia ex se, & sola terminorum notitia sit conspicua: exemplum primæ, ut Virtus est pręferenda diuitijs: exemplum alterius, ut Sanitas est bonum vtile. Insuper diuiditur sententia per relationem ad Enthymema, uel enim est Principium uel conclusio, uel Enthymema totum, sola positione distincta, quæ distinctio etiam ex Aristo. elicitur. Insuper diuiditur Sententia, quia uel est cum præcurrente ratione pro utráq; parte, qualis est sententia Iudicis, inter litigantes; vel est absolutè prolata sine pręcurrente controuersia, quales sunt sententiæ Pythagoræ, Senecæ, Socratis, Diogenis, & aliorum Illustrium moralium. Quæ demùm diuiduntur secundum uarietatem finium, & mediorum, ad quæ dirigunt. Ita Sententiarum quædam dicuntur Heroicæ, aliæ ciuiles, nonnullæ ad Iustitiam, aliæ ad Fortitudinem, vel Temperantiam, uel Liberalitatem, uel ad alia similia attinentes. Quæ senteтiæ, & probæ, & improbæ esse possunt, ut improba ea est, à deprauatis Epicureis prolata, Ede, & bibe, quia post mortem nulla uoluptas. Diuidi etiam potest sententia diuisione Sectarum, ex quarum principijs deducitur, Veluti dicimus nonnullas esse Sententias Stoicas, alias Peripateticas, quasdam Academicas, uel Cynicas, uel similes. Cicero de opt. inquit sententiarum tot esse genera; quot diximus esse Laudum: sunt enim docendi acutæ, delectandi quasi argutæ, commouendi graues.

Sententia late, & pressius sũpta.

Quatuor species sẽtentiarum

Sententia relata ad Enthymema.

Alię diuisiones.

Cicero.

DEFINITIONES.

Definitio ex Arist.

SENTENTIA non est singularium, sed uniuersalium, ut docet Arist. in 2. Rhetoricorum, est enim tanquam Lex uniuersè dirigens, & componens humanas actiones; Ideò definitur ab eodem Philosopho, quòd sit uniuersalis enunciatio de attinentibus ad actiones. Et latiùs ex sententia eiusdem Philosophi definiri potest, siue potiùs circumscribi, quòd sit breuis, & fœcunda enunciatio, quæ etiam Aphoristica dici potest, à uiro Prudente prolata, uniuersè componens humanas actiones, præsertim locum habens in aduersitatibus, & pugna rationis cum sensu. Cicero ad Heren. inquit, Sententia est oratio sumpta de uita, quæ aut quid sit, aut quid esse oporteat in uita breuiter ostendit. Sic sententiæ dicuntur acutæ, concinnæ, reconditæ, Vberes, Salutares, frugiferæ, seueræ, Graues, præclaræ, firmæ, & his ac similibus aduersæ.

Ex Cicerone.

ANNOTATIONES,

ET EXEMPLA.

Quo utimur sententys.

CVM sententiæ de uniuersalibus sint (ut dictum est) dum tamen eis utimur, id uniuersale sumitur pro maiori propositione, cui pro minori addimus singulare id sub uniuersali positum, quod seruare debet sententiam illam, ac ita illud singulare ad actionē dirigit. Insuper ut Leges, ita sententiæ à uiro Prudente, ac ea in re uersato proferri debent, & quia tales ut plurimùm sunt senes, ideò senum officium & peritorum est enunciare sententias. Insuper dum proferuntur à viro Principe, efficaciores redduntur, nam ex eo quoq; pendent Leges & dicitur modo aliquo Lex, & exemplum suorum Populorum. Propterea, in eo magis fulgent, & sunt cum auctoritate iunctæ. Præterea debent sententiæ, ut reddantur vtiliores, ab eo conspicuè seruari, qui illas profert, adeò vt proferens sententiam, seruet eam; propterea, incontinentes, & edaces inaniter proferunt sententias ad continentiam, & ieiunium hortantes, nisi eueniat vt in eis conspicuè appareant incommoda, ob non seruatam sententiam, vt vir sequens meretrices, morbo Gallico turbatus, vtiliter sententias profert pro vitandis meretricibus. Præterea sententiæ vetustiores, & communiores, magis suadent, quia iudicantur tanquam ab omnibus longa temporum serie approbatæ. Insuper tenetur qui sententias profert, ut efficaciùs suadeat, patefacere se eas non proferre pro sui utilitate, sed audientium. Vires autem suas patefaciunt sententiæ in rebus arduis, ueluti in despicienda morte, leniendo dolore, contemperanda Lætitia, ferendo labore, In pugna contra aduersam Fortunam, In pugna interna sensuū & rationis, & summoperè conducunt pro rectè instituenda iuuentute, pro purgandis animis à sceleribus, & pro redigendis deuiantibus ad rectum iter. Hæ reddunt sermones illustriores, & bene moratos, & prosunt ne dum audientibus uerùm etiam proferentibus illas, quia patefaciunt animum enunciantium bene affectum. Vt autem ea, quæ dixi, clariora reddantur, non sine utilitate, uaria subijciam exempla, partim ex alijs deprompta partim à me excogitata.

A quo sententiæ proferantur.

Sententiæ prolatę & Principe sunt illustriores.

Sententię vetustiores sūt efficaciores.

Vtilitas.

SEN-

SENTENTIAE HEROICAE, ET PRO DESPICIENDA MORTE.

SVPERATA tellus Sydera donat.
Excellere vt est arduum, ita sublimæ, & præclarum.
In omni nostræ Vitæ constitutione, id alta mente meditandum, aut Cęsar, aut Nihil.
Animus sublimis sublimem sibi proponat scopum.
Potius mori, quàm fœdari.
O Mors, tu quidem in me morieris, at ego in te reuiuiscam.
Ardua pugna Victoriam sibi parat illustrem.
Non timet mortem corporis, qui quærit vitam Animi.
Non ægrefert dolores corporis, qui de gaudio animi est solicitus.
Non te Fortunam timeo, quia in animum vim non habes; corpus autem à me negligitur.
Corpus diligat corpora: Animus autem incorporeus ad incorporea eleuetur.
Descendimus ex sublimibus: reuertamur ad ea.
Ex fonte boni manauimus: in fontem boni redeamus.
Facti sumus ad imaginem Dei, ipsum, itaq; opera emulemur.
Mortem paruipendit, qui uitam quærit nulli morti obnoxiam.
Collocata sub pedibus sunt conculcanda; Eleuata supra caput suscipienda.
Non magnifacienda est vita corporis, cum sit communis Plantis, & feris; sed ea Animi.
Gloriosa Mors Vitam reddit illustrem: vilis autem eam denigrat.
Mortem timet, qui suæ diuinæ conditionis est oblitus.
Si nobis non est molestum ante centum annos non fuisse, cur debet esse molestũ post centum non fore?
Non est timendum id, quod dum adest, non percipitur.
Si non vis mori, non uis esse homo, nam homo est animal mortale.
Cicatrices corporum sunt signa strenuitatis Animorum.
Negligat Animus carcerem, si libertatem exoptet.
Deus cum sit ipsum bonum, non potest velle nisi bona, cum uoluntate itaq; Dei conformemur.
Magnus animus ille est, qui Deo omnium maximè se tradit.
Sublimis Animus ille est, qui ad Deum maximè sublimem eleuatur.
Probus est ille, qui cum Deo omnium optimo nectitur.
Liber, qui cum Deo summè libero copulatur.
Splendidus, qui ad Lucem supremam conuertitur.
Felix, quia ad Fontem Felicitatis extollitur.
Mors æquat omnes, nam impares nascimur, pares morimur.
Nemo eorum, qui mortem damnant, expertus est eam.

Si cupis uiuere, ad fontem uitæ propera.
Si mortem renuis, despice corpus, in quo est Mortis origo.
Si grauia sunt præsentis vitæ onera, per Mortem depones eas.
Recordare te esse peregrinum, & Patriam tuam esse Cælum.
Si gratus tibi fuit recessus à Patria; gratior esse debet reditus in eam.
Ne timeas vulnera corporis, sed animi, hæc enim ea sunt, quæ mortem pariunt æternam.
Mors mortua non percipitur; at Mors viua maximè est infesta.
Ne Deum carpas, sed inanes tuas cogitationes corrige.
Nemo sapiens iudicat mortem formidandam, & soli insipientes, quibus non est adhibenda fides.
Nullum malum est Gloriosum, at Mors sæpè gloriosa refulget.
Dum es, mors non adest; dum non es, non vales ab ea lædi.
Fœminæ, Pueri, Intemperati, & Insipientes mortem timent.
Si optas Portum, Patriam, & Libertatem, mortem ne damnes.
Vitam nostram breuem, nitamur præclaris actionibus fama reddere diuturnam.
Infamia necat viuentes; Fama verò etiam defunctos in vitam reuocat.
Non fulgent, qui vili ocio torpent, sed qui præclaro negocio supra mortalia extolluntur.
Reddamus quæ sunt terrea terræ, at quæ ex Deo sine medio suscepimus, restituamus Deo.
Vis in Mundi Theatro coronari? Strennè dimica.
Cupis non turbari à morte? Animum à mortalium desiderio solue.
Non fulgent, nisi quæ excellunt; excellentiam ergo quæramus.
Viles & sordidi sunt animi, quos sola Terrena delectant.
Opacitatem terra parit, vt itaq; animus sit perspicuus, expurga eum à fece Terrea.
Non recipiunt superam Lucem opaca, sed perspicua, vt itaq; superam recipias lucem, animum purga.
Gloria est splendor ex Virtute prodiens; Animus itaq; veræ Gloriæ cupidus, se Virtutibus ornet.
O quam illustris est splendor, qui ex præclaris Virtutum actionibus emicat; His itaq; facibus nitamur vitam nostram illustrem reddere.
Omnis victoria celebris est, at Gloriam cęterorum superare, Victoriarum Victoria censenda est.
In mortalibus obest Nimium, in diuinis nil est nimium, vt nec virtus nimia dici potest.
Animi sordidi sordidis delectantur; At Ingenui solùm ingenuis, & præclaris.
Nil in vniuerso adeò est perniciosum, cui Deus congruentia remedia non parauerit.
Humanæ imbecillitates ex corpore prodeunt; remedia autem ex animorum virtute ducunt ortum.
Volenti nil est arduum; desiderium enim finis media reddit iucunda; iucunditas autem perficit opus.
Exue mortalium conditiones, si cupis induere habitum æternorum.
Animus, qui Virtutem sibi reddit coniugem, pro dote æternam recipit Gloriam.

Ex

Ex animi cum Virtute connubio, filij prodeunt, qui ab iniuria temporis parentem seruant incolumem.
Duo fecit Deus, vnum propè se, nimirùm Mentem; alterum propè nihil, hoc est materiam.
Si cupis eleuari ad Deum, viue vitam Mentis.
Si vis labi in nihilum, inclina ad corpus, & materiam.
Materia fœdat cœlestia munera, vt itaq; ea recipias sincera, eleueris supra materiam.
Vt sinceras formas, non autem solas formarum vmbras more Narcisi amplectamur, eleuemur supra materiam.
Quicunque cupit pace frui, deserat materiam, nam in ea sola formarum vigent oppositiones.
Quicunque cupit aduersos perturbationum ventos vitare; eleuetur animo in Cœlum, à quo longè absunt venti.
Tibi displicent tenebræ; pete cœlum.
Te perterrefaciunt vmbræ; despice corpora.
Tibi displicet non esse; eleueris in fontem entis.
Optas remedia in omni Fortunæ aduersitate? eleueris per mentem supra Fortunam.
Cupis ex omni Fortunæ malo elicere bonum? esto Heroicè Prudens.
Cupis Fortunæ caput obtundere? proijce in eam munera sua.
Vis Fortunam illudere? compone Heroicè inanes appetitiones.
Optas furari bona Fortunæ, eaque surripere ex manibus eius? distribue illa Heroica magnificentia inter probos, & ægenos.
Vis esse verè formosus? indue habitum Sapientiæ.
Cupis exactè euadere sanus? indue habitum moralium Virtutum.
Optas augere diuitias tuas? minue tuas appetitiones.
Aurum optas omni auro preciosius? reple crumenam Mentis Pietate.
Vis fulgere Deo & hominibus? incende animum igne Charitatis.
Vincere seipsum est spiritu vincere carnem.
Hoc facere nil aliud est, nisi recta ratione componere, sibiq; subijcere aduersas appetitiones sensuum.
Vincere Mundum est negligere Naturæ, & Fortunæ incommoda.
Ex his infero, ex sui uictoria pendere, ut Mundum uincamus.

SEN-

SENTENTIÆ CVM OPPOSITIONE PROLATAE.

NIL amarius lingua dulci & mendaci.
Nil dulcius sermone acri, animum instituenti.
Nil mortalius uita longa & uitiosa.
Nil uitalius morte, ad uitam perennem eleuante.
Nil ditius paupertate iusta leuiter lata.
Nil infelicius felicitate Fortunæ.
Nil pauperius opulentia, desideria animi non explente.
Nil uilius dignitate, uiro indigno tributa.
Nil sublimius conditione humili, animo regio competente.
Scipio Aphricanus dicere solebat, Nunquam minus Solus sum, quàm dum sum Solus.
Nil tristius uoluptate obscena.
Nil iucundius dolore, quo afficimur pro uitando scelere.
Nulla maior libertas, quàm inseruire Deo.
Nil insipientius sapientia Populari.
Nulla maior seruitus, quàm dominari ad libitum deprauatarum appetitionum.
Nil fœdius facie formosa, cum animo intemperato iuncta.
Robur cum uitio iunctum, impotentissima potentia est.
Nil oculatius Animo cæco erga mortalia.

SENTENTIAE PRO AMPLECTENDA VIRTVTE, AC VITANDO VITIO.

VIRTVS adeò bona est, ut per eam etiam mala reddantur bona.
Vitium adeò est malum, ut per illud etiam bona reddantur mala.
Virtus est ea Lux, quæ etiam obscura reddit illustria.
Vitium adeò est tenebricosum, ut etiam Lucida reddat obscura.
Virtus est saluberrima sanitas, longè à se repellens omnes ægritudines Animi.
Vitium est animorum morbus, ueram sanitatem ab animo longè repellens.
Virtus pauperes reddit diuites.

Vitium

Vitium diuites reddit ægenos,
Virtus in uita seruat defunctos,
Vitium etiam uiuentes facit esse mortuos.
Virtus impotentes reddit potentes.
Vitium potentiam omnem euertit,& prosternit.
Per Virtutem homo Fortunæ caput conculcat: & ex infortunato inuita Fortuna,uerè fortunatus euadit.
Conscientia egregiorum facinorum gratissimum ex uirtutis premium.
Munere Virtutis uel ea agimus,quæ digna sint scribi,uel ea scribimus, quæ digna sint legi.
Hoc est Virtutis proprium,ut ea male uti non ualeamus; & per eam rectè utamur alijs.
Similiter dum se occasio obtulerit,non ualemus ea non uti,alioquin eius conditionem non seruaremus.
Non est confidendum in uenia,& excusatione,sed in candore innocentiæ.
Virtutem colens colit Deum,Virtus enim cùm Dei est imago,tùm via ad eum.
Quo cultus pro uirtute paranda est laboriosior; eo fructus est uberior, & dulcior.
In fungendo Virtutum munere,labor citò desinit, benefactum diu seruatur.
Dum ob uoluptatem scelus patramus, uoluptas citò euanescit: nequitia uerò nobiscum semper manebit.
Cum uitio ea conditione pugnandum est, ut ne dum non uincamur ab ipso, uerùm insuper ipsum uincamus,quod assequemur,si inde eliciemus opportunitatem rectè agendi.
Vitium manu una pugionem,altera coronam hac lege gerit,ut si uincit, pugio ne te necet,si uincitur corona,te exornet.
Animo generoso lōgè dulcius est superare uitium,quàm Vitioso labi in illud, ea enim uoluptas sincerior est,& constantior.
Mente reuoluamus,quod nil agimus,quod non sit conspicuum supremo iudici nostrarum actionum.
Si ob præsentiam hominum frequenter abstinemus à patrando scelere,cur nō longè magis abstinere debemus ob præsentiam Dei?
Viro probo nullum est splendidius Theatrum conscientia sua.
Nil uetat,dum uiuimus,nos bene uiuere;nilq; uetat nos bene mori.
Qui rectæ rationi obtemperat,Legitimo Regi inseruit.
Qui deprauatas sensuum appetitiones insequitur; Infestissimo Tyranno obtemperat,
Sententia Pindari fuit,Innocentiam,spem optimam in nobis parere, dulce uitæ solamen.
Enunciauit Plato,quòd uiro Probo Lex Deus est,improbo uerò Libido.
De Virtutibus,in omni Fortunæ aduersitate,id Boëtij enunciare ualemus,

Has saltem nullus potuit peruincere terror,
Ne nostrum comites prosequerentur iter;

Gloriosa uictoria est,uoluptatem uincere.
Infelix est seruitus,à uoluptate regi.
Nitamur tales nos reddere,quales uideri cupimus.
Infelix est conditio, dum exteriora nostra multis sua pulchritudine placent,

quod

quod interiora sua deformitate uiris probis displiceant.

Qui uiuens decipit alios, dum morietur inueniet se à semetipso deceptum.

Virtus ex sententia Pythagoræ est animi harmonia, quæ ex sententia Socratis, omni corporum harmoniæ longissimè præstat.

Iure Ctesippus apud Platonem in Euthydemo etiam excoriari optabat, dummodo pellis eius non in vtre, vt ea Marsyæ, sed in virtutem verteretur.

Cum homo præsertim animus sit, iure proprium eius ornamentum, non concinnitas corporis, sed Virtus animi censeri debet.

Virtus ea conditione Virgo est, vt quo pluribus sui copiam facit, eo magis fit Pudica, dum verò ab alijs deseritur, fœdatur, & contaminatur.

Virtus in procelloso huius vitæ Mari est Anchora, quam nullus agitat ventus.

Nil constans, & firmum sub Cœli reuolutione seruatur, præter virtutem.

Anaxarchus in mortario contusus exclamabat, contunde quantum vis, Anaxarchum nunquam contundes, indicans constantiam Virtutis Animi.

Qui intus non lucent, inaniter tentant extrinsecùs Lumen effundere.

Laternæ dum circunferuntur extinctæ, irridentur. Laterna verò extincta est Vir insipiens, & improbus.

Valet statua extrinsecùs videri formosa, intus tamen corde & spiritu caret, huiusmodi est homo virtutis expers.

Qui cupit Placere Deo, & se sibi met; ac alijs reddere vtilem, colat Virtutem.

Qui Leges seruat, virtutibus se ornat.

Mandata Dei ad Virtutem dirigunt, à Vitio longè repellunt.

Si cupimus corpore bene valere, longè magis optandum est bene valere animo.

Nobilitas & vitium mutuò se repellunt, nec in vna sede morantur.

Virtus nobilitatem parit.

Per Virtutem homo rectè vtitur libertate; Vitium uerò nos deterrimè reddit seruos.

Vitium est monstrum internum, perniciosè uorans conditionem humanam.

Imitemur sublimi animo Herculem, qui interna Vitiorum monstra domans, supra humanam se extulit conditionem.

Per uitia homo labitur in non esse, malum enim est non ens, cum itaq; optemus esse, uitemus uitia.

Vitia turbant animum, ingenuamq; tranquillitatem euertunt: Virtus uerò est pax saluberrima.

Voluptas uitiosæ actionis comes, breuis & fallax est; pœna autem sequens, est longa, & uera.

Vitia adeò uires euertunt, ut Vitiosus omnium impotentissim⁹ censeri debeat.

Vitium uitiat animos, & comites eius sunt pœnæ, pœnitētia, desperatio, dolor, internaq; animi compunctio.

Franguntur corpora, dum ruunt; at longè magis franguntur animi, dum labuntur in Vitia.

Sunt uitia scopuli marium humanæ nauigationis, in quos dum nostra impingit Nauis, frangitur, & mergitur.

Vt sola uirtute non ualemus male uti, ita solo uitio bene uti non ualemus.

Nulla Virtus caret præmio; nec uitium ullum caret pœna, nam saltem ipsa met sunt sibi præmium, & pœna.

Vir-

Virtutum moralium Chorus ea affinitate est sibi iunctus, ut qui una ornatur uirtute, ornetur cunctis,

Virtus purgat & eleuat animo, hinc iure dicitur,

Numquam Stygias fertur ad vndas,
Inclyta Virtus

Dum Virtus moralis cum interna Naturæ propensione iuncta est, summoperè fulget, at dum aduersam superat propensionem, vt est difficilior, ita est admirabilior, magisq; Heroica.

Duces virtutis sunt verum, & bonum, quorum facultate nec decipimur, nec fœdamur.

Dum ab Animo virtutem aufers, furentem & deformem ipsum deseris.

Via ad Virtutem ducens Regia est, non Popularis; Sublimis, non depressa; Recta, non obliqua; Splendida, non obscura; Secura non præceps; ardua tamē, ad Vitia verò è contrario.

Non est iudicanda voluptas, nisi præsit recta Voluntas.

Nec iudicandus est dolor, nisi adsit improbus dolus.

Nulla lis est saluberior, quàm interna, dum recta ratio vincit. Nulla perniciosior, quàm interna, dum sensus est potentior.

Vita nostra Deus est, quo soli fruuntur Animi generosi ad supera eleuati.

Soliciti de terrenis, & litigantes de illis, non fruuntur vita, sed tempus pernicio sè consumunt, & ad mortem properant.

Qui sensum sibi statuit ducem, bellua est.

Qui rationem, & Voluntatem peruersam Diabolus.

Qui vero rationem rectam, est vir probus, & Generosa Dei proles.

Pellendæ sunt ab Vrbe seditiones.

A familia domesticæ controuersiæ.

A pectore autem peruersæ Animi perturbationes.

Alta Mente reuolue, Animo Generoso ad supera esse properandum, non ad infera.

Ad lucem, non ad tenebras;

Ad fontem, non ad riuulos;

Ad Pacem, non ad litem;

Ad salutem, non ad perniciem;

Ad imperium, non ad seruitutem.

Ad Gloriam, non ad Dedecus.

Parati esse debemus, non ad petendam veniam, sed ad vitanda scelera.

Quicunque se vincit, nec à Fortuna, nec à Natura vinci potest, sed superat vtramq;.

Filij probi nunquam sunt nimij; Improbi verò nunquam pauci.

Cum in Terris diu incolumes seruari non valeamus; nitamur inuito tempore, inuitâque morte per actiones celebres diu seruari incolumes.

Cum vita hominis sit breuis; nitamur ea agere, per quæ posteris nos in hanc Lucem venisse testemur.

Infamia necat viuentes; Fama verò etiam defunctos cum celebri vita conseruat.

Sola soluta à materia constantia & sincera sunt; ea itaq; sola quæramus.

Complicata cum materia, cum sint grauia, trahunt ad imum; spiritus alta petit, sequa-

sequamur itaq; spiritum.

Animus ibi est, vbi amat, vt itaq; simus in Cęlo, diligamus cęlestia.

Qui confidit in re inconstanti, mirari non debet, si constanter fallitur.

Vt eleuatum est Cęlum à Terra, ita cogitationes animi purgati à cogitationibus sensuum.

Animus vilis vilia quærit, Generosus autem sublimia, & pretiosa;

Qui terrenis succumbunt, non viuunt, sed dormiunt, & cum dormiant nil rectè agunt, sed somniant.

Aeternus est animus, quærat æterna.

Est diuinitatis particeps, de diuinis sit solicitus.

Est incorporeus, corporisq; dominus, non succumbat corpori.

Est liber, non permittat sensuum illecebris deuinciri.

Est Nauta, quærat portum.

Est peregrinus, quærat patriam.

Optat per naturam bonum, eleuetur ad fontem boni.

Cupidus est diuitiarum, ditetur Charitatis auro, & nil vltra expetet.

Timet mortem, eleuetur ad fontem vitæ.

Est cupidus sapientiæ, ascendat ad Sapientiæ lucem.

Odit ægritudines, vitet contagia corporis.

Est formosus, fugiat deformia vitiorum monstra.

Est Magnanimus, paruipendat vilia.

Flagrat Amore, quærat uerè pulchrum, quod ab ipso bono non est seiunctum.

Est purus, & candidus, caueat ne scelerum maculis fœdetur.

Est totus diuini iuris, se totum Deo retribuat.

Optat esse Fortis, uincat cuncta sibi aduersa, & uictor eleuetur in cęlum.

Cupit esse Pius, colat maiores suos, huiusmodi autem est Deus.

Est religionis amator, soluatur ab alienis, & religetur cum Deo, ex quo pendet regulæ religionis.

Ordo saluberrimus est, ut famulentur, materiata sensibus, sensus rationi, Ratio Mentis, Mens autem Deo, cui seruire est regnare.

Vnicum rectæ institutionis Mentis fundamentum est, ut unumquodq; tanti faciat, quanti sui natura fieri debet.

Fortis est corpore, qui ex terra eleuat grauia corpora, at fortior est Animo, qui Animum ex Terreno corpore sublimem tollit.

Quod ætate senes sint probi, & Prudentes ex Tempore habent, nam uitium derelinquit eos: At quòd Iuuenes sint tales, ex propria cura, studio, & diligentia pendet.

Natura adeò Vitium respuit, ut quamuis intus sit; difficillimum tamen est, id non prodere vultu.

Iustitia est splendidior Sole, Sol enim solùm interdiu; Iustitia uerò diu, noctuq; refulget.

Natura corporis dum est potens, morbum superat, scabiemq; respuit. Animus similiter potens, necat uitium, respuitq; scelera.

Vt corpora non pura, ita non puros Animos quo magis nutries, eo magis lædes.

Corpora ut sana seruentur, purganda sunt, ita animi ab exuperantia perturbationum purgari debent, ut sanitate fruantur?

Torpent ocio corpora, At magis Animi, uigiles itaq; in proba actione uersemur.

Eni-

Enitendum est amari à probis, eisq; esse amici, nam dissentire ab improbis insigne est probitatis inditium.

Quicunq; oculo pietatis inspicit supera, oculo Temperantiæ seipsum, & oculo Iustitiæ cæteros, optimè est institutus.

Non Fortuna sua inconstantia te decipit; sed tu decipis teipsum, quia putas eam esse constantem.

Qui multa possidet, & plura optat, egenus, & pauper est.

Regnat in vniuerso Orbe Prouidentia Dei; In orbe mortali Prudentia hominis; in homine prudente recta ratio.

Non præstat cæteris homo, etiam si ascendat supra Montem, sed si sapientia, & Prudentia fulgeat, quamuis in Puteo collocatus.

Iustitia vniuersa est ea forma, quæ animum reddit formosissimum.

Vitium peruertit aciem Mentis; Ignorantia eam obtundit, fac itaq; domine, vt videam.

Omnis vitæ gradus bonus est, ille tamen est optimus, de quo legitur, da mihi Domine intellectum, & viuam.

Cum boni conditio sit fœcunditas; si bonus es, effunde in alios bona tua.

Dum Sol terram ambit, nil Deo similius inspicit, viro Sapiente, & probo.

Animus sapientia fulgens æmulatur Lunam lumine plenam; Ignarus verò est similis Lunæ Eclypsim passæ.

Mars non fortes corpore, sed strenuos animo, corona Victoriæ decorat.

Mercurius eos ex se natos affirmat, non qui multa dicunt, sed qui pauca, & prudenter.

Iupiter in Regium eleuat Solium, non eum qui Regnum occupat, sed qui recta regnandi ratione refulget.

Venus nil venustius, sibiq; similius inspicit, animo à terrea fece purgato, superoq; Lumine illustrato.

Spiritu Saturni non illi euehuntur, qui solùm vilia speculantur, sed qui supera, & Diuina.

Octauam Sphæram, Stellarum innumero numero Fulgentem, non effæminati vultus patefaciunt; sed Animi innumero Virtutum numero decorati.

Mobili supremo, cuncta suo ambitu continenti, consimilis est Animus sapiens, qui spiritaliter dicitur singula factus.

Demùm sublimi Deo, ut homini licet, consimilis est Animus, qui simul sit Sapiens, & Prudens.

Dum ad mortalia descendimus, Ignis per bilem flauam Animos reddit furentes.

Aër uentosis spiritibus animos inaniter inflat, temereq; agitat, & turbat.

Aqua Animos mergit in illecebris corporis.

Terra sua grauitate eos reddit ad imum præcipites.

Conculcemus itaq; alta Mente mortalia & amplectamur æterna & exclamemus.

Nullum habeo dominum nisi Deum.

Non qui se commendat, approbatur, sed qui commendatur à Deo.

Animus ingenuus & liber, nunquam se uictum dicit, sed coactum.

Vir strenuus nunquam animo succumbit per naturam libero, sed corpore per naturam seruo.

Dies unus uiri probi plus patet, quàm improbi longissima ætas.

Vita sine litteris mors est, & hominis uiui sepultura.

Sententia fuit Demetrij nil esse infelicius, eo, cui nil unquam aliquid aduersi contigit.
Non est res dura dolor, sed nos sumus molles.
Infortunia, & Naturæ calamitates, non sunt supplicia, sed tributa huius Mũdi.
Opulentiores fuêre Diuitiæ Diogenis Fortunam despicientis, & nihil possidentis, quàm Cresi possidentis multa, & plura optantis.
Enitendum est, ut bona Fortunæ nostra sint, non autem nos bonorum eius.
Turres, & Montes prosterni possunt; Animũ autẽ Heroicũ nil ualet euertere.
Non sentire læsiones non est hominis: eas non ferre non est uiri.
Vita uiro felici breuis est, misero autem longa.
Nulla est Fortunæ tam uehemens perturbatio, quam non ualeat Prudentia cõpescere.
Alex. fuit sententia cum benefeceris, uale audire Regium est.
Sententia fuit Pythagoræ, per uiam publicam non progrediendum, hoc est, nec dictis nec factis utendum protritis, & uulgaribus.
Qui sibi est erroris conscius, de se dici omnia putat.
Crates Thebanus dicere solebat, optima uitæ præcepta partim utilitas, partim uoluptas, partim praua consuetudo eripit.
Dum aliquid nobis euenit, quod nostræ libertati non subijcitur, enunciandum est, nihil ad nos.
Perturbant sæpè homines non res ipsæ, sed rerum opiniones.
Bonorum Fortunæ nil nostrum est, præter usum.
De bonis Fortunæ, & Naturæ non est dicendum perdidi, sed reddidi, nõ enim nostra sunt.
Imitemur naturam, quæ superuacaneis non abundat.
Diogenes, qui Situlam bibendi gratia secum ferebat, cum alium uidisset manu sola id facere, situlam in fluuium proiecit, tanquam redundantem.
Recordemur non posse uinci mortalia, & eleuari in Cęlum, nisi per pugnam cum mortalibus.
Quamuis iudicemus nos bene esse munitos, semper tamen fugiendæ sunt occasiones errandi, nam qui amat pericula, perit in eis.
Multis inseruit, qui inseruit corpori; uni uerò, qui inseruit Animo.
In omni iactura id cogitandum, quod qui se habet, nihil perdidit; Virtuti omnia parent.
Prosperitas primò emulationem parit, deinde inuidiam, demùm dissensiones, & prælia.
Nulla possessio seorsùm à uirtute morali bona est.
Scientia seorsùm à uirtute morali, non sapientia, sed calliditas, est iudicanda.
Philosophia inspectrix, quæ Virtutem moralem non parit, tanquam Planta inutilis scindenda, & in ignem mittenda est.
Ne res ipsæ nobis iniquæ sint, æquo animo sunt ferendæ.
Moderata iuuentus facilem efficit senectutem; immoderata difficilem.
Turpior iudicatur, qui uoluptatibus cedit, quàm qui succumbuit dolori.
Boni sunt, qui sibi met ipsis imperare valent; mali qui nequeunt,
Temperato viro Legem format Ratio recta, intemprato verò Libido.
Neque ascensu in Cęlum, neq; descensu ad inferos, Dei Prouidentiam vitare valemus.
Officium Philosophiæ est, in re tam Publica, quàm priuata, quid rectum iustũq; sit discernere.

Præstat

Præſtat grauiſſimas iniurias pati,quàm inferre, hoc enim aduerſatur Iuſtitiæ, non illud.
Multa alijs parcere debemus,nobis autem nihil.
Ridiculum eſt cum ſua quiſq; ignoret,aliena perſcrutari velle.
Non admodum nobis curæ eſſe debet,quid de nobis multi dicant,ſed quid dicat is qui ſapit.
Eligentis culpa eſt omnis,Deus autem extra culpam eſt.
Ab eo,qui modum in inſtituendis alijs non ſeruat,præſtat non inſtitui.
Virum probum,& ſapientem admirari poſſunt omnes, imitari uerò tam pauci,quàm nemo reprehendere.
Vt plurimùm Naturæ ſequitur ſemina quiſq; ſuæ.
Docendum ſine inuidia.
Diſcendum abſq; rubore.
Gratiæ ſemper habendæ docenti.
Aliena inuenta tanquam noſtra non ſunt enuncianda.
Improborum virorum etiam libri ſunt comburendi, vt au&oris memoria aboleatur.
Dum à Deo auxilium imploramus,non deſinamus id agere, quod per nos fieri poteſt.
Fortuna bona à Deo petenda,probitas autem à nobis ipſis.
Id memoria repetendum,in Olympicis non formoſos coronari,ſed qui ſtrenuè dimicant.
Turpia quæ quis fert audiendo,uidetur & facere.
Dum paruus eſt internus hoſtis,interfice eum, vt elidatur in ſemine nam principijs obſta,ne grandior factus te necet.
Omnia ex Deo ita ſunt,vt nuſquam,vel minima quæq; deſerantur à Deo.
Ex Deo pendet ut ſimus,ſeruemur,operemur,& bene ſimus.
Expoſcit recta hominis conſtitutio,ut ne dum in negócio rectè, uerùm etiam ut in ocio laudabiliter poſſit ſeruari.
Prauorum quamuis innumerus ſit exercitus, ſpernendus tamen eſt, quia nullo regitur duce,& ſecum pugnat.
Nulla conſtans eſt tranquillitas,niſi quam ratio componit.
Sapiens Gloriam ſuam in conſcientia ponit:ſtultus autem in laude populari.
Pythagoræ obtemperandum,dicenti,Deo non Dijs ſeruiendum.
Aſſueſcere debemus non maledicere,ſed maledicta contemnere.
Optima Fortuna eſt uelle pauca, & poſſe multa.
Infortunium deterrimum eſt poſſe pauca, & uelle multa.
Memento,quod Deus nunquam derelinquit hominem, niſi prius ab eo fuerit derelictus.
Qui cupit in bello propitium habere Deum,ſeruiat ei prius in pace.
Infelix homo,ob cuius uitam lugent multi,& ob mortem rident omnes.
Optima eius eſt conſtitutio,qui paucis contentus uiuit,& innocens eſt.
Sententia fuit Chylonis, tria eſſe difficilia,ſilere ſilenda, Tempus congruenter impendere,& patienter ferre iniurias.
Cęcitas corporis hominem reddit miſerũ,at ea animi illum reddit miſerrimũ.
Deformitas corporis turpis eſt,At ea animi eſt turpiſſima.
Externa caligo adeò obumbrat hominem,ut neſciat quò tendat, at caligo interna illum reddit præcipitem.
Scire,uelle,& poſſe in Deo ſemper conſpirant,in homine autem ſæpè pugnãt;

Dum autem illa inuicem pugnant, ea sententia vtendum est,
Nisi possis quoduis, ea uelis quæ possis.
Ex ignorantia prauæ dispositionis prodeunt omnia mala.
Perniciosius est animo in ignorantia mergi, quàm corpori in aqua maris: profundior enim est ignorantia, quàm mare, & perniciosior.
Ex nubibus aëris prodeunt Fulgura dissipantia corpora: ex ignorãtia autem prodeunt ea fulgura, quæ dissipant cuncta bona Animi.
Vir insipiens dum loquitur se habet ad instar Picæ, quæ nomina profert, & nescit quid dicat.
Insipiens nescit amare, quia non valet iudicare id, quod amari debet; hinc vt nulli est amicus, ita nemo valet ei esse amicus.
Insipiens non valet alteri obijcere quod mentiatur, sed alij id ei obijcere maximè valent, mentiri enim insipientis est proprium.
Nescit insipiens quid dicat, an sit, quid sit, & quid agat, ideò maximè eget curatore.
Sapientia est ea forma, de qua verissima est sententia illa, prima species digna est imperio.
Deo maximè propria est sapientia, ideò homo per sapientiam, vt ei licet, simillimus redditur Deo.
Sapientia est Fulgor illustrans conditiones rerum, vt ualeamus renuere mala, & seligere bona.
Sapiens est mensura rerum, per quam noscimus unumquodq; quãti fieri debeat quod est fundamentum rectæ institutionis animorum.
Adeò sapiens cum conditione rerum conformatur, ut quæ sui naturâ & conditione sunt priora & notiora, etiam sint talia illi.
Sapiens est omnia, quæ sunt, & Mundus totus spiritaliter, per imitationem, & sine imperfectione materiæ.
Mens tunc solùm ualet se noscere, cum fuerit singula facta, quod cum ei competat per sapientiam, iure solus uir sapiens ualet se noscere.
Hinc Apollo iubens, Nosce te ipsum; nil aliud iubebat nisi, esto Sapiens.
Mens insipiens est candela extincta, quæ nec sibi, nec alijs elucet.
Mens scientia carens est Mens Amens.
Mens decorata scientijs est Mens amœna;
Vt sapientia Sapidam, ita insipientia insipidam reddit Mentem, & orationem.
Vera uita est ea Mentis; ceteræ sunt umbræ uitæ, quam uitam cum uiuat solus sapiens, ideò absolutè solus sapiens dicitur uiuere; ceteri uerò tanquam umbræ uolitant.
In uniuerso, ea, quæ præstant homini, sapientia fulgent, collocata sub homine sapientia carent: quare homo medians, per sapiẽtiam supra hominem erigitur, per insipientiam deprimitur infra hominis conditionem.
Ordinata in finem, dum finem non assequuntur, frustrà dicuntur facta; quare homo, qui in summum bonum dirigitur, dum illud non consequitur, frustrà dicitur uidisse lucem.
Sapiens sine auro ditior est, quàm insipiens cum uniuersa auri copia.
Sapiens & probus in aduersa Fortuna, magis est Fortunatus insipiente, & improbo, cũ prosperitate Fortunæ, illi enim fortuna inseruit, huic uerò dominatur.
Vir sapiens intelligens omnia est omnia, & omnium dominus: Insipiens uerò nil intelligens est nihil, & omnium seruus.
Plus patet uiri sapientis dies unus, quàm insipientis longissima ætas.

Quicunq;

Quicunq; ea perdit,quæ illi sunt credita,dignus est pœna; qui ea solùm seruat, nullius est pretij;at qui ea seruat,& amplificat,dignus est præmio,& laude.

Nitatur itaq; Vir ingenuus,facultates ei à Deo traditas perficere,& amplificare.

Qui fulget per merita suorum maiorum,aliena luce lucet;at qui per merita suæ uirtutis fulget,lucet luce propria.

Soliciti sunt homines pro amplificandis bonis Fortunæ,& corporis; longè itaq; magis soliciti esse debent pro amplificandis bonis animi.

Fructus animorum pretiosi sunt, non illi corporum: colamus itaq; animum.

Dilectio mutua proborum uirorum est nodus cęteris insolubilior, & dulcior.

De rerum concordia enunciare ualemus, quòd unitas est insolubilis; quòd ex multis paucis unum constituatur; quòd sit satis; quòd concordia paruæ res crescunt;& quòd unitas uinci nequeat.

Tria sunt capita & duces pugnæ mortalium,Natura,Fortuna,& humana ratio.

Dum Ratio fuerit recta,dominatur Naturæ & Fortunæ; at si fuerit deprauata, succumbit utrisq;.

SENTENTIÆ

VIRO PRINCIPI

CONGRVENTES.

REVOLVAT alta Mente Princeps,omnium oculos in eũ esse conuersos;& propterea talem se reddat, qualis uideri optat.

Meditetur Princeps se in solio sublimi collocatum,adeò ut actiones eius conspicuæ sint omnibus.

Cuncta Deo sunt curæ,& præsertim principes, enitendum itaq; eis summoperè est,ne abutantur cura Dei.

Vt Virtutes,ita Vitia Principum maiora sunt Virtutibus & uitijs cęterorum,tum quia exempla sunt cęteris;tùm quia sunt Principia,ex quibus alia pendent;tũ demùm quia sunt iuncta cum uiribus.

Vt Virtutes,& Vitia sunt maiora,ita Deus iustus iudex, præmia maiora, & pœnas grauiores eis decernit.

Recta institutio prodest iuuenibus omnibus;at ea Principum saluberrima est.

Forma Principis,per quam uerè formosus redditur,est Iustitia cum æquitate iũcta,nam seorsùm ab æquitate nimiùm est rigida,& frequenter cum Iniustitia mixta.

Oculus Principis est Prouidentia & cura,ex Prudentia prodiens, quo orbatus præceps ruit unà cum Regno.

Corona Principis est Gloria ob rectè curatos,& seruatos Populos.

Manus Regia est eius Potentia,cuius Sceptrum est auctoritas, quæ nisi dirigantur à Prudentia,in perniciem cuncta perducunt.

Nemo rectè regit populos,nisi rectè seipsum regat.

Nemo rectè dominatur Populis,nisi rectè inseruiat Deo.

Ex quo colligo uerum imperium,ex seruitute prodire.

Verè Princeps & dominus Mundi ille est, qui est Princeps & dominus sui met.

Princeps,

Princeps,per naturam est Mens,& Ratio recta, dum itaq; in Principe sensus dominatur rationi,ille non Princeps,sed seruus dici meretur.

Exposcit Natura rerum, ut superiores facultate dominentur & regnent, quare dum dominantur inferiores,ea est dispositio præter Naturam.

Est descensus,Violentia,seruitus,confusio,seditio,& uia ad euersionem.

Verè Rex est animus,ideò ea censenda sunt ornamenta Regis, quæ sunt ornamenta Animi.

Recordari debet Princeps,in Terris nullam esse tam sublimem Potentiam,quæ in miseriam labi non possit.

Quo dignitas est sublimior,eo lapsus est miserior.

Oppidum inexpugnabile Principum est dilectio Populorum.

Princeps,quem multi timent,ut ipse multos timeat,necesse est.

Principes non diuitiarum,sed amicorum defectu pereunt.

Memoria seruare tenetur Princeps præclaram illam sententiam,

Parcere subiectis,& debellare superbos.

Monarcha Mundi Deus est,Principes Terræ sunt particulares eius vmbræ,quæ tunc spiritu Regio formantur,dum conformantur cum Monarcha.

Perniciosissimus inimicorum Principis est Assentator.

Vir Probus etiam si seruiat Princeps est;Improbus autem etiam si regnet seruus est,nec unius domini sed tot,quot habet vitia.

Sententia fuit Platonis, quòd ea Ciuitas, in qua Ciues incontinentes sunt,nulla Legum potentia contineri potest,quin frequenter,ac semper in deterius permutetur.

Veri principes conditio est,vt quemadmodum potentia præstat cæteris,ita præstet Veritate,Iustitia,Magnificentia, Temperantia, & omninò Probitate & Prudentia.

In Principe vnà cum potentia fulgere debent Sapientia,Prudentia; & Religio, & alta mente id frequenter repetendum est,Nisi Deus custodierit Regnum, inaniter vigilat,qui custodit illud.

Sapientia sine potentia prodest paucis;Potentia autẽ siue sapientia obest multis.

Princeps,qui ex progenitoribus fama fulgentibus ortum ducit,summæ est expectationis,cui arduum est respondere,ideò uiribus enixè omnibus enitendum ei est non degenerare.

Qui coram Potente,& benigno Principe loqui audent,non inspiciunt eius amplitudinem:qui verò timent,ignari sunt benignitatis & humanitatis eius.

Præcipua Principis Gloria non est multos debellasse, sed sibi creditos Populos exemplo,Legibus,& magistratibus seruasse, probioresq; reddidisse.

Dum caput est Leonis,reliqua membra etiam sunt Leonis: At dum caput est Pecudis,membra sequuntur conditionem eius.

In his quæ bona sunt,conditio Primi optima est;Imperium autem res bona est: quare conditio Principis est optima,& Principem sola bona decent.

Virtutum exemplar subiectis oportet esse Regem.

Plato in libro de Regno enunciauit,oportere Regem non Manibus, reliquisq; membris pro Regni salute ualere,sed intelligentia,& animi robore.

Imperium vnius,rectis Legibus munitum, optimum est: Legum autem expers, durum est,& subiectis onerosissimum.

Ex Regis intemperantis prodit,ut dum suis priuatim incumbit voluptatibus,ciũ & ipsi imbelles,eneruatiq; reddantur.

Fortitudinis,& Temperantiæ coniugium in Principe saluberrimum est.

Prima

Prima imperij cura,in rectè instituenda iuuentute posita est.
Imperium illud est optimum,quod per Virtutem ad Virtutem dirigitur.
Optimè ille regit,qui pro Populorum,non pro suimet commodo,& vtilitate gubernat.
Vir Sapiens,& Prudens per naturam est Princeps;imprudens autem,& insipiẽs præter naturam & violentia.
In constituto Imperio quatuor Virtutes Plato excogitauit, Prudentiam in Principe Fortitudinem in militibus, Temperantiam in Principe simul & militibus,Iustitiam deniq; in omnibus.
Officium optimi Principis est rectis Legibus Ciuitatem totam quasi agrum colere,& exquisitam de eligendis,serendisq; seminibus habere rationem: mox de optimo cultu,& de extirpandis statim ab initio aduersis herbis, & sentibus: demùm de omnibus ad maturitatem suo ordine perducendis.
Cauendum est,ne ei Magistratus tribuatur,qui ob incontinentiam gubernare se nesciat.
Non est sperandum ciuitatem sub eo rectè componi,in cuius Animo Ciuitas reperiatur misera,& incomposita.
Vitanda est nimia Libertas,nimiaq; seruitus Populorum.
Quales in Principe refulgent mores,tales propagantur in Populis.
Mutationem morum in Principe sequitur mutatio morum in Populis.
Illæ Artes & disciplinæ crescunt & perficiuntur in Vrbibus, quæ magni fiunt à Principe,quæ verò despiciuntur,facilè delitescunt.
Status ille,in quo negligitur Virtus,constans,& firmus esse nõ valet;Virtus enim sola constans;& firma est.
Quicunq; optant rectè instituere ciuitatem,de amplificanda Virtute,& repellẽdo uitio tenentur publicè esse soliciti.
Homo Virtute,& probitate excellens Princeps est per Naturam, & conditionẽ propriam.
Quæ Gloria est Principis Vniuerso Terrarum orbi dominari, si ipse inseruiat Vitio?
Vt Fama probitatis Principum est gloriosior cæteris; ita infamia improbitatis est infelicior.
Memoria proborum & improborum facinorum Principis diutius seruatur, magisq; refulget,quàm ea priuatorum.
Vt Princeps sua probitate non sibi soli,sed innumeris prodest;ita sua improbitate innumeris obest.
Insipientia & improbitas viri priuati particularis est. At ea Principis est communis & vniuersalis.
Nullum probum,vel improbum Facinus, magis remunerat, uel punit Deus, quàm illud Principis.
Vita Probi Principis gratissima & saluberrima est Populis; Improbi uerò Mors.
Principes Prudens conculcat Fortunam; Imprudens uerò conculcatur ab ea.
Quòd intus ornati simus Virtute & forma Regia ex nobis pendet; quòd autem Regno fruamur,ex Fortuna,& Natura.
Nil in Terris Deo similius est Principe sapiente & Iusto.
Nil similius Lucifero,Principe impio,& iniusto.
Princeps Pius,& Iustus est Deus proximus Populorum, de quo id rectè dici potest,

Homo homini Deus.

Prin-

Princeps eſt dux, Auriga, caput, & cuſtos Populorum; ideò eo deuiante, Populi vnà cum eo præcipites ruant; rectè autem progrediente, ſeruantur incolumes.

Princeps eſt oculus Vrbis, quo luce orbato, Vrbs tota in tenebris deliteſcit.

Eſt Princeps regula & menſura actionum Populi, quæ ſi fuerit obliqua, & iniuſta, actiones vniuerſæ Populorum peruertuntur.

Rex eſt Sol ſui Regni, qui per opacitatem Vitiorum eclypſatur; per candorem Virtutum redditur illuſtrior.

Princeps perperàm diſtribuens præmia, & pęnas eſt ad inſtar medici, perperàm medicamenta adhibentis, ex quo prodit interitus; ut ex recta diſtributione & adhibitione Salus, & vita.

Lętetur itaq; uniuerſa Reſp. Chriſtiana, cum munere Dei, ab Heroicis, & exemplaribus Principibus regatur, & gubernetur.

FINIS.